



CASPARIS ZIEGLERI
in
HUGONIS GROTII
de
IURE BELLI AC PACIS
LIBROS
NOTÆ &
ANIMADVERSI-
ONES


ARGENTORATI
SUMPTIBUS
IOHAÑIS REINHOLDI
DULSSECKERI
ANNO 1706.



CASPARIS ZIEGLERI, JC.

Consiliar. Elect. Sax. & Facult. Jurid. in Acad. Witteberg. Ordinarii,

IN



HUGONIS GROTII DE JURE BELLI AC PACIS LIBROS

Quibus Naturæ & Gentium Jus explicavit,

NOTÆ ET ANIMADVERSIONES SUBITARIÆ.

Editio Quarta, Emendatior.




ARGENTORATI,

Sumptibus JO. REINH. DULSSECKERI,

ANNO MDCCVI.







Admodum Reverendo
DOMINO
GODOFREDO CHRISTIANO BOSIO,
SS. Theol. Licentiato, & Ecclesiæ apud Lipsienses Symmystæ,
Affini & Amico summo.



Dscribo hic nomen tuum, ut & quantum Tibi debeam, & quantum tuam æstimem amicitiam, publice contester. Junxerunt nos olim communia studia, qui-

bus tum dediti eramus, atque hinc, ut ſolet, nata eſt amicitia, qualis in Academiis coaleſcit, omnium arctiſſima & firmiſſima. Ego primum æſtimatione quadam ingenii tui, Tu viciſſim opinione fortaſſe nonnulla, quam de meis moribus habebas, me dilexiſti. Hinc benevolentia, hinc fides: quam conſuetudo ita auxit, ut tandem Solduriorum conditione & lege adinvicem uteremur. Factum hinc eſt porro, ut & multæ & magnæ in me confluerent utilitates, quibus ſi carendum fuiſſet, turbida ſæpe & parum jucunda extitiſſet,
quam

quam traho, vita. Ut ergo hujus rei publicum aliquod extet testimonium; en Tibi studiorum meorum partem haud exiguam, quam Tibi nuncupo; miscellaneam quidem & quasi confusaneam, Tibi tamen forte non ingratam. Nec est, quod belli nomen in fronte libri formides, idq; procul Ecclesiastico munere, quod geris, existimes. Nec enim ad me magis pertinet illud, qui & scholis innutritus sum, & fomitem ejus, dissensiones scilicet, atque discordias cane pejus & angue fugio. Non vero ille est horum librorum scopus,

ut, quibus artibus bella gerantur, munimenta extruantur & evertantur, incendio urbes & ruinæ dentur; acies instruantur, homines trucidentur, inde quis addiscat, sed ut constet, qua conscientia, cujus in foro Tu præsul es, & quo jure ista omnia suscipiantur. In his occupatus fuit Grotius, & ego post eum. Quam bene uterque, judicent illi, quibus idem est studium, eademque castissima animi contentio. Tu vero suscipe hoc, quod offero, munusculum levidense, certissimum amo-

amoris pignus, ut me porro amicum amatumque habeas. De meo affectu nolo inepte gloriosus esse, ut tutiorem a fascino amicitiæ tuæ possessionem habeam. Nos enim satis magnum alter alteri theatrum sumus. Vale.

CASPAR ZIEGLERUS.
D.

LECTORI S.



Um in Hugonis Grotii de jure belli & pacis libros notas & animadversiones meas publicâ nunc luci expono, monendus mihi es, LECTOR, non uno continuo tempore, sed interruptis planè vicibus, animo sæpe in diversa distracto, eas compositas esse. Anni elapsi sunt quasi decem, cum nobilissimi quidam & in bonarum disciplinarum opere frequentes juvenes istorum librorum enarrationem & clariorem interpretationem a me peterent. Ego tum Autoris stupendam & in omni literarum genere oppidò quam exercitatam eruditionem, tum & in rebus probe subactum & versatum judicium reveritus, num quid in hoc genere præstare, & ejus sermonem, concisum sæpe & involutum, justo interpretamento indipisci possem, meum dubitabam. Ne tamen desideriis eorum deessem, periculum me facere velle promisi: sed per solum librum primum, ut ex hoc veluti tentamine, quantum progredi licere porro, mecum deinceps constituere possem. Rem igitur exorsus, intra quindecim hebdomadas quoti-

dianis

dianis dissertationibus librum istum absolvi, quibus defunctus adhuc tum deliberavi, quatenus pergendum esset. Ab eo tempore, cum paulo post familiari luctu impedita essent res meæ, & subinde occurrerent, quæ animum alio verterent, quievit apud me Grotius per integrum, ni fallor, triennium. Interea mutata erat Academiæ facies, & discesserant illi, qui autores mihi suscepti laboris fuerant, venerant alii. Hi vero integrum mox opus ut percurrerem, idque ab initio repeterem, flagitare incipiebant. Ego in primo libro, quantum jam temporis insumptum fuisset, quantumque viaticum haberet autor ad faciendum negocium, cum exposuissem, & illi hinc dubitare cœpissent, num ad finem usque persistere ipsis liceret, quandoquidem reliqui, qui restabant libri, haud paulo plus temporis exigere videbantur, facile impetravi, ut librum secundum ordiri permitterent. Sic igitur denuo rem aggressus ultra semestre spacium continuavi. Nondum autem dimidiatum librum istum absolveram, cum quaquaversum ex Academia abiret & avocaretur maxima pars eorum, qui nomina sua ad Auditorium nostrum professi fuerant. Et ego ab uno vel altero, ut quiescerem tantisper, donec numerosiores ipsi, ut sperabant, fierent, admonitus, labori isti secunda vice renuncio, ea animi obfirmatione, ut derelictui eum post-

 hac

hac haberem, præsertim cum augerentur negocia, quæ nos quotidie premunt. Fuerunt tamen successu temporis identidem, qui mihi aures vellicarent, ut pergerem, non juvenes tantum quotidie nobis obversantes, sed viri etiam graves & eruditione insignes. Ego vero illis, ut maxime vellem, negociis tamen non statis tantum & ordinariis, sed ex improviso etiam assiduis & quotidianis obrutum, & propterea imparem me huic studio confitebar. Obversabantur animi judicia, quibus vel præsidere vel adsidere me jussit SERENISSIMUS SAXONIÆ ELECTOR. Considerabam me totum nunc Juridicinæ mancipatum cogitare de rebus, quæ ad humaniores literas spectant, amplius non posse. Perpendebam ingenium ex quotidiano causarum forensium usu plane detritum & retorridum, mentis acumen in isto studii genere remissius, valetudinem afflictam, crebras actuariorum, tabulariorum, tabellionum, scribarum & aliorum ministrorum publicorum, tum & ipsorum litigantium interpellationes, quibus omnibus quandoque me vix sufficere lubens agnoscebam. Qui igitur tractare præsumerem librum tam singulari & recondita eruditione præstantem, qualis est hic Grotij? Tandem vero iteratis petitionibus fractus telam tot annis intermissam pertexere decrevi, eamque continuo progressu per divinam gratiam feli-

citer,

citer, non tamen sine tædio & molestia, tandem absolvi. Habes, Benivole Lector, fata hujus mei commentarii, quem nec ederem quidem, nisi exempla a me petita fuissent, ut describi facerem, compluria. Non possum nec volo multa de eo promittere, quandoquidem tumultuaria sæpe opera excidit, ut fieri solet, quando ad demensum temporis res peragenda est. Doleo enimvero, atque id jam sæpe male me habuit, quod liber tam insignis, tam præclara prudentia refertus non potuerit enucleari consideratius. Utique enim ex tali studiorum genere plus accedere jurisprudentiæ certus sum, quam ex tetrica & spinosiore atq; anxia Legum Romanarum contemplatione, nihil interdum ad ornandum juvandumque usum vitæ pertinente. Nec soleo ego in scholis meis vel Ulpiano, vel Papiniano, vel ipsi denique Justiniano tam cæco assensu blandiri, ut non identidem ad naturalia recurrere principia, & veras juris & justitiæ causas eruere, mihi integrum reservem. Et, ni fallor, seculi nostri hæc labes est, quod in Academiis ad Leges Romanas ita assuefieri cogantur juvenes, ut in omni controversia, etiam ubi inter summos Principes lis vertitur, non aliunde decisionem petendam credere oporteat, quam ex jure Romanorum & legibus isti uni Reipublicæ accommodatis. Fac mihi jam talem publico regimini admoveri, & de lege condenda

denda

denda deliberationem institui, subnixo ille animo leges, quas didicit, ad nauseam evomet, & Romanorum instituta, ut Τεμένων ἱερὰ *observabit, nec admittet, legem novam aliter scribi. Sic igitur effectus omnes, e. g. patriæ potestatis moribus Romanis introducta matri denegabit, quia scilicet matrem liberos in potestate habere noluit Respublica Romana. At vero non amplius inter Romanos scribere oportuit legem, sed inter eos populos, qui ductum naturæ secuti utrique parenti eandem deferunt potestatem; idem imperium, nisi quod in contentione imperiorum primas relinquant patri. Sunt ejusmodi alia plura nostræ Reipublicæ Germanicæ minus convenientia, quæ si quis in argumentum exhibere velit novæ legis, Germaniam is in provinciæ formam redigere velle censebitur, victor, si Diis placet, scholasticus & umbratilis. Quocirca ille demum veram non simulatam philosophiam affectare mihi videtur, qui civile jus ad altiora & superiora principia revocat; & in illis verum justi & æqui fundamentum inquirit. Et hoc quidem Grotii in his libris est studium, non proletarium id & perfunctorium, sed acre, subtile, & in omnem literaturam summo cum ingenio excurrens. Quo quidem in genere hoc unicum optarem, veræ religioni addictum eum fuisse, nec tam crebras elegan-*

tissimo

tissimo opere addidisse heterodoxias, propter quas nec Pontificiis, qui anno hujus seculi XXVII. librum hunc solenni decreto suis prohibuerunt, nec aliis etiam ullis commendare se potuit. In cæteris facilior cum eo est collatio, præsertim si res ipsas, de quibus agit, in se spectes sine integumento, quod plerumque ille ex variis Doctoribus, ut fuit πολυμαθέστατος, elegantem in modum concinnat. Sed nec illud quidem probare semper possum, quod sæpe generale aliquod ἀξίωμα per inductionem exemplorum constituit, idque inde Juris Gentium esse concludit, non attendens, dari æque exempla in contrarium, nec ullum tantum flagitium esse, quod defendi exemplis non possit. Ego id dedi operam, ut veritas rerum nullo apparatu eruatur, de illis, quæ in auxilium accersuntur, qualia sunt exempla, Oratorum & Poëtarum sententiæ, Patrum Ecclesiæ monita & ejusmodi alia, parum plerumque solicitus. Notas ipsas brevi & philosophico fere stylo concepi, verba veluti ex ore Grotii prærupto sermone arripiens, eaque vel probans, vel confutans, vel limitans. Qua tamen in re eo moderamine usus sum, ut ipsum Grotium, si viveret, non invitum nec cum indignatione me admissurum persuasum habeam. Est hominum genus quoddam maledicum & prodigiosum, qui leviora quæque menda in immen-

sum

ſum extendunt, ſibi tantum, non aliis æque faciles, & ſuis lapſibus large ignoſcentes. Illorum ego in me bilem deprecor, & quod Juſtinianus dixit, in nullo peccare divinitatis magis quam humanitatis eſſe, ſæpius regerere non deſinam. Differentium inter ſe reprehenſiones, ut recte Cicero monet, non ſunt vituperandæ, maledicta, contumeliæ, tum iracundæ contentiones concertationesq; in diſputando pertinaces, indignæ mihi Philoſophia videri ſolent. Neque enim diſputari ſine reprehenſione, nec cum iracundia aut pertinacia recte diſputari poteſt. Quare deridiculum faciunt, qui in hoc commentario vere repentino & ſubitario acrius judicium & magis conſideratam operam requirunt. Facile me excuſatum dabit, qui quotidianos meos labores perſpectos habet. Nitidiores faciant notas, quibus abunde & ingenii & ocii & verborum eſt. Ego Grotio nunc valedico, nunquam poſthac eum repetiturus, ne laceſſitus quidem.



NOTÆ



NOTÆ & ANIMADVERSIONES In PROLEGOMENA.



Ut divinis constitutum legibus) Refertur enim jus naturæ ad DEum, primum ejus autorem, quod & profitetur Hierocles *in aurea Pythag. carm. verſ.* 29. *Idem eſt*, inquit, *rationi parere, atq; Deo. Natura enim, quæ rationis eſt particeps, cum ſplendorem ſuum, ſuamq; lucem ſortita eſt, ea ipſa amplectitur, quæ divina lex ſtatuit, nec discrepat a DEI ſententia animus, qui ſecundum DEUM ſe habet.*

Attigerunt pauci) JCti enim dum ſoliciti ſunt circa leges Romanas earumque interpretationem & applicationem, non facile longius digrediuntur, quam qua patet via ab Juſtiniano primum trita & oſtenſa. Inter Pontificios autem, qui morum diſciplinam profitentur, hanc quidem ſibi propriam affectant rei curam, ut dogmata ſua ex prin-

 cipiis

cipiis juris naturæ ſtabiliant, ſed ex perverſa animi indole tam nefanda ſæpe & deteſtanda tuentur, ut ſatius ſit, prorſus illis abſtinere, quam cum periculo animum adplicare. Talium dogmatum farraginem quaſi in compendium congeſſit Ludovicus Montaltius in ſuis literis provincialibus, quibus hoc effecit, ut ingentia iſta, quæ mundo hactenus obtruſerunt, & ſpiſſa volumina evolvendi, omne facile extinguatur & intercidat Lectori deſiderium.

Exterarumque nationum) quippe quæ alio jure inter ſe contineri, & ſibi invicem obligari nequeunt. Et exhinc de fide ſervanda placitum juris eſſe naturalis, agnoſcit JCtus *in l.1.ff. de conſtit. pecun.* Vid. Robert. Sharrok *de offic. cap.* 4.

Nihil injuſtum, quod utile) Peſſimum eſt veri affectus venenum, ſua cuiq; utilitas, ait Galba apud Tacit. *l.* 1. *hiſt.* Plerumque tamen id, quod utile videtur, ſub juſtitiæ colore ſe commendat, aut facit ſaltem, ut juſtitiæ argumenta conquirantur, ne, quod ita concupitum fuit, apud alios parum benigne excipiatur. Vid. Franciſc. a Victoria *relect.* 3. *n.* 13.

Bellum ab omni jure abeſſe longiſſime) Quæ belli ſint calamitates, & quam

quam parum in iis hodie leges valeant, pleni ſunt doctorum virorum Commentarii. Ex JCtis noſtris videri poteſt Andreas Gail. *de pac. publ. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 33. *ſeq.* Nec vero in hoſtico tantum ſeſe ea hodie exſerit militum protervitas, ſed inter ſuos etiam, & amicos, quibus non magis bene cupiunt, quam hoſtes infenſiſſimi. Cauſa hujus remiſſioris diſciplinæ non una eſt. Primum enim hodie conſcribuntur milites undecunque concurrentes, urbium ſuarum fex & purgamentum, otioſi, legum impatientes, parentibus immorigeri, maximi mulierum mœchi, quibus neque boni neque mali intellectus eſt, qui neque in victoria decus, neque in fuga flagitium putant. Deinde præficiuntur eis duces ejusdem notæ, quandoque etiam imperiti & ignari rerum gerendarum, qui proinde contemtui habentur a militibus ſubjectis, tam imprudentis regiminis impatientibus. Tandem vero ſupremorum Ducum conniventia multum auget militum ferociam, quippe qui ex impunitate criminibus patrocinium quærunt, & exemplis irritati pejora quotidie moliuntur. Audivi ipſe ab magno belli Duce, ideo ſe minus animadvertere in petulantes militum ſuorum mores, ut eo magis morigeros eos haberet ad quosvis actus bellicos. Tam tenaciter ſcilicet uti Principum animis ratio ſtatus, ſic Ducum militarium mentibus in-

hæſit ratio belli, qua plurima crudelitatis atque injuſtitiæ ſpecimina commendare ſolent & excuſare.

Jura ſibi homines utilitate ſanxiſſe) Non melior eſt Philoſophia Thomæ Hobbes, de qua dicam infr. *ad lib.* 1. *c.* 2. §. 1. Oppido impudenter docuit ille, vanum omnino eſſe conſcientiæ nomen, opinionesque eſſe obſtinatas, quæ vulgo ſub tam venerabili coluntur nomine: naturam neminem ad innocentiam aut fidem obligaſſe, ſed in ſtatu belli & injuriarum homines ſibi invicem non Deos, ſed lupos, pardos & leones reliquiſſe, *Leviath. p.* 1. *c.* 7.

Sed eximium animans) in Zoroaſtris oraculis magicis eleganter dicitur *τολμηροτάτης φύσεως τέχνασμα*, machinamentum naturæ confidentiſſimæ, quia ſcilicet ut Plethon. commentatur, res arduas aggreditur. Et hinc modo nexus Dei & mundi, modo rerum materialium & immaterialium horizon appellatur, ut eſt apud Philon. *lib. de opific. mund.*

Appetitus ſocietatis) Frequens in omnium ore eſt Ariſtotelis illud, quod homo ſit *ζῶον πολιτικὸν*, quanquam id non præciſe de ſocietate civili ſit intelligendum. Maxime autem huc faciunt verba Ciceronis *in Læl.*

Lal. A natura potius, quam ab imbecillitate orta amicitia est, & societas, applicatione magis animi, cum quodam sensu amandi, quam cogitatione, quantum illa res utilitatis esset habitura. Conf. Gualther. Donaldson. *in synops. Oeconom. c.* 2. Fr. a Victoria *relect.* 3. *n.* 4.

Ex principio aliquo intelligente extrinseco) Vellem clarius mentem suam explicasset Grotius, & definite magis principium istud extrinsecum proposuisset. Quod si providentiam intelligit divinam, & motum divini Numinis, salse sibi obstrepentem inveniet Janum Huarthem *in scrutin. ingen. cap.* 7. quod naturales Philosophos admodum dedeceat, effectus immediate ad Deum reducere, causis intermediis prorsus relictis. Nos omnem brutorum industriam ad instinctum referimus naturæ, cum Sperlingio nostro *lib.* 1. *institut. Phys. cap.* 6. *qu.* 3. & eum secuto Joh. Frider. Hornio *de subject. jur. natur. cap.* 6. Nec necesse est, ut ad principium aliquod extrinsecum ideo recurrat Grotius, quia circa actus alios par intelligentia in brutis non apparet. Argumentum enim hoc est, multo inferiorem ratione & intellectu nostro esse illum instinctum naturæ in brutis, nec ratiocinatione eum niti, sed nudo quodam impulsu, qui ad similia, aut paria sæpe non fertur.

Propensio quædam) Imo vero propter corruptissimum hominis statum tota propensio in infantibus est ad malum. Simulac in lucem editi sunt, deprehenduntur manifesta iræ, rancoris, fastidii, impatientiæ, aliorumq; inordinatorum motuum indicia. *Vidi ego*, inquit Augustinus, *lib.1.confess. c.7. & expertus sum zelantem parvulum; nondum loquebatur, & intuebatur pallidus amaro adspectu collactaneum suum* &c. Dum igitur in intellectus operationibus nondum exercitatus est infans, dumque tota ejus natura depravata est, & ad malum propendet, videtur præter naturam facere, si quid boni & juri naturali conveniens agit.

Fons est ejus juris) Facere hic non possum cum Grotio. Dictamina enim rectæ rationis sunt universalia, & diffundere se debent universaliter in quævis objecta. At satisfieri posset huic appetitui, quem Grotius ut fontem juris naturalis supponit, si tantum cum una familia, aut cum una gente & populo tibi societas fuerit, eumque benefactis tibi demerueris. Deinde & piratæ atque latrones suas custodiunt societates, pluribusque adhuc aliis ejusdem notæ sociari appetunt, qui tamen dictamini naturali, quod honestatem instillat, non satisfaciunt.

Prudens dispensatio) Hæc igitur juris species beneficia fere concernit, ad quæ per judicia cogi nemo potest; & exhinc liberalitati inprimis leges præscribit. Altera vero circa proprie dictas obligationes versatur, propter quas in judicio conveniri quis potest.

Non esse Deum) Similia habet Thomas *in 1.2ta.qu.71. art.6. Tametsi Deus non esset, nec mendacium lege prohibuisset, fore tamen mendacium peccatum &c.* Quia autem hic agitur a Grotio de obligatione, qua tenetur homo sectari bonum, & fugere malum, qua tenetur suum cuique tribuere, qua tenetur aliis benefacere;. obligatio autem talis imperium aliquod præsupponit, quod hominis conscientiam cogat, & in ordinem redigat, non potest id alii, quam naturæ naturanti, Deo ter Opt. Max. adscribi. Vid. Selden. *de jur. nat. & gent. lib. 1. cap. 7. & 8.* Posito hoc imperio, non poterit Grotius extra Deum, aut sub hypothesi, non esse Deum, talem obligationem considerare. Interim tamen hoc non nego, esse in Deo æternam aliquam legem, hoc est, rationem divinæ sapientiæ, directivam omnium actuum & motuum in suos fines, & jus aliquod naturale immanens antecedenter ad omnem liberum voluntatis actum, secundum quod non potest velle, quod juri illi repugnat.

Quæ autem in hominibus est Lex naturalis, a Deo est, non tantum ut effectore & implantatore, sed etiam ut Legislatore, imperium suum exercente.

Et voluisse credi debeat) Recte supponitur voluntas divina, sine cujus cognitione certi esse non possumus de immortalitate & beatitudine animæ nostræ. Quanquam enim certi simus, animam humanam & ejus qualitates aliunde quam ex elementis ortas esse; inde tamen apodictice non concluditur, naturam animæ hoc exigere, ne possit interire, siquidem ex naturæ lumine non constat, eum, qui creavit has formas, creasse eas cum hac qualitate, ne unquam possent interire. Animæ humanæ non extiterunt, antequam crearentur; possunt igitur, postquam creatæ sunt, a Creatore in nihilum redigi. Quocirca non ex alio fonte immortalitatis privilegium animæ humanæ competit, quam ex mera voluntate & benevolentia divina. Et hujus voluntatis aliqualis cognitio ad Philosophos, immortalitatis assertores, pervenit, quorum tamen plurimi hæsitanter ea de re locuti sunt, uti ipse fatetur Grotius *de veritat. relig. Christiana lib. 2. p. m. 39.* Cæterum num præsumi & credi debeat extra verbum promissionis, quod voluerit Deus sibi obedientibus æterna distribuere præmia?alia adhuc est quæstio. Ego

Ego nullam video rationem urgentem, quæ talem voluntatẽ præſumere faciat. Non enim ideo, quia creavit Deus animam, & maximis dotibus beavit, ipſe etiam infinite bonus eſt, concludere licet, quod animam quoque æternam eſſe voluerit; cum ſubſiſtere nihilominus poſſit benevolentia divina, ut maxime anima hominis non ſit æterna.

Deo tamen adſcribi merito poteſt) Inprimis propter imperium, ex quo talia præcepta veniunt, uti paulo ante dixi. *Quid aliud eſt natura*, inquit Seneca *lib.* 4. *de benef. cap.* 7. *quam Deus & divina ratio, toti mundo, & partibus ejus inſerta? Jus naturæ a Deo datum eſt: Divina lex eſt, & ratio toti mundo & partibus ejus fortiter & ſuaviter inſerta &c.*

Quod alio dixit Florentinus) Non dixit alio. Cognatio enim, ex uno communi parente orta, non difficulter potuit a Gentilibus colligi, licet cognitio diſtincta individuorum, qualesque fuerint primi parentes, hodie ex ſolo verbo revelato ſit petenda.

Sed ſui generis obſequium debetur) Ita ut præcipuum & potius obſequium Deo maneat. Videri imprimis poterit Agellius *lib.* 2. *noct. Attic. c.* 7.

Nam naturalis juris mater) Geneologia, quam hic nectit Grotius, non videtur per omnia probanda. Schema ejus in linea recta tale est:

Humana natura.

|

Jus naturale.

|

Obligatio ex consensu.

|

Jus civile.

Non placet, quod jus civile facit filiam obligationis ex consensu, cum omne jus civile non minus mater sit obligationis, sed civilis, quemadmodum jus naturale mater est obligationis naturalis. Jus igitur civile rectius juri adjungitur naturali, præsertim, cum ut plurimum ei adsistat, & perpetuum ad illud habeat respectum; quo facit *l. 6. ff. de justit. & jur.* Quemadmodum autem humana natura mater est juris naturalis, ita eandem civilis quoque juris matrem recte dicemus; diverso tamen modo. Quatenus enim ad totum genus humanum, atque sic ad quosvis homines respectus habetur, jus naturale locum invenit: quatenus vero coarctatur inter ejusdem civitatis membra, ad utilitatem ejus civitatis jura constituit. Sic igitur potius delineandum erit schema:

Hu-

Humana Natura.

Jus naturale. | *Jus civile.*

Obligatio naturalis. | *Obligatio civilis.*

Sed neque sic tamen acquiescere adhuc possum. Vehementer enim dubito, utrum humana natura rècte dicatur mater juris naturalis, quippe quæ potius subjective se habet, quam efficienter; & supra dixi, jus naturale ab imperio venire. Quatenus igitur imperium vel divinum est, vel humanum; eatenus quoque jus constituitur vel divinum, vel humanum, sive civile. Divinum vicissim vel naturale, vel positivum. Vasquez ipsam naturam rationalem dicit esse Legem naturæ, *in lib.* 2. *disp.* 150. *cap.* 3. Sed duo hæc inter se distincta esse, optime colligitur ex verbis Pauli, *Rom. II.* 14. 15.

Etiamsi re nulla indigeremus) Qui necessitatem communem seu indigentiam societatum humanarum causam statuunt, talem fere exhibent genealogiam:

Indigentia communis

Metus.

Societas.

Jus naturale.

Sed

Sed enim jam supra ostendimus, recte concludere Lælium apud Ciceronem, a natura & virtute potius, quam imbecillitate societatem esse ortam, quodque amicitia non sit consecuta utilitatem, sed utilitas amicitiam: *quis enim*, inquit, *est, qui velit, ut neq; diligat quenquam, nec ipse ab ullo diligatur, circumfluere copiis omnibus, atque in omnium rerum abundantia vivere.*

Occasionem dedit utilitas) Ita etiam jus naturale & civile a se invicem distinguit JCtus Paulus in *l. penult. ff. de justit. & jur.* Jus naturale siquidem ad solam justitiam & honestatem dirigitur; in civili vero, quamvis honestatis ratio etiam habeatur, tamen utilitas potissimum inspicitur.

Utilitatem aliquam spectare solent) vel communem civium, vel propriam imperantis. Et hic probare nequeo, quod tradit Franciscus a Victoria *relect.* 4. *num.* 18. non obligare legem in conscientia, cui nulla communis, sed propria legislatoris subsit utilitas. Nec enim decet bonum civem formam Reipublicæ evertere. At dari ejusmodi formas, in quibus vel unus, vel pauciores, vel plurimi, nulla omnium habita ratione, ad privatos usus cuncta intervertunt, ab Aristotele disci potest, 8. *Ethic. cap.* 12. & 4. *polit. c.* 12.

Ita

Ita inter civitates aut omnes) Eodem modo diſtinguit jus gentium, uti vocat, ſecundarium, Albertus Bolognetus *de leg. jur. & aq. c. 23. n. 7.* qui ad hunc Grotii locum conferri poteſt.

Perpetuæ utilitates continentur) Pluribus id exponit Grotius *infr. lib. 1. cap. 4. num. 4.*

Niſi vires miniſtras habeat) Quia dubia ſæpe & anceps eſt controverſia inter litigantes, & unusquisque eorum nimio ſui amore juſtam ſe tueri cauſam jactitat, maximo omnium commodo inſtituta ſunt judicia, in quibus jus dici cœpit. Sed quia nec tum quidem ſatis conſultum fuit tranquillitati publicæ, dum parere ſententiis judicialibus ſemper grave viſum eſt condemnatis, propter improbitatem hominum contumacium neceſſe fuit, partem aliquam imperii jurisdictioni jungere, ut magiſtratus, hac poteſtate armatus, jurisdictionem ſuam defendere, & quæ vi jurisdictionis ſuæ ſtatuit atque decrevit, executioni mandare poſſet, cæteraque facere, ſine quibus jurisdictio foret eluſioria, *l. 1. in fin. & l. ult. ff. de offic. ej.*

Deſcribit Plato) Platonis verba etiam obſervavit Tacitus *l. 6. annal.* ubi eum præſtantiſſimum ſapientiæ appellat. Verba Pla-

Platonis ex *lib.* 9. *de Republ.* hæc ſunt: *Mendicus revera eſt* (ſcil. tyrannus) *ſi quis univerſum ipſius animum recte norit inſpicere, plenus formidinis per omnem vitam, plenus mœroris & cruciatuum.* Hæc ad Tiberium Imperat. applicat Tacitus *d. l.* poſtquam ejus epiſtolam ad Senatum, qua ſummam malorum ſuorum, ut Suetonius loquitur, profeſſus fuerat, recitaſſet.

Nulla eſt tam valida civitas) Præter hanc indigentiam, etiam naturale præceptum mutui amoris Reges & populos ad juſtitiam excitat, quippe quod latius ſe diffundit, quam ſunt ejusdem civitatis pomœria. Atque id non ſubditos tantum inter ſe, ſed & Reges inter ſe, & populos inter ſe, etiam tales, qui maxime ſufficientes ſibi ſunt, obligat. Eleganter Suarez. *l.* 2. *de leg. c.* 19. *n.* 9. *Ratio hujus juris eſt*, inquit de jure gentium, *quia humanum genus, quamvis in varios populos & regna diviſum, ſemper habeat aliquam unitatem, non ſolum ſpecificam, ſed etiam quaſi politicam & moralem, quam indicat naturale præceptum mutui amoris & miſericordiæ, quod ad omnes extenditur, etiam extraneos, & cujuscunq; nationis. Quapropter licet unaquæq; civitas perfecta, Reſpublica aut regnum ſit in ſe communitas perfecta, & ſuis membris conſtans, nihilominus qualibet illarum eſt etiam membrum aliquo modo hujus uni-*

universi, prout genus humanum spectat. Nunquam enim illa communitates adeo sunt sibi sufficientes sigillatim, quin indigeant aliquo mutuo juvamine, & societate ac communicatione, interdum ad melius esse, majoremque utilitatem, interdum vero & ob moralem necessitatem. Hac ergo ratione indigent aliquo jure, quo dirigantur, & recte ordinentur in hoc genere communicationis & societatis. Et quamvis magna ex parte hoc fiat per rationem naturalem, non tamen sufficienter & immediate quoad omnia: ideoq; specialia jura potuerunt usu earundem gentium introduci &c.

Judicia enim vigent) Non arbitror, verba hæc, prout jacent, intelligi debere in eo sensu, quod inter partes judicia institui nequeant, cum imo toto die hoc contingat, quod inter se pares in judiciis litigent. Et ipsi etiam Principes inter se in ejusmodi judicia compromittere possunt, & haud raro solent.

Non minori religione) Ordinata enim debet esse vindicta tum ante ingressum belli, ut quærantur & tententur omnia satisfactionis media, antequam executio per arma fiat; tum in progressu, ut etiam inclinata jam parte altera, nihilominus promptus sit victor acceptare transactionis conditiones, etiam cum damno rerum fortunæ; tum deni-

denique in egressu & parta jam victoria, ut servetur proportio inter læsionem & pœnam, inter damnum & quantitatem restitutionis. Hülseman. *in breviar. supplem. de magistrat. polit. n. 6.*

In bellis justitiæ conscientia) quæ non tantum in causis belli gerendi attenditur, sed etiam in intentione. Hæc enim vel maxime requiritur ad belli justitiam. Vid. Petr. Binsfeld. *ad c. 8. X. de injur. & damn. dat. q. 1. concl. 4.*

Prosperi successus) Ex eventu in moralibus non est judicandum vel de causis, vel de consiliis. Est enim, uti eleganter ait Aristot. 1. *Eth. c. 3.* in iis rebus, quæ honestæ & justæ sunt, quasq; scientia civilis considerat, tanta varietas, tantaque aberratio, ὥστε δοκεῖν νόμῳ μόνον εἶναι, φύσει δὲ μὴ, ut videantur opinione solum (ita enim illud νόμῳ hic vertendum) constare, non autem natura.

Multi homines minime mali) præter eos, qui veræ Ecclesiæ membra non sunt, ut sunt Anabaptistæ & Photiniani. De re ipsa agetur plenius *lib. 1. cap. 2.*

Cujus disciplina) Non Christianum tantum hæc spectat disciplina, sed omnes in universum homines, nec præcipue in hominibus diligendis consistit, sed maxime & principaliter in cultu & dilectione Dei.

Jo-

Johannes Ferus) Vir Caroli V. temporibus non incelebris, ordinis Minorum & Moguntiæ Concionator disertissimus. Pleraque ejus scripta sunt exegetica. Utriusque autem & Feri & Erasmi verba cum censura sua exhibet Sixtus Senensis *bibl. sanct. lib. 6. annotat.* 115. & 156.

Erasmus nostras) Si per pronomen *nostras* patriam intelligit Grotius, salva res est; si sectam, in plerisq; vix conveniet Erasmo cum Grotio. Imo vero cui & Erasmus & Grotius Ecclesiæ magis addictus fuerit, nondum satis liquet. Vidit Erasmus ingentes in Papatu errores,& ex hoc lacessere istam Ecclesiam cœpit,strenue tum negotium istud curante Luthero. Et exhinc meruit, quod Bellarminus eum relatum voluerit inter semi-Christianos: Possevinus nomen ejus expunctum voluerit in omnibus scriptis Catholicorum; alii aliter ei insultaverint, uti in compendio ista talia exhibet Dorscheus *in detect. mal. fid. pap. circa prob. SS. Trin. pag.* 110. Richard. Montacutius *exercitat.* 5. *sect.* 4. Sed nec Calviniani eum prorsus sine nota commendant, uti videre licet apud Gisbertum Voët. *disp. de atheism. p. m.* 207. Dum igitur huc illud fluctuat, & inter partes controvertentes ἐπαμφοτερίζει Erasmus, Viri quidem perquam eruditi nomen meruit, non tamen boni Theologi.

Pacis & Ecclesiasticæ) Non aliam, ni fallor, intelligit pacem Ecclesiasticam, præter eam, quam syncretismus parit. At talem semper repudiavit Ecclesia orthodoxa, cum τῶν πιστῶν seu credibilium mutuo adversantium per rerum naturam nulla detur conciliatio. Quomodo ergo fieri poterit inter sectas contradictorie a se invicem diffidentes pax Ecclesiastica? & quomodo studere quisquam huic poterit?

In alteram reflectere) Stoicorum hic erat modus expiandi vitia, qui per contraria procedebant, & ut maxima tollerent vitia, ne minima quidem permittebant. Vid. Heins. *de Satyr. Horat. lib.* 1. *pag.* 55. *seq.*

In muneribus publicis) Grotius admodum juvenis ordini Advocatorum Hagæ Comitis adscriptus est, cum decimum septimum ætatis annum adhuc ageret, fisci deinde patrocinium suscepit apud Ordines Hollandiæ, aliquando etiam Syndicatum gessit civitatis Roterdamensis. Batavorum suorum jura in commerciis Indicanis apud Regem Magnæ Britanniæ strenue adseruit, & Regni Suedici tandem Oratorem apud Galliarum Regem egit.

Quæ

Quæ ex dominio naſcatur obligatio) Paradoxon hoc videri poſſet juris civilis Interpreti, naſci ex dominio obligationem, metuenti ſcilicet, ne hoc modo duo maximè diſtincta, dominium & obligatio, confundantur. Præſertim cum diſerte dixerit Imperator in §. 1. *Inſt. de action.* nullo jure obligari domino poſſeſſorem. Cum Grotio tamen facit Johannes Gœddæus *ad l.* 12. *ff. de V. S. n.* 4. Et plerique etiam Interpretes, verba Imperatoris *nullo jure*, exponunt de nudo jure conventionis aut maleficii. Et ut maxime juri civili adverſa eſſet hæc Grotii phraſis, non repugnat tamen ea juri naturæ, quod principaliter ubique attendit Grotius.

Ad gratiam conſulentium) Et ex hoc recte concludunt nonnulli, majorem deciſionibus JCtorum, quam conſiliis fidem eſſe attribuendam. Ventur. de Valent. *in Parthen. litigioſ. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 30. 31. Hartman. Piſtor. *part.* 3. *q.* 20. *n.* 25.

Tam certas, ut eas nemo negare poſſit) Tam certas non ubique habet Grotius. Et certe vim ſibi inferret, qui credere velit Grotio, vindictam privatam, mendacium & ejusmodi alia jure naturæ licita eſſe.

Per se patent, atque evidentia sunt) Quia propter corruptam naturam variant ingenia hominum, non omnibus æque evidentia sunt, sed alia aliis notiora sunt ac fiunt, ita ut etiam apud Judæos nova promulgatione legis divinæ opus fuerit. Vid. Hugo de Roy *de eo, quod justum est, lib. 1. tit. 3. n. 9. seq.*

Aut communis aliquis consensus) Ille consensus potest esse vitiosus. Sic enim aliquando latrocinia extra fines plerisque gentibus nullam habebant infamiam, sed pro licitis habebantur, fatente ipso Grotio *l. 2. c. 15. n. 5.* Non igitur licebit inferre: Hoc a plerisque ita fuit observatum; Ergo est juris naturæ aut gentium: Sed necesse est, ut ubique recta ratio consulatur, quantum quodque ei conveniat. Naturale est, inquit Michaël Ephesius *ad Nicon. c. 3.* τὸ παρὰ τοῖς πλείστοις καὶ ἀδιαστρόφοις καὶ κατὰ φύσιν ἔχουσιν, quod apud plerosque non corruptos, sed naturæ convenienter se habentes obtinet.

In ipso operis contextu apparebit) Inprimis libro tertio, ubi plena manu talia exempla proponit.

Non in tyrannidem abiisset) Quod

Quod in moralibus hic conqueritur Grotius cum animi quadam indignatione, id in Physicis ſalſe perſtringit Galilæus a Galilæis, eruditiſſimis de ſyſtemate mundi dialogis. De Colonienſibus refert Balæus, annumeraſſe eos divis Ariſtotelem, & librum etiam typis evulgaſſe ſub titulo: *de ſalute Ariſtotelis.* Alium etiam librum eosdem illos ſcripſiſſe de vita & morte Ariſtotelis, in cujus calce concluſionem fecerint, Ariſtotelem ſic fuisſe CHRISTI præcurſorem in naturalibus, quemadmodum fuerat Baptiſta in gratuitis. Non tamen ſemper & apud omnes ea fuit Ariſtotelis autoritas. Extat adhuc Juſtini Philoſophi ac Martyris ἀνατροπὴ δογμάτων τινῶν Ἀριστοτελικῶν, in qua de Ariſtotele diſerte ſcribit, quod nihil veri de rebus, quas ſibi definiendas ſumſerit, adferat. Et ex manuſcripto quodam Rogeri Bachonis Franciſcani refert Johannes Seldenus *de jur. nat. & gent. lib. 1. cap. 2.* ſub tempus iſtud, quo inſtitutum eſt Sorbonæ Collegium, damnatos fuiſſe Ariſtotelis Phyſices & Metaphyſices libros, ut Chriſtianiſmo nimis diſſonos.

Sed quod nullam eſſe ſectam putarent) Id quidem in Philoſophicis concedi debet Grotio: Sed in rebus fidei ferendum id non eſt. Et iſtud tamen etiam hic ei ſolenne eſt.

Nihil aliud esse, quam vere Christianam) Materia quidem potest esse eadem, sed variat tamen forma. Disciplina enim Christiana fidem requirit, sine qua impossibile est placere DEO, & quæ hinc omnes virtutes facit vere Christianas. Ubi obiter noto, Christiano non satis convenire summum istud bonum, quod Robertus Sharrok *de offic.c.1.n.6.& 7.* ponit in complacentia sui ex virtutis exercitio, & jucunditate, quæ ex benefactorum memoria proficisci solet. Facile enim illa in Pharisaicam animi elationem atque superbiam degenerat.

Et Platonici nonnulli) Platonici hoc inprimis vitio verterunt Peripateticis, quod quantitate potius, quam qualitate mediocritatem illam, in qua virtutem ponebant, distinguerent. Sic enim ad vitium abire, qui nimium virtuti aut honesto addictus esset. Ipsi igitur ex qualitatibus virtutes & vitia definiebant, & nec quicquam esse nimium, quod turpe non esset, neque alio, quam non honesto, definiri posse vitium; nec qui nimium virtuti, aliter quam bene, neque qui parum vitio addicti essent, aliter quam male posse agere, contendebant. Vid. Heins. *de Sat.Horat.lib.2.* Ipse Aristoteles dubium relinquit Lectorem suum in

in definienda mediocritate, quam virtuti attribuit. Ubique loquitur de excessu & defectu, sed medium tamen ipse nullibi determinat, nec distincte exponit, quousque se extendat virtuosi hominis officium.

Puta liberalitatem & parsimoniam) Diversissimæ sunt hæ virtutes. Illa in dando consistit, hæc in erogando; illa donationem denotat, hæc impensas. Et hinc Machiavellus parsimoniam in Principe præferebat liberalitati, quod non improbat Christoph. Forstnerus. *in l. 2. annal. Tac. p.* 114. Sane quas duas ponit Aristoteles notas hominis liberalis, *τὸ μὴ ἐπιβλέπειν ἐφ' ἑαυτὸν* & *τὸ μὴ τιμᾶν τὰ χρήματα*, quomodo in eum conveniant, qui rem propriam propriis sumptibus curat & agit, haud facilè dixerim.

Minime ex æquo respondentia) Comprehenditur utrumque sub vocabulo & definitione mendacii, & gradibus tantum differunt. Quod si veritas medium est inter duo extrema in defectu & excessu peccantia, excessus erit, si quis nimium verax fuerit, non si mentiatur. At quia veritas tantum unica est, & de hoc dubitari poterit, num excessive quis verax esse possit, & de illo, num propterea reprehendi debeat. Inter mendaces autem, quorum alter in ex-

cessu, alter in defectu peccat, medius est ille, non qui veritatem dicit, sed qui mediocriter mentitur.

Aut vitia per se non sunt) Parum abest, quin Grotius universam Aristotelis Ethicam hic subvertat. Sed excusari tamen in aliquibus poterit Aristoteles saltem eo nomine, quod Gentilium de virtutibus & vitiis opiniones gentilis ipse secutus, altius tum adspirare noluerit, quam inter gentiles maxime prudentes receptum fuerat. At tum pro stupido, & abjecti atque servilis animi homine habebatur, si quis omnes in universum honores aversaretur, nec ad iram concitari posset, ut maxime famæ & existimationi suæ vis illata fuisset.

Cum in affectibus) secundum quos aliquis nimium justus in excessu dici debuisset, quod tamen perinde, uti de veritate diximus, vitium nullo modo erit.

In rebus ipsis) quatenus plus vel minus tribuit. Atque hinc alias virtutes dicunt consistere in medio personæ, justitiam autem in medio rei. Quinimo contendunt aliqui, non nisi unicum vitium formaliter, justitiæ opponi, id scilicet, quod per defectum a justitia recedit; nec enim injustitiam proprie & formaliter cerni in eo, quod plus uni quam alteri detur, sed in eo,

quod

quod alteri minus obveniat, quam oporteret, id quod priori semper conjunctum est.

In alieni abstinentia) Justitia enim moderatur hominis actiones in ordine ad alterum. Ea autem acceptio vocabuli justitiæ, qua denotatur ordinatio appetitus ad rationem, & qua quis in seipsum injustus dici potest, metaphorica est & abusiva. Vid. Franciſc. Zoannet. *ad l. 3. ff. de justit. & jur. n.* 4.

Proprie ad injustitiam pertinere non vult) Non omnino negat Aristoteles, ad injustitiam talia pertinere, sed hoc negat, pertinere ad injustitiam istam, quæ πλεονεξία dicitur. Potest enim actus unius vitii referre ad actum alterius, quemadmodum etiam una virtus excitare, & ad opus proprium admovere potest alteram. Ita si quis ob libidinem explendam furatur, actus is est injustitiæ, sed propter intemperantiam commissus. Quemadmodum si quis fortis exercitum privato sumptu conscribit, ut patriæ succurrat, magnificentiæ id opus est, ad quod tamen fortitudo eum instigavit. Semper igitur in actionibus sive virtuosis, sive vitiosis respiciendum est ad id, quod prævalet. Conf. scepti-

ce hic differentem Arnoldum Vinnium *ad pr. Inst. de justit. & jur. n. 4.*

Superstitio enim) Superstitiosos a piis & impiis hoc modo distinguit Annæus Robertus *lib. 1. rer. judicat. cap. 11. Viri pii,* inquit, DEUM *cum amore timent, & quasi amabile Numen venerantur: Impii & ἄθεοι nullos esse Deos existimant: Superstitiosi divinum Numen formidant, non quia illud aut ament, aut venerentur, sed quia divinas pœnas tremunt, & cœleste Numen, ne quod malum immittat, horrent. Religio Deos colit, superstitio violat, inquit Seneca. Varro dicebat, Deos a religioso vereri, a superstitioso timeri.*

Aristotelem magnifacere) Pendet enim Philosophia peripatetica, si Aristobulo credendum est, apud Clementem Alexandrin. *strom.* 5. ex lege Mosaica, atq; aliis Prophetis. Sed & extra hunc respectum acutius cernit Aristoteles, quam reliqui Philosophi pene omnes.

Præsertim consentientia) Dum enim ipsos etiam Historicos nonnullos adulandi invasit cacoëthes, dubium non est, in recensendis judiciis tempori eos quandoque inserviisse. Meminerimus igitur (applico hic verba Grotii *ex lib. 1. c. 3. n. 5.*) non omnia probare, quæ a quamvis præclaræ famæ auctoribus dicuntur. Sæpe enim tempori, sæpe

pe affectibus serviunt, & aptant τῷ πίτρῳ σάθμλω. Quare danda est opera, uti in his rebus defecato utamur judicio, nec quæ excusari magis, quam laudari possunt, temere in exemplum rapiamus, in quo perniciose errari solet.

Poëtarum) Primos tamen se sapientiæ professores jactitant Poëtæ, quorum & Philosophorum antiquam hac de re contentionem memorat Plato *in libb. de Republica.*

Cum discrimine antiquæ & novæ legis) Hæc est illa labes, qua elegantissimum hoc opus perpetuo deformat Grotius. Didicerat istud discrimen a Socinianis, qui Christum novas Leges Mosaicis addidisse contendunt, & hinc ex Christo Legislatorem faciunt. Dogma hoc cum semel imbibisset Grotius, non potuit sibi temperare, quo minus Socinianorum partes strenue ageret, & sibi non unis vicibus in applicatione istius distinctionis valde placeret. Sed vero non venit eo fine Salvator generis humani, ut Legem Mosis ejusq; obligationem augeret, sed ut gratuitam salutem doceret, *Ebr. VIII.* 10. *seq.* Et fuit quidem ille, dum Legem Mosaicam a corruptelis Judæorum vindicavit, Legis doctor eximius, Legislator tamen nunquam fuit, nec ullam

ullam propofuit legem, quæ in V. T. antehac non fuerit cognita, aut promulgata. Vid. Menzer. *in Exegef. A.C.art.20.n.5.* Passim igitur in tractatione monendus erit Lector, ubi fuum hoc dogma repetiturus fuerit Grotius.

Jus DEI) Poffunt hic exemplum effe bella DEI, uti vocantur, quæ fcilicet ex præcepto divino a populo Ifraëlitico adverfus aliquot gentes gerebantur. Non enim omnia ea, quæ ex præcepto DEI jufta erant, imitari licet cuivis in quovis bello alio. Alia exempla habet Sim. Epifcopius *in Inftit. Theol. lib.1.c.8.n.2.* Sed Grotius jus DEI latius extendit, quod poffit fcil. pro lubitu hominem in nihilum redigere; atque id, pofita certa hypothefi, aliquando negavimus.

Nullũ antiqui fœderis ufum) Videri poterit Sixtus Senenf. *bibliothec. fanct. lib.8.hæref.1.* Sed & Photiniani Veteris Teftamenti autoritatem elevant, quorum verba collegit Hornejus *tract. de Script. Sacr. pag. 3.*

Hebræi fcriptores) Hinc igitur fæpius judaizat Grotius, & Hebræos cœca perfuafione fequitur. Rectius de illis fentit Ifaacus Cafaubonus *exercitat. 16.n.15. Rabbinis,* inquit, *ubi de lingua Hebraica agitur, & vocis*

vocis alicujus proprietate, vel aliquo Thalmudis instituto, a Christianis tribuatur non parum: ubi vero a verbis venitur ad res, aut ad historiam, vel rerum antiquarum veteris populi explicationem, nisi falli & decipi volumus, nihil admodum illis est fidei habendum. Pari modo Josephus Scaliger *de emendat. temp. lib.* 7. de iis scribit, consulto videri ignorationem bonarum rerum profiteri. Et Petrus Cunæus *de Rep. Ebr. lib.*1.*cap.*14. unum, putat, in sua gente Majmoniden, qui tamen pleraque sua ex Thalmude fabuloso transcripsit, recte intellexisse, quid hoc sit, non ineptire. Add. Gisbert. Voët. *de Judaismo disp.*

Quod non aliunde disci possit) Quod mores attinet, non minus id disci potest ex Veteri Testamento. Et hoc Grotii assertum iterum olet lucernam Socinianam.

Generosi esse consilii) Ad Pontificios hic se recipit Grotius, & parum abest, quin cum iis statum aliquem perfectionis comminiscatur. Audiamus Bellarminum, ut collatio institui possit verborum. Sic autem ille *lib.*2.*de membr. Eccles. milit. cap.*7. *Consilium perfectionis est opus bonum a Christo non imperatum, sed demonstratum, non mandatum, sed commendatum. Differre*, ait porro, *a præcepto ex parte materiæ, quod sit dif-*

difficilius & melius; ex parte subjecti, quod non sit omnium, sicut praeceptum; ex parte formae, quod non obliget vi sua, sed in arbitrio hominis positum sit; ex parte effectus, quod non habeat poenam, si non servetur, majus vero praemium, si servetur. Legantur jam verba Grotii, & apparebit, parum ea ab his Bellarmini differre. Jam diu autem observarunt Theologi Orthodoxi, totam hanc Pontificiorum doctrinam varias parere corruptelas. Vid. Chemnit. *Loc. de discrim. pracept. & consil.*

Synodici canones, qui recti sunt) Bene ait, *qui recti sunt.* Non enim omnium conciliorum eadem est autoritas, & hodie, quatenus recipi debeant canones quarundam synodorum, acriter inter partes disputatur. Nec verum est, quod volunt Romani Episcopi assentatores, eandem hodie esse autoritatem conciliorum per Pontifices Romanos convocatorum, quae fuerit olim Synodi Hierosolymitanae, tempore Apostolorum. Vid. M. Zuer. Boxhorn. *histor. universal. p. m.* 104. Neque recipiendi aliter sunt canones cujusquam concilii, nisi quatenus Sacrae Scripturae non fuerint adversi.

Sed & mores) Neque hi quidem laudandi, aut recipiendi sunt, nisi quat. Scripturae Sacrae non repugnant. Facilis enim est

est Ecclesiæ lapsus in superstitionem, πλεονεξίαν, φιλαργυρίαν, & alia vitia. Deinde vero necesse est, ut plurium particularium Ecclesiarum mores conveniant, alias enim unius particularis Ecclesiæ mores pro canonibus valere, extra istam Ecclesiam, non concesserim.

Auctoritas est eorum, qui suis quique temporibus) De patrum auctoritate nota sunt verba Augustini *contra Crescon. Grammatic. lib. 2. cap. 32. Quicquid in patribus Scripturarum autoritati congruit, cum laude eorum recipito, quod non congruit, cum pace eorum rejicito.* Pulchrum itaque est & utile, imo quandoque necessarium, ostendere, quid in Ecclesia quovis tempore obtinuerit, vel circa veritatem doctrinæ, vel circa interpretationem Scripturæ, vel circa testificationem historicam. Sed eorum tamen consensus nequaquam est infallibilis, sed probabile tantum præbet argumentum, etiamsi de re non sacra testimonium dederint. Vid. Augustin. *Epist.* 48. Adscribam verba Francisci Titelmanni Ordinis Fratrum Minorum, sanctarum Scripturarum apud Lovanienses Prælectoris ex *lib. 5. Dial. cap. 32. Ab autoritate Patrum merito probabile erit argumentum, potissimum quando de ea re agitur, cui alius nemo posterior vel paris vel majoris autoritatis post plurima se-*

cula

cula ausus est contradicere. Ut si hæc dixerit Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Cyprianus, Tertullianus, vel alius hujusmodi, & nemo orthodoxorum patrum id tanquam falsum reprehendit, neq; Ecclesia unquam contrarium declaravit, admodum probabiliter colligimus, id verum esse &c.

Ad primæ puritatis tempora) Post priora enim quinque secula AntiChristi machinationes magis magisque invaluerunt, propter quas cum inficeretur indies Ecclesia, mirum non est, Doctoribus talia excidisse, quæ a puritate prioris Ecclesiæ multum recesserunt. Recte igitur Grotius consensum Patrum ad primæ puritatis tempora restringit, quippe quibus Ecclesiæ Doctores tum doctrinæ puritate, tum morum integritate excelluerunt, ut in utroque genere merito nunc ab eis consilia petantur. Et oppido falluntur, aut fallunt potius hodierni Moralistæ, qui difficultates, quæ circa fidem emergunt, e veteribus hauriendas, doctrinam morum autem a recentioribus sumendam esse, imprudenter asserunt, quos idcirco atro carbone notat Ludovicus Montaltius *epist. provincial.* 5.

Et artium bonarum ignara secula inciderunt) Imo vero ipsimet ignorantiam talem sponte affectarunt, & bar-

barbare loqui in deliciis habuerunt, ſuiq; ſeculi ruditatis cauſa fuerunt tantum non unica & præcipua. *Non contenti erant*, inquit Georgius Wicelius *vita reg. prima illa atque originali puraque Theologia, nec ſat habuerunt Latino ſermone uti, quemadmodum antiquiſſimi & eruditiſſimi Eccleſiæ Patres, niſi novum loquendi & ſcribendi genus excogitaſſent, malentes barbare, quam Latine ſua diſputare placita, & Eccleſiæ dogmata intricare magis, quam extricare, magisq; obſcurare, quam elucidare. Quo fit, ut parum abſit, quin iſtiusmodi* ματαιολογίῃ *omnem calamitatem, qua hodie Eccleſiam obruit, uni debeamus* &c. Pari modo Johannes Gerſon jam ſuo ſeculo conqueſtus eſt, quod Scholaſtici loquantur & fingant ſibi ad placitum terminos, quos alii Doctores & Magiſtri non intelligant, nec intelligere curent, dicant incredibilia, & abſurdiſſima, quæ ex ſuis abſurdis fictionibus deducunt, ſequi, *tom. 4. num.* 18.

Modeſtiæ exemplum) Sed omnem eam modeſtiam obfuſcavit ſubtilitatis inanis & quæſtionum frivolarum ſtudium, propter quod Theologia Scholaſtica Georgio Wicelio *d. libr.* non immerito dicitur pſeudo-theologia garrula, omnibus bonis faſtidita, paucis ad oſtentationem adamata, nemini utilis, niſi ad ſubverſionem veritatis Apoſtolicæ, & veteris Theolo-

giæ detrimentum summum &c. Facetus est in eam rem Erasmus in *Encom. Mor.*

Primum eorum est) ex quorum sc. operibus atque fragmentis, constitutionibus & rescriptis hodie jus Romanum constat.

Primis multum defero) Præterquam enim, quod eo tempore vixerint, quo bonæ artes & omnis generis studia maxime floruerunt, etiam plerique Imperatorum & Principum Consiliarii fuerunt; Et Papiniano inprimis hoc laudi fertur, quod pene omnes ejus discipuli Alexando a consiliis fuerint, attestante Lampridio. In publicis ergo æque ut privatis dum versari operam eorum oportuit, quantum juri gentium, quantumque civili tribui debeat, quotidiano usu perfacile didicerunt. De uno Papiniano solidum hoc fert judicium Cujacius *in Epist. dedicator. Cod. Theodos.* quod fuerit omnium, qui sunt, qui erunt, quiq; fuerunt, jurisperitissimus. Et Franciscus Balduinus *in præfat. Comment. ad Institut.* veneratur atque laudat DEI providentiam in hoc, quod excitaverit summos illos viros, Josephum in Ægypto, Danielem in Babylonia, Athenis Periclem, Romæ Papinianum, ad conservandam humanam societatem, & justitiæ splendorem.

No-

Nomina hæc ſæpe miſceant) Exempla ſunt in *l. 9. l. 11. ff. de I. & I. l. ult. pr. junct. l. 14. §. 2. ff. d. rit. nupt. l. 31. ff. depoſ. l. 19. pr. ff. de capt. & poſtlim. l. 84. ff. de R. I.* Fit autem iſta nominum confuſio quandoq; exinde, quod jus gentium in quibusdam juri naturæ & rationi naturali ita cohæreat, ut difficulter a ſe invicem ſecerni poſſint. Dicam ea de re ad *lib. 1. c. 1. §. 10.*

Sæpe tractant promiſcue) Hoc eis vitio verti non poteſt. Non enim aliis gentibus, ſed Romanis tantum jura explicarunt, quorum nihil intererat noſſe, num jure gentium, an vero proprio civili id ita conſtitutum eſſet; præſertim cum materia illa in jus publicum incidat, quod juri gentium proxime adſiſtit, quando cum aliis gentibus agendum eſt.

Secunda claſſis) De Accurſio, Bartolo, & reliquis ejus ætatis JCtis videri poteſt Arthurus Duck *de autor. jur. civil. lib. 1. cap. 5. n. 14. 15.* Sed & alia fuit ejus ſeculi infelicitas, quod gloſſæ gloſſis adderentur, & ex commentariis immenſi alii naſcerentur commentarii. *Hæc cum non explerent obtuſiora ingenia*, (inquit Cujacius *in præfat. paratit. ad Digeſt.* loquitur autem de gloſſis brevibus, & interpretatione, quæ fit *κατὰ πόδα*) *nec ſatis jus illuſtrare viderentur, ſuper-*

venere alii, qui non mutato nomine glossas auctiores redderent, quam pateretur ipsum glossarum nomen, atq; ita paulatim glossæ gravidæ factæ quæsiverunt sibi liberos, ingentes, immanes, insanos commentarios &c.

Definire voluit ex legibus Romanis) Sed & recentiores quidam sunt, qui jus Románum pro jure naturali & gentium haberi volunt, quos citat Arthurus Duck *d.l.1. c.2.n.6.*

Quo minus recte leges illas intelligerent) De ipso Accursio hujus classis antesignano Antonii Contii testimonium est, eum ex Azonis præceptoris sui ad singulas leges commentariis, manuscriptis, suppressis, & nunquam typis excusis, majorem glossarum partem decerpsisse, ea interdum inscitia, ut pessima quæque elegerit, optima reliquerit, & verba Azonis Magistri non satis intellexerit.

Artem specialem politicam) Multum hic & varie disceptatur, quousque pomœria & fines suos extendant, quibusq; limitibus contineantur Jurisprudentia & Politica. Ipsi inter se hac in parte colliduntur JCti & Politici, & finium regendorum diu agitatas controversias sæpe cum indignatione repetunt. Illi hos, hi illos sibi mini-

stra-

ſtrare contendunt, & utrique principalem ſibi in Republ. locum vindicant. *Hodie*, inquit Michaël Piccartus *in prolegom. ad Ariſt. polit. Juriſconſulti unice politici eſſe volunt, & pro iis haberi, qui ſi in ſe conſiderentur, quod bona ipſorum venia liceat, ſunt miniſtri politicorum, & tertiam politices partem tractant τὴν δικαστικὴν, hoc eſt, forenſem ſeu judiciariam. Reſpondent enim de jure ſecundum leges, & ſunt, ut veteres gloſſæ loquuntur, interpretes legum. Quod ſi autem conjungant cum judicandi peritia etiam νομοθετικὴν & βουλευτικὴν, politicos eos dici credibile eſt.* Ex mente igitur Piccarti anguſtius & coërcitum magis eſt officium JCti, quam Politici. Albertus Bolognetus nullam ſe dicit invenire diſtinctionem jurisprudentiæ a facultate politica, niſi quod jurisprudentia inſuper aliquarum legum cognitionem profiteantur, quod nec Politico nec morali Philoſopho ſit neceſſarium, ideoque JCtum & Politicum & moralem eſſe oportere, *diſp. de leg. jur. & æq. c.9.n.3.* Et hac ratione etiam Franciſcus Suarez Jurisprudentiam dixit nihil aliud eſſe, quam Philoſophiæ moralis quandam ad regendos ac gubernandos politicos Reipubl. mores applicationem & extenſionem. *tr. de Legib. in proœm.* Enimvero fatendum eſt, in rebus gerendis & Politicum & JCtum concurrere poſſe, & mutuam ſibi præſtare operam; ſed diverso modo & di-

verso fine. Ille, ut recte Grotius hic exponit, utile sectatur, & tale quidem, quod facere potest ad salutem & tranquillitatem Reipubl. Hic justitiam sibi habet propositam, & num justus sit actus, de quo disceptatur, examinat atque decernit. Quia igitur aliquid potest esse utile, quod justum non est, vicissim aliquid justum, quod utile non est, & tamen & utile & justum id esse oportet, quod bonum publicum promovere debet, factum hinc, ut in formando statu & Politici & JCti judicium requiratur, in hunc finem, ut ille, quod utile, hic, quod justum sit, definiat. Ut maxime vero etiam Politicus quandoque id, quod justum est, determinet, non tamen id facit, quatenus est politicus, sed hoc ipso JCti munus gerit, & terminos suos transgreditur. Vice versa si JCtus hoc agit, ut non tantum, quod justum, sed etiam quod Reipubl. comodum & salutare est, sectetur, extra provinciam suam in alio vitæ genere se exercet, & notissimos Jurisprudentiæ terminos excedit. Habet nempe unaquæque disciplina suos limites, qui in materia communi per modum considerandi aut operandi constituuntur, & intra eos sibi, quod suum est, vindicat. Et vero multo latiores sunt fines Jurisprudentiæ, quam vulgo putantur, aut ab eruditis etiam quandoque poni solent. Nec enim admitto, quod communiter asseritur, JCtum non per
se

se jus considerare, sed quatenus receptum est, & approbatum legibus humanis; non minus quidem eum, quam Philosophum, juris naturalis cognitionem profiteri debere, sed tamen eatenus tantum, quatenus ad humanarum legum interpretationem est necessarium, & quatenus ipsarum pars est, uti loquitur Alb. Bolognetus *cap.* 21. *n.* 1. Nolim ego tam angustis terminis coërceri Jurisprudentem, & latiorem ejus esse palæstram, ipsa definitio Jurisprudentiæ ab Justiniano tradita ostendit. *Justum & injustum*, inquit ibi Ægidius Hortensius *in comm. hoc loco multo latius patet, quam jus civile aut leges, quia omni juri civili, omnibus legibus inest æquum & bonum, non contra.* ---------- *Quod si ita est, JCti certe profitentur se potius Legumlatores, qui vel justum vel injustum, æquum & bonum in jus civile transferre, quamlibet civitatem optime constituere, paci morem imponere possint, quam legum interpretes, se potius juris civilis autores quam professores.* --------- *Sic JCti non solum ad leges & cateras juris civilis species jus exigunt, sed etiam ad æquum & bonum, ad justitiam propriæ spontis, ad rationem & intelligentiam* &c. Non minus igitur sub ratione justi Reip. consulit justitiæ sacerdos, quam sub ratione utilis politicus. Nec quisquam horum in bene ordinanda Rep. alterius ope carere potest. Politicus enim, qui nulla habita justi aut injusti ratione, & sic seposito

JCti officio, utile tantum Reipubl. suæ commendat, multum sæpe aberrabit, & ad Machiavelli ingenium sese componet, Vice versa JCtus dum justum & injustum discernit, non bene ordinat Rempubl. si solo justitiæ respectu, nulla habita ratione utilitatis, id quod justum est Reipubl. consuluerit. Propter diversa enim hominum ingenia non omnes Rerumpubl. formæ quibuscunque societatibus civilibus commodæ sunt, nec in illis etiam, quæ aut monarhicæ sunt, aut oligarchicæ, omnia vel monarchica vel oligarchica præcepta locum inveniunt, nec proinde omne, quod justum est, cuivis Reipubl. conveniens est. Faciat ergo Politicus, faciat JCtus, quod suum est, & sic junctis utriusque studiis informabitur Resp. civitati commodissima.

Eandem sibi in me sumant!) Permittant ergo hoc, quotquot Grotio vel sanguine, vel affinitate, vel affectu juncti fuerint, nec moleste ferant, si quis ab eo dissentiat.



CUM



CUM BONO DEO!

IN

HUGONIS GROTII
DE
JURE BELLI & PACIS
Lib. I. Cap. I.

§. 1.

Diversarum sunt gentiū) Illos propterea nulla juris Civilis tenet communio, quia extra territorium jus dicenti impune non paretur, *l. ult. ff. de jurisdict.* Ubi ergo nulla vis ἀναγκαστικὴ, ibi omnis continuo vacillat obligatio, imo ne est quidem. Ex quo fit, quod in resolutione multorum textuum Codicis probe dispiciendum sit, a quo & ad quem ejusmodi edicta fuerint edita. Etsi enim duorum aut trium Impp. nomina plerisque legibus & constitutionibus præscripta inveniantur, tamen, quia divisis illi Imperium Romanum gubernarunt partibus, non potuit alter in alterius parte aut territorio potestatem νομοθετικὴν cum effectu exercere. Nisi igitur qui alteri illi parti

præerat, Constitutionem communi nomine editam, alia nova constitutione confirmasset aut repetiisset, (prout factum apparet ex *l. 11. & l. 19. cum seq. C. Theod. de hæret. item ex l. 2. & l. 4. C. Theod. de prox. Comit. disp.*) sperni ista talis Constitutio illic loci absque omni periculo poterat. Conf. *l. 48. C. Theod. de hæret.*

Unde non bellum oriri possit) Qui in controversiis componendis & litibus dirimendis sibi sumunt arbitrium, ante omnia dispicere debent, num reconciliari inter se queant partes. Non igitur hic præmittendum esset Grotio, quid fieri possit, sed quid fieri debeat. Nec tamen magnopere id solicito, cum methodus cuique sit arbitraria.

§. 2. Non actio, sed status) Hac scil. ratione differt bellum & prælium. Cornelius Fronto: *Bellum etiam sine prælio est, cum indicitur. Prælium ipsa pugna.* Nonius Marcellus: *Bellum & prælium hoc differunt, quod prælia partes sunt belli*, i. e. in bello congressiones. Lucil. *l. 26. Ut populus Rom. victus vi, & superatus præliis sæpe est multis, bello vero nunquam, in quo sunt omnia.*

Qua tales sunt) Recte addit istam reduplicativam, quia dantur etiam alii status per vim certantium, ex quibus tamen nullum oritur bellum, in respectu scil.

ſcil. ad alios, cum quibus nulla eſt controverſia.

Cum publico communem habeat naturam) Communem iſtam naturam non poſſum extendere latius, quam ſtatus utriusq; admittit. Et vereor ego, ne hic lateat anguis in herba. Dum enim *lib.* 2. *cap.*20. vindictam privatam licitam facit, ſine dubio ampliorem vult eſſe ambitum communis hujus naturæ.

Bellū ex voce veteri Duellū) Scal.*l.*3.*Poët.*90. *Bellum quia fuit ab initio duellum a duobus. Nam licet multi ſint milites, duæ tamen partes ſunt, & inter duos tantum primum bellum fuit.* Hac ratione dictum etiam fuit olim duidens pro bidens, duellona pro bellona. Et notat Giſanius *in Collect. Lucret. p.*433. fuiſſe duellum olim biſyllabum, ſicut duo monoſyllabum.

Nomen generis ſæpe ſpeciei) e. g. nomen actionis *l.* 28. *de O. & A.* Cognationis §.1.*J. de legit. agnat. tut.* adoptionis §. *I. de adopt.*

§.3. Nam jus hic nihil aliud) De variis acceptionibus vocabuli juris latius agit Dn. Hahn *in obſ. ad Weſenbec. tit. de juſtit. & jur. num.* 14. Colleg. Argent. *tit. eod. num.* 5.

DEUM

DEUM & homines)

Inter DEUM & homines vix eſt, ut ſocietatem admittamus, niſi καταχρηστικῶς propter immenſam, infinitam & ſpiritualem DEI naturam, cui pares eſſe nullæ creaturæ poſſunt. Eſt enim ſocietas communio: At hic nulla communio, niſi ratione ejus, quod naturaliter & ex ſe, ante omnem volitionem divinam, juſtum aut injuſtum, honeſtum aut turpe eſt. Quo nomine tamen adhuc inter ſe accerrime diſputant ſupralapſarii, uti dicuntur, & ſublapſarii, utrum DEUS & homo eodem jure utantur, & uti ſe habet homo ad hominem, utrum ita ſe habeat DEUS ad hominem reſpectu actionum moralium. Vid. Rob. Sharrok *in præfat. lib. de offic.* Quicquid hujus ſit, iſtud certum eſt, poſita licet in hoc genere communione, aliter tamen DEUM, aliter hominem obligari. DEUS nempe ſibi ipſi lex & norma eſt, nec imperium agnoſcit ſuperius, quo adſtringatur: At homo etiam in iis, quæ natura turpia ſunt, imperio divino ſubjacet, & propter imperium iſtud obligatur.

Qua tales ſunt) Extra hunc enim reſpectum, quicquid negocii inter imperantem & parentem interceſſerit, id omne ad jus æquatorium pertinet. In contractibus namque Principes jure privatorum utuntur.

§.4. *Fa-*

§. 4. Facultas, aptitudo, & c.) Facultatem vocat, quando possum exigere id, quod mihi debetur, ideo nempe, quia mihi debetur. Aptitudinem autem, quando non possum ita exigere, dignus tamen invenior, cui præmium e. g. conferatur.

§. 5. Nomine sui appellant) Per suum Filliucius *tr. 31. tom. 2. de just. & jur. c. 2. n. 29.* vult significari id, quod cuique secundum justitiæ leges est debitum, sive sit dominium rei, sive usus & ususfructus, sive possessio, sive quod alteri debetur ex contractu, vel quasi contractu, ex delicto vel quasi delicto, quo quis alteri intulerit injuriam vel damnum.

Potestas tum in se) Proprie nemo potestatem habet in se. Neque enim imperare sibi, neque se prohibere quisquam potest, *l. 51. ff. de recept. arb.* neque etiam dominus membrorum suorum est, *l. 13. ad L. Aquil.* Quatenus vero quis sub nullius est potestate, sed sui juris, eatenus in se quodammodo potestatem tenere dici potest.

Respondet debitum) Debitum dicitur vel eo sensu, ut citra ipsius, cui præstatur, propriam injuriam denegari non possit, uti fit in bonis; vel ita, ut citra alterius injuriam ab eo immunis præstari ne-

nequeat, uti fit in pœnis. Et sic etiam ex delicto datur debitum & creditum, *l. 12. ff. de V. S.* & ibi Gœddæus. Quale tamen num Grotius hic intellectum voluerit, dicere nequeo.

§. 6. *Majus est dominiū Regis*)

Recte addit: *ad bonum cummune.* Princeps enim non potest subditis suis sine causa res & facultates auferre, ne quidem jure civili quæsitas. Quamvis enim sit supra jus civile, ipsum tamen dominium ex jure primævo procedit, ab eoq; jure omnia dominia originem ducunt, quocunq; titulo aut ratione quæsita. Justa autem causa, scil. quæ cum necessitate & utilitate publica est conjuncta, Principi hoc permittit, ut bona subditorum, etiam non consentientium, alienare possit. Etsi enim lex naturalis alteri suum auferre prohibeat, lex tamen alia superior jubet, ut salus publica procuretur, Perez *in Cod. l. 10. tit. 6.* Ut vero dominium aliquod eminens inde cum Grotio extruamus, nulla ratio cogit. Ipsa enim vis imperii propter salutem publicam instituti sufficientem Principi titulum præbet, urgente necessitate utendi bonis suorum subditorum, eo quod omnia ea simul concessa intelligantur, sine quibus obtineri bonum commune non potest. Ambitiosum est vocabulum dominii, idque Principi si tribuendum

fue-

fuerit, vereor ego, ut in officio suo contineri semper possit ille, quantumvis optimus & integerrimus, quod multa secum afferat ejusmodi fortuna, quæ a recto dimovere soleant. Et quid vero metuendum erit tum, ubi Principi id suggeris rerum imperito, privatis intento commoditatibus, publicarum utilitatum pene hosti, addicto voluptatibus, osori libertatis ac veri, nihil minus, quam salutem Reip. cogitanti, sed omnia sua libidine suisque commodis metienti? Tum vero, quæ subditorum futura sit conditio, facile omnibus constat.

§. 7. *Aptitudinem vero*) Vocabulum hoc explicat locus Ciceronis *l. 3. de finib. Æstimabile esse dicitur, sic enim, ut opinor, appellamus ἀξιωτὸν, id quod aut ipsum secundum naturam sit, aut tale quid efficiat, ut selectione dignum propterea sit, quod aliquod pondus habeat dignum æstimatione, quam illa ἀξίαν vocat.*

§. 8. *Ut possessor mea rei*) Imo est ἐκ συναλλάγματος, si vocabulum accipias sensu Aristotelico. Cum enim aliud ipsi vocabulum non suppeteret, quo res simul omnes ad justitiam commutativam pertinentes complecteretur, maluit huic tam latam significationem conferre, ut & contractus & delicta eo comprehenderentur,

tur, quam iterata rerum coacervatione tædium auditoribus creare. Videtur ita & contractus vocabulum usurpari a JCtis *l.* 20. *ff. de judic. l.* 52. *de re judic.* Conf. Arn. Vinn. *in* §. 2. *J. de Oblig. n.* 2. Hornej. *Philos. moral. l.* 3. *c.* 13. *n.* 2.

Contractus societatis) Rectius sentiunt illi, qui in contractu societatis proportionem Arithmeticam observari contendunt. Nec enim persona personæ, sed res rei, videlicet portio lucri portioni sortis, quam quisque contulit, adæquatur; nec etiam lucrum id, quod cuique obtingit, ei tanquam præmium datur, sed ut debitum, ex quo facultas nascitur socio petendi id, quod suum est. Utut vero lucrum commune videatur illis, qui ita contraxerunt, utut etiam comparata videatur proportio, fit tamen istud omne per accidens. Quod si enim quilibet seorsim sua pecunia lucrum faceret, difficile non foret, rem rei sine applicatione proportionis geometricæ exæquare. Sicut enim qui pistori duos nummos dedit, eo, qui dedit unum, plus accipit, non geometrica, sed arithmetica proportione; ita etiam in societate convenit, ut qui altero tanto plus contulit, plures etiam lucri partes accipiat. Dn. Hahn. *obs. ad Wesenb. part.* 1. *p.* 607. 608.

Et si unus tantum) Etiam hoc per accidens fieri existimo. Quin potius, quia

&

& hic fit collatio personæ ad personam, illius scilicet idoneæ, etsi unica fuerit, ad reliquas minus idoneas, comparata proportione, i. e. geometrica utendum verius videtur.

Si quis de re sua legare velit) Neque hoc satis capio. Quod enim justitia distributiva species dicatur justitiæ, id fit ex eo, quia bona distribuenda debentur membris propter totum, & eatenus ad singulos cives spectant, quatenus ejus partes & membra aliqua sunt. At vero cujus partem Legatarium facere debeamus, ut legatum ex justitia scriptum dici possit, nondum video.

Et civitas, quæ de communi reddit) Sed hoc ideo ad justitiam distributivam non pertinet, quia talis restitutio fit civi, non qua tali, aut quatenus est membrum Reipublicæ, verum quatenus impendit, & est creditor Reipublicæ. Sicuti etiam solutio stipendii aut collatio beneficii alicujus, ob navatam operam a Republica facta, non est actus distributivæ, sed commutativæ justitiæ; nec enim ideo tale quid alicui contingit, quod civis est, sed quod labore & industria sua id commeruit. Vid. Hornejus *Philos. moral. lib. 3. cap. 12. n. 13. & cap. 13. num. 21.* Ut ergo actus aliquis ad justitiam distributivam pertinere dicatur, requiritur imprimis, ut (1) distributio illa fiat ex re com-

muni. (2) ut detur civi qua tali, seu quatenus est membrum Reipubl.

§. 9. Est & tertia) Differt a prima. Lex enim est ordo præscriptus actibus humanis. Justum autem est qualitas actuum humanorum, exprimens illam ordinationem præscriptam. Scilicet, quomodo differt numerus numerans a numero numerato, aut ulna, qua metimur, ab ipsa ulna panni: Ita & jus, quod significat legem, differt ab illo jure, quod justum dicitur.

Nam consilia) Dixi ad prolegomena, Grotium in materia consiliorum Pontificiis operam præstare, quibus multus est de consiliis Evangelicis, & statu perfectionis sermo. In statu tamen civili admitti potest ad mentem Grotii distinctio præceptorum & consiliorum.

Nisi quatenus alium) Obligat itaque permissio non agentem, sed patientem: præcipit non respectu agentis, sed ejus, qui resistere aut impedire agentem alias potuisset.

Legis vocabulo strictius posito) Cum alias etiam jus naturale lex naturæ dicatur. Hactenus tamen adhuc latius sumitur, quatenus legitimum id jus vel a Deo constitutum est, vel ab hominibus.

Apud

Apud Hebræos) De his vocabulis vid. Chemnit. *part.* 2. *LL. c.*1. Selden. *de jur. nat. & gent. lib.* 1. *cap.* 10. *pag.* 121. Vocabulo tamen חקים etiam morales, & natura notas leges denotari, patet ex *Deut. VI. v.* 2. *Ps. CXIX. v.* 8.

§. 10. Jus naturale) Tutissimum est, distinguere non jus gentium tantum, sed ipsum etiam jus naturale in primævum & secundarium, ita tamen, ut jus naturale secundarium, & jus gentium primævum pro iisdem habeantur. Jus naturæ *primævum* est, quod naturæ humanæ innotuit statim ab initio & cum origine generis humani. Ejus principium est νοῦς sive νόησις, aut σύγκρισις, quæ sine discursu judicat. Quia enim natura hominis particeps est legis æternæ, facile de bono & malo judicare, & imperium naturæ animadvertere potuit, naturæ scilicet naturantis. *Secundarium* jus naturæ est, quod natura docet homines per illationem consequentiæ certæ, sive illa petatur ab effectu, sive a causa efficiente, sive finali. Hujus principium est διάνοια & λογισμὸς sive διαχειλικὴ contemplatio, quæ per discursum ex collatione rerum colligit. Jus gentium *primævum* ipsum hoc est, quod modo diximus jus naturæ secundarium, ex quo factum forte, quod etiam Jurisconsulti jus gentium nonnunquam dicant, quod alibi jus

naturæ appellarunt. *Secundarium* vero (quod proprie jus gentium dicitur) ab hominibus inventum est, & mentis quadam agitatione, comparatis inter se rebus, excogitatum, usu scilicet & necessitate exigente. Non enim tam rationis luce exortum, ut primævum illud, quam ratiocinationis ductu collectum est, & usu exigente accommodatum non tam naturæ integræ bonitati, quam corruptæ necessitatibus. *Breviter:* Jus gentium primævum seu jus naturæ secundarium videtur per modum necessariæ conclusionis, jus gentium secundarium per modum arbitrariæ determinationis confectum. Jam ut constet, utrum aliquid pugnet cum jure naturæ primævo, an secundario, probe tenendum est, quædam apud creaturas rationales, in ordine ad Deum & inter se, justa & recta esse tantum, quia Deus vult; quædam vero justa esse & dici, quæ Deus aliter velle non potest, quæque adeo sua justitia intrinseca omnem voluntatem Dei liberam antevertunt. Consequenter igitur sunt quædam mala ideo, quia DEUS non vult, quædam vero DEUS non vult ideo, quia mala sunt. Quæcunque ergo sive bonitate sua, sive malitia intrinseca voluntatem Dei liberam in signo rationis antevertunt, illa pertinent ad jus naturæ primævum, a quo vel præcipiuntur, vel prohibentur. Reliqua vero referuntur ad aliud aliquod, sive ad jus naturæ

se-

secundarium, sive ad jus gentium, sive ad jus positivum. Et hoc est, quod dicit Ludovicus Molina *tom.* 1. *de justit. & jur. disp.* 3. *n.* 2. Obligationem juris naturalis oriri a natura objecti, & sese diffundere in praeceptum; e contrario obligationem juris positivi oriri a praecepto, & sese diffundere in objectum. Exempli loco sit incestus, qui committitur cum sorore. Sororem ducere uxorem, in se & sua natura malum non est, nec pugnat adeo cum jure naturae primaevo; sic enim non potuissent Adami filii ducere suas sorores. Postquam vero multiplicatum fuit genus humanum, naturae quodam instinctu homines pro majore amplificatione societatis humanae constituerunt, ut haberetur reverentia sanguini, neque aliquis sororem suam posthac duceret. Et sic hodie incestus pugnat cum jure naturae secundario. Conf. Albert. Bolognet. *de jur. & aequit. c.* 23.

Ab auctore naturae Deo) Pendet enim jus naturale ex imperio ac dictatis Numinis sanctissimi, a quo vim obligandi accepit. Selden. *de jur. nat. l.* 1. *c.* 8.

Sciendum praeterea) Continet enim jus naturale generalia quaedam axiomata & regulas, quae tamen in exercitio applicari nequeunt, nisi posita certa actione humana aut certo hominum statu.

Sic dominium) Nititur hoc exemplum ista hypothesi, ab initio omnia fuisse communia, quam tamen vix est, ut admittamus. Dicemus de ea re ad *cap. 2. lib. 2.*

Sibi ipsis repugnant) Sic repugnat in genere, esse impossibile primo & per se, & tamen quærere, num a Deo fieri possit. Quæ enim impossibilia sunt (qualia sunt, quæ contradictionem implicant) sub nullius potentiæ objecto continentur. Si enim sub aliquam potentiam caderent, hoc ipso jam essent possibilia, & non impossibilia. Quicquid igitur destruit & evertit essentiam vel potentiæ divinæ, vel objecti, circa quod potentia versatur, vel utriusque, id implicat contradictionem, & per consequens fieri nequit, ne a Deo quidem.

Quæque mutationem recipit) ita scilicet ut actio subtrahatur ab obligatione legis naturalis, quemadmodum extrinsece per mutationem alterius, per mortem scil. filii pater desinit esse pater, nec in se tamen quidquam mutatur, quamvis videatur.

§. II. Quod animantibus sit cum homine) Defendunt istam definitionem non JCti tantum, sed Theologi quoque, inprimis qui in *1. secundæ qu.* 104. *art. 2. & 2. secundæ q. 57. art.* 3. commentantur, sed adhibitis plerumque distinctionibus, quæ ad Ho-

Homonymiam manifestam rem abigunt. Quatenus enim actus illi, qui exempli loco adducuntur, sunt propensiones tantum naturales, adeoq; homini cum bruto communes, juris nomine nequaquam sunt connotandi, quatenus vero ratione liciti, illiciti, obligationis &c. considerantur, aut qua circa eas obligatio versatur ac permissio, juris quidem nomen sortiuntur, sed tum ad bruta non pertinent. Quæ noviter Anton. Merenda *l. 2. controv. c.1. n.*12.13.14. pro explicando jure illo naturæ cum bestiis communi, excogitavit, subtilia quidem videntur, sed præter mentem tum Ulpiani, tum Justiniani.

Usum vix ullum habet) Hic est usus, quod homo, ubi voluntatem naturæ naturantis etiam in brutis dedicerit, eo magis intra gyrum rectæ rationis contineatur, eo scilicet, quod efficacius moveatur, si quid a se minus observatum, inter bruta ratione destituta custodiri animadverterit. Fatentur etiam JCti, hanc suam definitionem non esse essentialem a causis internis, sed accidentalem tantum, a causa efficiente potissimum, tum & objecti extensione petitam, ut indicetur, etiam cætera animantia istius juris (non perita quidem proprie esse, sed) perita censeri, ut loquitur Justinianus *pr. Inst. de J. N. G. & C.* hoc est, æstimari, & admirationi esse, propter vestigia scilicet & simulacra virtutum, quæ in illis inveniuntur.

§. 12. Certe probabiliter admodum) Caute hoc addit. Poteſt enim talis illatio fallere, uti oſtendi in *not. ad prolegom.* Cæterum etſi dentur gentes nonnullæ, quæ, ut Ariſtoteles loquitur *l. 7. Eth. c. 6.* ex natura, ſeu a natalibus recto rationis uſu carent, & ſenſu tantum vivunt inſtar ferarum; non tamen illæ notitiis naturalibus, quæ jus naturæ conſtituunt, prorſus ſunt deſtitutæ. Illas enim notitias non potentia, ſed actu ipſo omni homini ineſſe, oſtendit Apoſtolus *Rom. II. v. 15.* ubi dicit, opus legis γραπτὸν eſſe in cordibus eorum. Quod autem γραπτὸν eſt, id actu ipſo cordibus ineſt, non nuda potentia. Optime in hanc rem Chryſoſtomus *homil. 54. in Geneſ. Nullus*, inquit, *prætexat, quod ignorans virtutem negligat, vel quod non habeat aliquem vitæ ducem & demonſtratorem. Sufficientem enim magiſtrum habemus conſcientiam, & fieri non poteſt, ut quis illo adjumento privetur. Nam ſimul cum formatione hominis implantata eſt ſcientia faciendorum, & non faciendorum.* Et Hieronymus *Tom. 3. epiſt. ad Algaſ. qu. 8. Iſta lex, quæ in corde ſcribitur, omnes continet notiones, & nullus eſt, qui hanc legem neſciat*, &c. Atque hinc recte aſſeritur, non dari ſpeculative atheos, tales ſcilicet, qui directe negent, & fixam habeant impreſſionem in animo, ac firmam perſuaſionem in conſcientia,

entia, non esse Deum, quique propositioni isti negativæ pure acquiescant.

§. 14. Jus arctius patens) Istam juris acceptionem vix æquo animo ferent JCti, quippe quibus incognita hactenus videtur. Nihilominus tamen, quia jus in genere est ordinatio, regula, seu principium a superiori præscriptum, secundum quod actionum bonitas aut malitia, æquitas ac iniquitas æstimatur, non male in Oeconomia quoque jus tale versari putavit autor. Et est nempe illic imperans & parens, ille cum potestate leges condendi, hic cum necessitate obtemperandi; sunt peculiares actiones, quæ pro statu & conditione Oeconomiæ justæ aut injustæ putabuntur, sunt certi denique limites, quibus unaquæque familia continetur; quid obstat ergo, quo minus jus aliquod statuamus Oeconomicum?

Gentium omnium aut multarum) Non duarum tantum aut trium. Improprie enim loquuntur, qui id quoque gentium jus esse dicunt, quando e. gr. inter Hispanos & Batavos convenit, ut bello captus a captore se suo mensis unius stipendio possit redimere. Constituerunt autem jus gentium inter se omnes aut multæ gentes non fortuito, aut altera alterius imitatione, sed quasi ex compacto, non quod convene-

rint, ut legem ſcriberent, ſed quod utilitas & neceſſitas conſenſum plerumque omnium provocaverit & obtinuerit, & ex hoc deinceps jus conſtitutum ſit. Alberic. Gentil. *de jur. bell. l.1.c.1.* Fr. Connan. *l.1. comm. c.6.* Facit enim naturalis diſcurſus, ut unaquæque gens ratione utens, & communem utilitatem atque neceſſitatem reſpiciens, in idem cum aliis placitum conſentiat.

Repertum temporis & uſus) Fundamentum juris gentium eſt communis hominum in ſocietate civili neceſſitas ac utilitas. Et hæc ſpectat vel homines ſigillatim conſideratos, vel integras gentes in ordine ad alias. Vid. Dn. D. Struv. *ſyntagm. juriſpr. tit. de juſt. & jur. n. 59.*

§. 15. In ſublimiori reparatione per Chriſtum) Lex non fuit data per Chriſtum, ſed per Moſen. Imo doctrina Decalogi ante Moſen non naturaliter tantum nota fuit, ſed ſemper ab initio in Eccleſia ſonuit. Chemnit. *LL. part. 2. c. 6.* Chriſtus autem eſt quidem Doctor legis, ſed non eſt legiſlator. Nec igitur aliquid ſuperaddidit legi divinæ, verum eam a corruptelis Phariſaicis vindicavit tantum, & priſtinæ puritati reſtituit.

§. 16.

§. 16. Neq; enim eos obligat lex) Unde Gentilis, qui Legem (Israeliticam atque in ditione Israelitica) observabat ex traditione Judæorum, reus mortis judicabatur, quandoquidem ei tantum observanda erant septem præcepta Noachidarum, seu omnium hominum communia. Selden. *de jur. nat. l.* 3. *c.* 5. & *l.* 7. *c.* 10.

Audi Israel) Verba hæc non faciunt γνώρισμα legum populo Judaico speciatim datarum, quod patet ex *Deut. V. v.* 1. ubi *v.* 7. *seqq.* totus recensetur Decalogus, non Israelitas tantum, sed universum hominum genus obligans. Distinguere igitur debuisset Grotius legem moralem a legibus reliquis. Non enim tum demum, cum promulgarentur leges populo Judaico, cœpit lex moralis, sed longo ante tempore in Ecclesia Dei etiam antediluviana viguit Decalogus, & nemo hominum ab ejus obligatione exemtus unquam fuit. Speciali tamen promulgatione populo Judaico in memoriam fuit revocatus, & custodiæ ejus commissus, sed iste promulgationis modus non tollit obligationem universalem. Et hinc infert Bellarminus *lib.* 4. *de justific. c.* 6. adversus Dominicum a Soto, legem moralem etiam, ut est data per Mosen & Prophetas, atque ut est in libris Vet. Test. scripta, vere obligare Christianos.

Vixe-

Vixerunt semper aliqui exteri) Id verum est, leges ceremoniales & forenses gentibus conversis non fuisse impositas, ut Nabuchodonosori, Ninivitis, Dario, Cyro &c. Quod autem hinc Grotius infert, ad sola præcepta Noachidarum tales obligatos fuisse, id ex Judæorum schola hausit. Statuunt illi septem præcepta, sex quidem Adamo & Noacho data, septimum autem soli Noacho, 1. de cultu extraneo, 2. de maledictione nominis divini, 3. de homicidio, 4. de revelatione turpitudinum, 5. de rapina seu furto, 6. de judiciis, 7. de membro animalis viventis. Ista præcepta ab omnibus Noachi posteris observari debere contendunt, & ridicule per cabalam ex *Genes. II. v. 16.* eruunt. Vid. Selden. *de jur. nat. lib. 1. cap.* 10. Recte Episcop. *l.1. Inst. c.* 8. illa dicit esse dictamina rationis naturalis, & multo plura fuisse, ad quæ primus homo, ejusque posteri obligati fuerint. Et sane Legem moralem scriptam etiam ante Mosaicis temporibus cognitam & usu receptam fuisse, multis Scripturæ testimoniis ostendunt nostri Theologi. Add. Hug. de Roy *de eo, quod just. est. lib. 2. tit. 3. num. 7.*

Itaque cum Israelitis) Abstinere oportebat Israelitas ab esu non tantum morticinii, sed etiam membri animalis viventis, & omni sanguine ejus. Quod intelligendum se-

ſecundum Rabbinorum placita de membro & carne pecorum, ferarum, volucrum duntaxat, non de piſcium, locuſtarum, aliorumve id genus animalium. Nam & ſibi ipſis pariter atque humano generi reliquo horum eſum ſine effuſione ſanguinis etiam plane vivorum licitum fuiſſe volunt. Vid. Selden. *de jur. nat. l.7. c.1.* quæ limitatio num ſubſiſtere poſſit, videant alii.

Stantibus tamen in loco peculiari) Arcebantur gentiles tum ab atriis Sacerdotum, laicorum, & fœminarum, tum etiam ab ipſo intermurali, loco ſcilicet Latitudinis decem cubitorum, qui muros templi vulgo & ſignantius dicti præcingebat. Et igitur tantum in monte templi (monte Moriah) ſeu ſpaciis ac porticibus exterioribus, qui ut & ipſe mons templi nomine ſubinde veniebat, rem ſacram peragere ipſis permittebatur. Selden. *de jur. nat. l. 3. c. 6.* Conf. qui de templi Hieroſolymitani fabrica accuratius ſcripſerunt, Franciſcum Riberam, Johan. Baptiſt. Villalpandum, Adrichomium, & alios.

Iſraelitæ ſoli tenebantur) hoc eſt, Jacobi progenies, quæ ſola Iſraelitarum & Hebræorum nomine venire ſolet. Ex Abrahami autem progenie multæ adhuc gentes aliæ natæ ſunt.

Unde

Unde Idumæos) Vid. Joseph. *lib.* 13. *antiq. c.* 17.

Eos credibile est ab Ismaëlitæ) Sed multi sunt Judæorum Doctores, qui negant, ad alios Abrahæ posteros, quam ex Jacobo oriundos circumcisionem spectasse, excepta solum Kethuræ progenie. Vid. Selden. *de synedr. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 4. quibus tamen obstat *Genes. XVII*, 7. 9. 12. Quocirca illi omnes, qui ex Abrahamo descendebant, circumcidi tenebantur, eoque magis, quod ex hoc pacto Ismael, Esau & reliqui etiam fuerant circumcisi. Quod si autem deinceps ipsorum posteri fuerint incircumcisi, ipsorum culpa aut negligentia factum est. Vid. Richard. Montacut. *de orig. Eccles. p.* 1. *n.* 46. *seqq.* Gerhard. *in Gen. XVII. qu.* 6. Cum Rabbinis hac in parte facit Simon. Episcopius *in Instit. Theol. c.* 10. *p.* 47.

Proselyti) Præter Samaritanos tria præcipue hominum genera Palæstinam incolebant: Israelitæ, Georæ, & Proselyti. Proselyti erant homines ex Noachidis seu Gentibus, quibus sedes licitæ in imperio Israelitico, erantque duplices, vel Proselyti justitiæ, vel Proselyti domicilii. Illi dicebantur, qui in ritus Hebræorum prorsus transierant, sacra, Deum, religionem illius populi suscipientes. Hi, quibus sedes ibi citra

tra aliquam Judaiſmi profeſſionem permiſſæ. Georæ dicebantur, qui originem ducebant ab iis, quorum olim fuerat Terra Canaan, priusquam addicta Abrahamo illius poſteris per Joſuam divideretur. Erant iſti diſtincti a Proſelytis, nec non ab altero quodam peregrinorum genere, qui vocabantur ἐπίμικτοι. Tales enim erant illorum poſteri, qui una cum Moſe atque Iſraelitis ex Ægypto exierunt. Vid. Richard. Montacut. *exerc. 2. ſ. 9. p.* 77. Selden. *de jur. nat. l. 2. c. 2.*

Nulla parte legis Hebrææ) Imo vero parte ea, quæ moralis eſt, adhuc obligamur, & ea pars proprie eſt lex, nec venit illa ex nuda voluntate legem ferentis, nec Judæis ſolis data eſt, etſi eis facta fuerit promulgatio ſolennior.

Ab Iſraelitis ablata eſt obligatio) Triplices fuerunt leges apud Iſraelitas: Judiciales, Ceremoniales, & Morales. Judiciales ideo deſierunt, quia populus Iſraeliticus omnem prorſus perdidit Rempublicam. Poſſunt tamen ex illis libere ſumi, quæ noſtris Politiis conveniunt. Ex ceremoniis quædam fuerunt umbra venturi Chriſti, & hæ poſt adventum Chriſti non potuerunt aut poſſunt obſervari amplius citra negationem adventus Chriſti; vel fuerunt pædagogia de feſtis, cibis, &c. & hæ ſub initium Evangelii

fue-

fuerunt indifferentes, atque ad tempus, pro ratione hominum, divina sapientia sunt dissimulatæ. Parcendum enim erat ab initio infirmitati recens conversorum, qui legi adsueti erant, eamque intuitu divinæ institutionis magnifaciebant. Cedendum igitur erat inevitabili scandalo, quod ex abrogatione legis, stante templo & synagoga, oriturum erat. Sed id tantum ad tempus, donec Evangelium sufficienter prædicatum fuisset. Et hinc Scholastici dicunt, Legem in N. Test. fuisse mortalem, hoc est, potuisse abrogari; in Ecclesia prima Novi Test. fuisse mortuam, sed nondum sepultam, & cum honore sepeliendam; hodie esse mortiferam, neque reduci posse. Sic e. g. circumcisio ante Christum fuit necessaria; post Christum, ante plenam promulgationem Evangelii, Judæis fuit indifferens; post illud tempus facta fuit exitialis. Vid. Thom. 1. 2. *qu.* 103. *art.* 4. Scotus *ad lib.* 4. *sent. dist.* 3. *qu.* 4. Suarez. *de legib. lib.* 9. *cap.* 10. Tandem lex moralis abrogata est 1. quoad vim & usum justificandi hominem, in natura hominis. 2. in renatis & credentibus, quoad maledictionem & condemnationem. 3. quoad rigorem exactionis. Non tamen abrogata est quoad doctrinam & obedientiam, tum quia renovatio spiritus nihil aliud est, quam harmonia cum lege morali, tum quia perfectio alterius vitæ erit quædam conformitas cum lege.

Lex

Lex Evangelii) Cave, ne cum Grotio statuas legislatoriam Evangelii virtutem. Dicitur quidem Evangelium lex spiritus vitæ, *Rom.* 8. 2. Lex fidei, *Rom.* 3, 27. sed non nisi in latiori & generali significatione legis, quando sub nomine. Legis intelligitur universa doctrina divinitus patefacta.

§. 17. Permissio enim, quæ lege fit) Ad permissionem, quæ nudi est facti, refer exempli loco permissionem peccati; ad eam, quæ lege fit, & plena est Grotio, permissionem belli, *Deuter.* 20. *vers.* 10. *seq.* aut rerum sua natura indifferentium specificationem; ad eam, quæ minor plena, permissionem usurarum & divortii, de qua Chemnit. in *LL. part.* 2. *pag.* 171. qua ratione etiam de jure civili lupanaria, concubinatus, quæstus meretricius, cædes uxoris in adulterio deprehensæ, & ejusmodi alia impunia habentur.

Quæ tantum impunitatẽ dat) Propterea tamen, id quod ita permittitur, non constituitur in genere licitorum. Sic Magistratus Christiani hodie passim tolerant Synagogas Judæorum, superstitiones Pontificias, & ejusmodi alia, & tamen illi propterea malum non procurant; permittunt, quia tollere sine Reipublicæ concussio-

ne non possunt, non approbant; non puniunt, neutiquam tamen suadent aut mandant; circumscribunt, limitant, imminuunt, quantum possunt, non tollunt aut ponunt, sed in medio relinquunt. In ejusmodi enim legibus circumscriptivis duo continentur actus: Alter est nuda permissio, quæ actio non est, sed improprie actio dicitur, & hæc objectum immediatum habet malum ipsum, quod nec præcipit, nec prohibet Legislator, sed permittit. Et in hoc differt voluntatis objectum ab objecto permissionis. Dum permittit Legislator, permittit immediate malum; dum vero vult permittere, non vult immediate malum, sed vult permissionem mali, quæ in hoc negotio proximum & immediatum est objectum voluntatis. Alter actus est ipsa circumscriptio, limitatio & modificatio istius mali, ne ulterius eat, aut alio modo, quam certo illo & determinato exerceatur. Neuter actus probat, aut suadet malum, neuter id in foro poli seu conscientiæ licitum facit, sed impunitatem tantum præstat, sicubi intra terminos definitos permanserit malum. Ex quibus apparet, quid sentiendum sit de doctrina Salmasii, qui in *tract. de trapezitic. fœn. pag. 351.* in legibus permissivis, quæ non nudam permissionem continent, sed aliquem modum addunt & imponunt, τὰ νόμιμα etiam δίκαια haberi debere contendit.

Et

Et jus, ne quis alius impedire licite possit) Non omnes leges permittentes secundi hujus generis tale jus largiuntur. Jura civilia permittunt cædem uxoris in adulterio deprehensæ, nec tamen proinde jus concedunt, ne quis alius impedire licite possit.

Huic primæ observationi) Non tamen exinde conficitur, legem Mosaicam forensem in Rebuspubl. nostris etiamnũ habere vim legis. Vid. Gisb. Voët. *disput. theol. pag. 377. 378.*

Si non est amplius a Christianis præstandum) Invertunt hoc Arminiani, quibus alias bene cupit Grotius. Illi enim tempus Veteris Testamenti vocant tempus rigoris, Novi vero tempus gratiæ, quod Deus rigidior fuerit in Veteri Testamento, quam in Novo. Sim. Episcopius *Instit. Theol. l. 4. sect. 2. c. 30.* Et certe Oeconomiam Ecclesiæ quod concernit, fuit illa in Veteri Test. multo gravior, quam nunc est in Novo. Ideo Patres, quamvis & ipsi spirituales Dei filii fuerint per fidem, tamen sub pædagogia fuisse velut minorennes, & jugum ἀβάστακτον tanquam servi sustinuisse perhibentur, Christianis nunc per Christum exhibitum quasi manumissis.

Fundamentum hujus observationis) Sed lubricum hoc eſt,& imbecille. Lex enim etiam in Vet. Teſt. non externam tantum diſciplinam requirebat,nec Philoſophico quocunq; voluntatis conatu contenta erat, ſed requirebat motus ardentiſſimos, & quidem ex toto corde, tota anima, & omnibus viribus. Aliud ergo ſubſternatur fundamentum, quod eſt, quia virtutes illæ pertinent ad legem moralem. Quicquid autem tale eſt, id abrogatum in Novo Teſt. dici nequit.

Quia etiam promiſſiones cœleſtes) Quaſi vero promiſſio ſalutis facta fuiſſet in N. Teſt. ſub conditione operum, quorum merito eam ſibi homo comparare poſſet.

Hinc lex vetus) Lex dicitur imperfecta non ſimpliciter, ſed reſpective ad Evangelium, & tum non per ſe, ſed per accidens; non ſua, ſed noſtra culpa, & præcipue in articulo juſtificationis.

Lex vetus de Sabbatho) Moraliter obligat Lex de Sabbatho in univerſum omnes, quantum ad ſanctificationem unius ſeptenarii, ſive quantum ad diem ſeptimum ma-

materialiter dictum, prout certa dies in septimana est cultui divino & exercitiis religionis publicis solenniter destinata. Formaliter autem si consideretur dies septimus, ut fuit ultimus septimanæ, & quidem incipiens a vespera usque ad alteram vesperam, ad Legem ceremonialem pertinebat. Et proinde terminus, a quo incipiendum sit Sabbathum, ex libertate Christiana in honorem resurrectionis Dominicæ ab Apostolis fuit immutatus.

Nec minus fructuum decima) Non arbitror. Distinguendum enim est in his legibus morale ab rituali, sive eo, quod proprie Mosaicum est. Juri naturæ conveniens est, & ad Legem moralem pertinet, non ipsa decimæ quota, sed ejus tantum substantia, uti vocatur Seldeno *de synedr. lib. 1. cap. 3.* hoc est, jus naturale sive morale jubet alimenta præstare ministris Ecclesiæ; determinatio autem certæ quantitatis eo nomine præstandæ, puta octavæ vel decimæ partis redituum, non tam juris naturalis est, quam Mosaici, quod Deus per Mosen Judæis tantum, non etiam aliis gentibus & populis ad tempus constituit. Francisc. Duaren. *de sacr. Eccles. minister. lib. 2. c. 2.* Decimarum igitur institutio, quod formale concernit, hoc est, certam quantitatem, non est juris divini moralis, sed quoad materiale

tantum hoc est, quoad congruam Sacerdotum sustentationem. Vocatur tamen decima, quæ octava interdum, interdum vigesima, tricesima aut quadragesima pars est, quia loco decimæ ex consuetudine præstatur. Dn. Carpzov. *l. 2. def. Consist.* 125. Fernand. Vasq. *l. 2. controv.* 89. Cæterum principalis finis decimarum, uti dixi, est sustentatio ministrorum Ecclesiæ, qui si aliunde salaria habuerint, uti quidem hodie in civitatibus plerumque certa illis emolumenta constitui solent, intermitti omnino poterit jus decimandi, cum nihil intersit, decimarum præstatione, an alio modo ministris Ecclesiæ succurratur.

AD CAP. II.

An bellare unquam justum sit?

§. 1.

PRimum *videndum*) Duplicem facit inspectionem, cum per unam tantum absolvi debeat istud examen. Motus enim & impetus naturæ, quia in homine corruptissimi sunt, nequaquam se habere possunt aut debent, ut norma, secundum quam jus naturæ dijudicari queat, sed ut obje-

jectum, quod rectæ rationi tanquam normæ ſubſternitur. Neque vero ſepoſita ratione recta ullum inſtitui poterit examen, aut ſi tale locum invenire queat, fruſtra deinceps in auxilium vocabitur recta ratio, poſtquam impetus illi cum brutis nobis communes omnia jam perdiderunt, & miſere corruperunt. Ut proinde neſciam, an multum abſit Grotius ab eo, quod docuit Thomas Hobbes, injuſtitiam erga homines ſupponere leges humanas, quales nullæ eſſent in ſtatu naturali: hominem naturaliter non ad aliud obligari, quam ad ſui ipſius utilitatem quoquo modo promovendam: hac ſuadente contrarium, nullas eſſe ad innocentiam, fidem, gratitudinem, obligationes: tales naturæ leges, quæ in æquitate, juſtitia, gratitudine conſiſtunt, non proprie leges eſſe, ſed qualitates ſolum ad pacem & obedientiam diſponentes &c. *Leviath. p. 2. cap. 13. & 26.* Vult nempe, unicum naturæ dictamen hoc eſſe, ſibi ut quisque benefaciat, & proinde neminem ad aliud obligari, quam quod ab hoc placito derivari poſſit: ita ut lædere innocentes, fidem frangere honeſtius cuiquam ſit, quam aliud facere, aut a quopiam cedere, quo ipſe incommodetur. Non eadem quidem eſt mens Grotii; ſi tamen in prima iſta inſpectione, quam facit, ſubſiſtat examen, uti quidem ob corruptiſſimos hominum mores ſubſiſtere poteſt, niſi actutum in conſi-

lium trahatur ratio recta, facile locum inveniet sententia Hobbesii, quam hodie plerique exagitant juris naturalis Magistri. Laudo hic Philippum Melanchthonem, qui *in loc. de vindict.* accuratius examinat thema de necessaria defensione, quam facit Grotius: *Si est naturalis notitia*, inquit, *aut στοργὴ, quærendum est, quomodo sit ordinata, ne depravetur aliquo prætextu, aut admixta injusta cupiditate. Nam jura naturalia non sunt vagabundi impetus, sed certæ quædam in natura ordinationes* &c. Nec adeo probare possum distinctionem, quam facit Marius Salomonius *in repetit. leg. 3. ff. de justit. & jur.* inter moderamen defensionis & moderamen defensionis inculpatæ. Ait, eum, qui se defendendo, cum possit non occidere, occidit, aut cum possit levi plaga vim repellere, lethaliter vulnerat, transgredi quidem moderamen defensionis inculpatæ, non autem moderamen defensionis. At vero ipsum vocabulum moderaminis dicit jam aliquod inculpatum, & ut moderata sit defensio, necesse est, fieri eam secundum rectam rationem.

Et in hoc posteriori genere) Proprium enim hoc est legum positivarum officium; ut materiam suam, actiones nimirum ante indifferentes, specificent, & bonas faciant præcipiendo, malas vetando. Quæ enim indeterminata sunt lege naturæ, ea

vo-

voluntas sive divina, sive humana pro lubitu flectere huc & illuc potest, nec idcirca contra naturam ea agere dici debet. Pinguius itaque & minus accurate loquitur Imperator, quando §. 2. *I. de jur. nat. gent. & civ.* servitutes naturali juri contrarias esse contendit. Neque enim natura scivit, ut bello justo capti non serviant: sicut neque decrevit, ut serviant, sed utrumque humano commisit arbitratui.

§. 2. Sine speciali Dei mandato) Imo vero contrarium dicitur *Esa. XLI. v. 2.* quem textum comuniter accipiunt de Abrahamo, quamquam pauci aliqui dissentiant, de quibus Dn. Calovius *adv. Grot. ibid.*

Historia septem populorum) Bellorum ab Hebræis gestorum duo statuuntur genera: Alterum eorum, ad quæ ex præcepto divino obstricti erant, quæ proinde Dei bella dicuntur. Alterum eorum, quæ pro libero arbitrio & decreto Synedrii magni seu septuaginta unius Viralis gerebantur, & ultronea ab ipsis Magistris vocantur. Illa adversus septem, præter Amalekitas, populos movebantur, de quibus *Deut. VII. v.* 1. *c. XX. v.* 17. *c. XXV.* 19. & causam habebant ipsum divinum præceptum, propter quod exercitus non tam auctor, quam minister censeri poterat. Hæc adver-

fus alias gentes gerebantur, & caufam vix aliam habebant, uti fabulantur Rabbini, nec habere opus erat, quam ut dilatarentur fines imperii Ifraelitici, & ampliaretur Majeftas ejus. Selden. *de jur. nat. l.6. c.*12. Pet.Cunæus *de Republ. Ebr. l.* 2. *c.* 19.

Quod DEus ante factum non jufferat) Autoritate & confilio divino bellum illud defenfivum geftum fuiffe, patet *ex eod. cap. v.*14. 15. 16. Pofito autem, neque hinc quidem mandatum divinum elici poffe, non tamen illico licebit Grotio concludere: In citato Exodi capite non extat, quod Deus bellum illud jufferit. Ergo id factum non eft; cum etiam in Scripturis, quod quæftiones mere hiftoricas attinet, a filentio Hiftorici non liceat negative argumentari.

Etiam fine mandatu fpeciali) Tempore θεοκρατίας, dum Deus ipfe fummum in Republ. Judæorum fibi retinebat imperium, etiam belli gerendi arbitrium inter refervata fuit divina. Et fic igitur bella gerebantur autoritate divina, ut maxime fpecialis mandati non femper mentionem faciant annales Judæorum. Quemadmodum autem femper feliciter rem gerebant, quoties Dei juffu pugnabant Ifraelitæ, ita e contrario magna clade afficiebantur, quando injuffu

jussu Dei tale quid conabantur. Et hinc monet Moses gentem suam, ne inirent prælium, *Dominus vobiscum non est*, inquit, *ne corruatis. Num. XIV*, 42.

In fidei nomine includit) Recte ait: *includit*. Sunt enim pleraque ista *cap.* 11. *Ep. ad Hebr.* enarrata objecta fidei justificantis, non quatenus justificat, sed quatenus sese exercet vel in apprehensione aliorum objectorum divinitus promissorum, vel in aliis actibus Deo non displiciturs. Vid. Chemn. *Exam. Concil. Trident. part.* 1. *p.* 161.

§. 3. Inter vim, quæ injuriam infert) In facti specie, quam refert Ulpianus, liberatur Dominus provocati arietis, qui se defenderat, non quod injuriam sibi illatam repulerit, sed quia non nisi ab alio concitatus nocuerit. Nulla ergo proprie dici potest injuria inter bruta.

§. 4. Nempe ut certa bellorum forma) Concedamus Grotio, certam bellorum formam consensu gentium fuisse introductam; sed eam tamen Hermogeniano in mente fuisse, dum ista scriberet, merito licet dubitare. Id enim intendit dicere, non qua forma constent bella, sed quo jure primum cœperint. Ait igitur, jure gentium introducta esse. Quæ verba ita accipienda sunt, non

non, quod dispositive bella ex jure gentium nata sint, sed quod occasionaliter omnibus gentibus bella placuerint, postquam sc. malitia hominum & habendi libido tranquillitatem publicam turbare consuevisset.

§. 5. Cum proprie juris naturæ non sint) Diversa enim sunt, esse a natura, & esse a lege, sive jure naturæ. Naturalia sive a natura esse dicuntur etiam illa, 1. quæ natura permittit tantum, aut quibus non resistit. 2. ad quæ inclinat. 3. quæ honesta esse indicat, etsi non debita. A lege naturæ sola illa sunt, quæ jubet natura, ut fiant, vel non fiant, quæve adeo omitti sine manifesta iniquitate nequeunt. Hinc igitur libertas, vis atque injuriæ propulsatio, maris ac fœminæ conjunctio, liberorum procreatio, & alia similia a natura quidem descendunt, a lege naturæ nequaquam.

Quod vero sequitur de sanguine vicissim) Quin nec Hebræi interpretes hic satis sani, qui verba ista accipiunt non pro lege ita lata, ut ultimum supplicium sit necessario semper homicidii sceleri irrogandum, sed pro indicatione divina atque expressa in sceleris odium ex designatione pœnæ gravissimæ, quam fas esset humano generi

pro

prò arbitrio & pro re nata tali delicto præstituere. Vid. Selden. *de jur. nat. l.* 4. *c.* 1.

Tantundem patiatur) Sed a quo? Non facimus cum Grotio, naturæ dictatu insontem esse universaliter, qui homicidam occidisset. Patiatur homicida tantundem, sed ab eo, qui jus inferendi habet, hoc est, a Magistratu, cum omni tempore constitutæ a Deo potestates fuerint.

Ex hujus naturalis æquitatis sensu) Nego hoc. Sed dixit ita Cain ex metu talionis, quam homicidæ, a quocunque ea fiat, etiam hodie metuere solent. Quin & eo tempore nemo erat, quem metuere poterat Cain, cum præter parentes & paucas forte sorores nemo adhuc hominum esset. Fuerunt igitur hæc verba trepidantis conscientiæ signum, quæ tuta quæque metuit & fugit, nemine persequente. Ægid. Hunn. *in quæst. ad Genes.*

Minus opus erat exemplo) Imo vero rectius statuitur, ideo Deum voluisse Caini vitæ parcere, ut terrori esset, & exemplo aliis, propter signum scil. ei impressum. Gerhard. *in Genes. c.* 4.

Quod postea institutis judiciis) Non per Mosen demum restrictum hoc jus fuit ad judices. Omni tempore fuerunt po-

testa-

testates. Habuerunt & aliæ gentes suos Magistratus, & cum ipsa societate cœpit imperium, ita ut nulla omnino societas consistere possit sine regimine.

Qui occisum sanguine) Dicebatur is vindex sanguinis, illumque occiso ita conjunctum esse oportebat, ut proximus esset hæres. Tum enim licitum ipsi erat, homicidam sine fori sententia, etiam ubi sententia propter unicum tantum testem locum habere non poterat, morte plectere. Selden. *d. l.* Sed istud jus proprium erat politiæ Judaicæ, non poterat igitur haberi pro vestigio moris pristini ex naturæ dictatu venientis.

Abrahamum) De his exemplis jam diximus *ad* §. 2.

Nimirum conjectura divinæ voluntatis) In iis, quæ a mera Dei voluntate proficiscuntur, non licet a similibus ad similia procedere. Inter homines stricte explicandum est mandatum mandantis: Quanto magis mandatum divinum, præsertim in iis, quæ sanguinem hominis concernunt. Et hæc est ratio, propter quam ἐθελοθρησκεία prohibetur & improbatur, quia scilicet mandatum divinum transgreditur, & a similibus ad similia argumentari atque procedere solet.

let. Sed difficile insuper erit Grotio probare, occisionem homicidæ provenire ex jure mere voluntario.

Quæ vitæ æquiparantur) Ista æquiparatio famæ & vitæ non semper procedit, inprimis quando subest diversa ratio. Vitæ enim periculum longe majus est periculo honoris. Honorem læsum vindicare possumus legitimis remediis, non etiam vitam recuperare. Æquiparatio igitur procedit, si moraliter consideres rem, non si physice. Imo vero in moralibus honos vita potior est, h. e. amittenda potius est vita, quam aliquid committatur, unde aliqua honori nostro labes adhærere queat.

Leges plures Noæ filiis datas) De commento septem præceptorum Noachidis datorum Judaico, vid. quæ diximus supr. *ad cap.* 1. §. 16.

Inter ea autem, quæ Noæ liberis) Hoc tamen non dicunt Judæi, pœnæ illud genus a Noachidis necessario, velut ex præcepto, adhibendum fuisse. Etsi enim ipsi plerumque Noachidem, in septem præceptorum aliquod delinquentem, in ditione Israelitica mortis supplicio afficerent, agnoscebant tamen, extra ditionem suam cæteris gentibus fas esse, qualicunque pœna

ejus-

ejusmodi delinquentes coërcere. Selden. *l.* 7. *c.* 5. *p.* 806.

Cum legibus Hebræis similitudo est) Tertullianus *in apolog. cap.* 45. *dum tamen sciatis ipsas quoq; leges vestras, quæ videntur ad innocentiam pergere, de divina lege, ut antiquiore forma mutuatas.* Tractat hoc argumentum Seldenus *de jur. nat. l.* 3. *cap.* 3. & 23.

§. 6. Extra præcepta credendi) Negari nequit, Evangelium quoque præcipere, 1. *Joh.* 3. *v.* 23. *Actor.* 16. *v.* 30. Nam & credere est ποίησις, sed non eodem modo, aut eodem genere factorum, quo Lex. Evangelium est lex fidei, & fides aliquod est factum, sed non eatenus salvat, quatenus est factum vel propter operationem suam, sed propter correlatum vel objectum salvificum, quod apprehendit. Nam si ratione ipsius apprehensionis salvaret, præstaret id etiam alia objecta apprehendendo. Lex autem agit de factis qua talibus, quæ justificassent hominem, si stetisset in integritate. Sic & Sacramenta non conferunt gratiam ex opere operato, sed necesse est, ut accedat bonus motus, hoc est, fides utentis, quæ tamen & ipsa non aliter, atque modo diximus, considerari debet. Johan. Davenant. *Determ. quæst.* 23.

Quod

Quod non sit juris naturalis) Contra Grotium ita statuendum est, nihil præceptum esse in Nov. Test. quod non sit juris moralis in Vet. Test. propositi. Jus morale in Scriptura propositum hoc habet præcipui in respectu ad jus naturale, quod illud Deum verum veneretur; hoc Deum in communi aliqua per naturalem discursum acquisita cognitione, cum impossibile sit, per naturalem hominis corrupti discursum citra additamentum verbi revelati, investigari posse Deum verum. In vicem igitur verborum *juris naturalis* si ponantur verba *juris moralis*, dico, nihil novi Præceptum esse in N. T. quod non fuerit jam tum juris moralis in Vet. Test. Ut autem quousque moralia se extendant, exactius constet, Chemnitius ista ponit κριτήρια: Quicquid 1. consentit cum notitiis naturalibus, 2. & a Mose atque Prophetis ostenditur, pertinere ad omnes Gentes, 3. & in Nov. Test. repetitur & præcipitur, illud obligat omnes homines, & est pure morale, secus quod contra, *loc. de lege Dei cap. 2.*

Ut concubinatũ, divortiũ, &c.) Ponamus, jus & obligationem unius maris erga unam fœminam non dicendam esse jus naturæ formaliter & causaliter, sed tantum subjective, eo quod naturæ humanæ a Deo impositum est. Hülsem. *Breviar, c.21.*

 n.3.

n. 3. Quia tamen ab initio ſtatim tale matrimonium inſtitutum eſt, *Matth*. 19. *v*. 4. *ſeq*. & vagæ libidines deinceps inter cauſas diluvii numerantur, *Geneſ*. 6. *v*. 2. quare ad aliam novam legem Chriſti provocet Grotius, non video. De hac materia plenius dicendum erit infra *lib*. 2. *cap*. 5. §. 9.

Ut alii pro aliis mortis periculo) Sed quid hoc aliud eſt, quam: *diliges proximum tuum, ſicut teipſum*, haud minima ſcil. pars Decalogi?

Ad veteres) Sed cur non *a Veteribus?* nec enim diſſimilis eſt modus loquendi, *Luc*. 24, 34. Viſus eſt Simoni, id eſt, a Simone, 1. *Cor*. 15, 6. Viſus eſt fratribus, id eſt, a fratribus. Præſertim cum per ἀρχαίυς intelligi hic non abſurde poſſint præcipui, principes aut præpoſiti, quales ſc. in populo Iſraelitico erant Phariſæi. Ponamus tamen, veteres illos non alios eſſe, quam qui Moſis tempore vixerunt, certum nihilominus eſt, quod non illo ſenſu, quo ipſis dictum fuerat, e. g. Non occides, Chriſtus ſuum: *Ego vero dico*, opponat; ſed illo ſenſu, quo a Phariſæis explicabatur. Explicabatur autem plerumque minus congrue, & corticem verborum illi tantum proponebant, non præcipuam intentionem. Ergo cum inquit, *dictum eſt antiquis*, non reſpicit ad Scripturam Vet. Teſt.

ſed

ſed ad traditiones Phariſæorum. Et hinc non dicit: *Legiſtis*, quod ſcriptum eſt, ſicut alias ſolet de Scriptura loqui, ſed: *audiſtis*, quia dictum eſt antiquis. Chemn. *loc. de vindict. p.* 125. Nec obſtat, quod ipſa verba legis recitentur, ſiquidem hic illa non intelliguntur in ſenſu legislatoris Dei, ſed Phariſæorum, qui illa perverse interpretabantur, cum Chriſti propoſitum ſit, Phariſæorum juſtitiam & doctrinam rejicere, ac legis perfectionem, & perpetuitatem adſtruere, *v.* 17. 19. 20. Vid. Feuerbornius *in Anti-Oſtorod. Diſp.* 22. *theſ.* 6. 7. 8. Gerhard. *in Confeſſ. Catholic. l.* 2. *part.* 3. *art.* 23. *c.* 7. Stegman. *in Photinianiſm. diſp.* 18. Mareſius. *adverſ. Volkel. de vera Relig. l.* 4. *c.* 13. *p.* 582.

Et odio habebis inimicum tuũ) Nullibi hoc extat in lege, manifeſto indicio, fuiſſe hoc additamentum Phariſaicum. Nec verum eſt, quod proximus, qui diligi debuit, tantum Iſraëlitam ſignificet. Longe aliter Salvator, optimus interpres, vocabulum id explicat, & in ipſa etiam lege ampliorem ejus fuiſſe ſignificatum, oſtendit *Luc. X.* 33. *ſeqq.* Add. Joh. Rainold. *in Colloq. cum Harto cap.* 7. *ſect.* 4. Plane, quantum ad Decalogum attinet, diſtinctionem hominum in proximos & inimicos, ignorat Scriptura, quæ, ubi de obligatione ad dilectionem

nem agitur, omnem hominem vocat proximum.

Priore illa parte contenti) At illi, dum legem explicabant, populum erudire debebant in iis, quæ religionem concernebant, non quæ faciebant ad politiam conservandam. Cæterum de distinctione hac dicemus infr. *ad lib. 2. c. 20. n. 39.*

Non præcipi in eo gradu ac latitudine) Negavimus ista jam supra *cap. 1. §. 17.* Unde corruit etiam, quod dicit, verba Christi non continere nudam interpretationem.

§. 7. Primum ac præcipuum) Grotii hæc argumenta non sunt uniusmodi. Aliqua directe probant, belli jus in Novo Test. non fuisse sublatum: aliqua autem probant tantum, Magistratus constitutionem & suppliciorum irrogationem non esse doctrinæ Novi Test. adversam. Secunda hæc classis non satis firmiter videtur concludere. Non sequitur: Magistratus constitutio, & suppliciorum irrogatio non repugnat doctrinæ Novi Test. Ergo nec repugnat jus belli gerendi. Hoc enim jus extraneos respicit, illud intra sphæram cujusque Reipubl. subsistit: Hoc in pares exercetur, illud in subjectos: Hoc non nisi deficientibus aliis mediis, illud necessario & semper.

Psal-

Psalmus secundus) Sunt tamen in eo, quæ ad Davidem referri omnino nequeunt. Vid. Dorsch. *in Pentadecad. dissert. 2. n. 2. 5.* Hunn. *in Antipareo secundo p. 48. seqq.* Dicendum igitur, quod Psalmus iste immediate, & quoad literam, de Messia agat. Vid. Dn. Calov. *adv. Grot. ad istum Psalm.*

De Edessenorum Rege) Epistolas ἀμοιβαίας Christi & Abgari Edessenorum Regis refert Eusebius *lib. 1. histor. cap.* 14. De earum autem autoritate videri possunt, quæ notat Richard. Motacut. *orig. Eccles. part. 2. num. 96.*

Deinde non de personis quæritur) Ideo enim Paulus loquitur in abstracto, ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις, id est, potestatibus supereminentibus, ut ostenderet, subditos non debere ad personas imperantium respicere, sed ad ipsorum officium.

Id est, legem novam) Nimium hic discedit Grotius. Per regnum enim cœlorum rectius intelligitur regnum tum gratiæ tum gloriæ. Et hic est sensus concionis Evangelicæ, ab Johanne in compendium redactæ: Nunc Deus offert vobis suam gratiam, ut ex ipsius misericordia, & propter meritum, quod Messias jamjam adfuturus præstabit, remissionem peccatorum con-

consecuti ad cœlestem gloriam admittamini.

Præceptorum discrepantia) Neuter promulgavit præcepta nova. Uterque legem veterem exposuit, & populum ad pœnitentiam adhortatus est. Uterque de regno gratiæ doctrinam addidit, Johannes adhuc prædicendo, & digito monstrando, Christus incipiendo & exhibendo. De Præceptis novis nihil habet Scriptura.

Desiisse, priusquam urbs Hierosolyma) Cœpit politia Judaica jam eo tempore labascere, quo Herodes Magnus aliena & Romana authoritate ac potestate renitentibus Judæis Rex datus est. Et ab ea ætate Respubl. vix amplius dici potuit, cum potestas vix apud alios fuerit, quam penes Romanos, & hominem Idumæis majoribus ortum. Sic igitur quid de fato legum forensium eo tempore sperari debuit, etiam simplicissimi homines colligere ex se potuerunt.

Quam Moses præscripserat) Atqui jam ante excidium totale Judæa in provinciæ formam redacta erat, & sicubi moribus patriis uti illis permissum erat, ex indultu id proficiscebatur Imperatorum. Poterat igitur tum in eorum causis aliter judicari, quam Moses præscripserat.

Illud

Illud agnoſco) Agnoſcimus & nos, fuiſſe quædam a Deo permiſſa, qualia ſunt libellus repudii & uſuræ erga extraneos, ſed tantum quoad impunitatem externam. Permiſit, inquam, Deus, ut tolerentur, non tanquam quæ bona ſunt coram Deo in conſcientia, ſed fine & modo politico, ne civiliter puniantur. Vide Chemn. *LL. part.* 2. *pag.* 171. Fruſtra igitur dubitat Grotius, an quoad animi puritatem iſta talia permiſſa fuerint. Eadem enim animi puritas tum in Veteri, tum in Nov. Teſt. requiritur.

Ab eo, qui læſerit, in judicio) Non puto, damnaturum Grotium cum quibusdam hæreticis judicia forenſia. Diverſum enim ſentit *pag. mox ſeq.* 27. & *pag.* 46. & vid. Chemn. *part.* 2. *LL. p.* 131. *ſeq.*

Bellum aliquod licite geri) Ergo non omne, non illud, quod in extraneos geritur, ſed tantum quod geritur adverſus immorigeros ſubditos, in quos pœnæ locus eſt. Adverſus tales autem ne bellum quidem eſt proprie.

§. 8. Vaticinium Eſaiæ) Rectius Junius & Tremellius hoc dictum exponunt de temporibus N. T. quibus ſc. gentes inter ſe alieniſſimæ conciliabuntur abductæ ad unum Deum, unam fidem, unum baptiſma,

unum corpus, & unum Spiritum, i. e. Ecclesiam unam, in qua servare studebunt unitatem Spiritus per vinculum pacis.

Conversionis generalis Judæorum) Secundum mysterium illud, quod Paulus exposuit *Rom. XI.* 25. Vid. Balduin. *ibid.* Walter. *in harmon. ad d.l.* Wendelin. *in phys. sect.* 2. *c.* 19. *n.* 5.

Ex quinto Matthæi capite &c.) Simplicissimus intellectus locorum ex isto capite hic est, Christum instruere suos discipulos, ut præparent se ad tolerandas injurias non tantum a privatis personis, verum etiam a publico & legitimo Magistratu. Prædicit enim fore, ut non tantum privatorum hominum injuriis sint expositi, verum etiam ab ipso Magistratu habere non possint legitimam defensionem, imo in ipsis judiciis, quibus reliqui homines utuntur ad sui defensionem, & ad propulsandas injurias, Christianos obnoxios fore calumniis, sævitiæ & persecutioni tyrannorum. Huc enim pertinent exempla (1) alapæ, quæ a privatis infliguntur,. (2) angariæ, quæ sunt onera injuste a Magistratu imposita, (3) si quis tibi aliquid abstulerit, non habebis defensionem a Magistratu, (4) in ipsis judiciis specie & prætextu juris Christianis insidiabuntur. Igitur cum

cum Pharisæi putarent, licere cuilibet privato aut non interpellato, aut cessante Magistratu, vindictam privatam jure talionis exercere, nec peccata esse, quæ in judiciis tum frequentabantur, odia scilicet, rixas, convitia, malevolentiam, &c. Salvator sententiam suam ita opponit: 1. Magistratui dictum est, oculum pro oculo; vobis vero privatis ego dico, &c. 2. Si Magistratus officium suum non fecerit, ut propulsetur a vobis injuria, non debetis vosmetipsos vindicare. 3. In ipsis actionibus judicialibus debetis inimicos diligere. Chemnitius *part.* 2. *LL. p.* 134.

Qualis est alapa) Nimium atrox tamen hæc est injuria; & est figurata hæc locutio, per quam innuitur, paratos esse debere Christianos ad ferendam potius secundam injuriam, quam ad regerendam priorem.

Sed vetat Christianos) Loquitur ibi Apostolus comparate, quod potius abjectissimis in Ecclesia committendum sit negocium, quam ut fideles coram Magistratu infideli litigent de rebus βιωτικῶν, ad vitam quotidianam & lucra pertinentibus.

Non contendi judicio) Non tamen propterea connivendum est nequitiis hominum. Quid enim, si quis apud judicem propter tunicam me conveniret, ut non illam

tantum, sed & pallium a me acquireret, non prohibet Salvator modestam & sedatam contradictionem, sed incitatam, injuriosam, odio & livore plenam, & ex animo virulento profectam.

Præceptorum suorũ materiã) Sed hæc materia de vindicta privata omittenda, & patientiæ disciplina jam tum in Veteri Test. fuit inculcata. Videri potest Tertullianus *adversus Marcion. IV.*

Det operam, ut transigat) Quod si judicio contendere constitutum est; det nihilominus etiam judex operam, ut litigium amicabili transactione componat. Et ita in omnibus fere Europæ territoriis receptum est, uti de Gallia testatur Antonius Faber *lib.* 9. *Cod. tit.* 22. de Italia Jason. *vol.*1. *consf.*35. de Germania Ventura de Valent. *in Parthen. litig. l.* 2. *c.* 4. *n.* 10.

Qui angariabit te) Agit hic Salvator de oneribus injuste a Magistratu impositis. Et hic est sensus: Si Magistratus iniquus tibi fuerit in imponendis oneribus, duplum potius præstare debes, quam seditiose ei repugnes.

Sicut divortii libertatem indulgebat) non licitam faciendo, sed permitten-

tendo propter σκληροκαρδίαν Judæorum, & ut gravius malum evitaretur. Vid. Gerhard. *loc. de conjug. n.* 595. *seq.*

Ne arceri quidem vult aut vi, aut judicio) Scopus Salvatoris eſt, corrigere Judæos circa jus talionis, quod putabant exerceri poſſe a quovis privato. Id negat Chriſtus, non autem prohibet omnino, ne ad judicem res deferatur, niſi fiat judicialis perſecutio animo vindictæ cupido, virulento, & propter conceptum odium æſtuante. Cum igitur nec judicialis quidem perſecutio injuriæ ſemper omni peccato vacet, facile patet, quid ſentiendum ſit de Moraliſtarum doctrina, quibus fas eſt, alapam, imo etiam maledicas voces & injurias, cæde prævenire, & ſi aliter injuria arceri nequeat, contumelioſum occidere. Vid. quæ in hanc rem ex eorum ſcriptis collegit Ludov. Montaltius *Epiſt. provinc.* 7.

Proximum diligerent, Hebræum ſcil.) Judæorum hoc eſt gloſſema, & cum eis judaizantis Grotii. Nec enim lex moralis Iſraëlitis tantum data aut præſcripta eſt, ſed omnibus in univerſum hominibus. Nec igitur Iſraëlitæ ſolum peccabant, quando dicebant falſum teſtimonium, pec-

cant etiam alii. Nec licuit etiam Israelitis adversus extraneum falsum dicere testimonium. Ita non prohibitum fuit Israelitis a suorum tantum civium abstinere uxoribus, non Israelitam tantum non occidere. Et quis sensus fuerit textus *Levitici XIX. v.* 18. satis declarat Christus, optimus Legis interpres, *Luc. X. v.* 30. *seq.* Confer. *Exod. XXIII. v. 5. Deut. XXII. v. 2.*

Sit ergo nunc porrecta latius) Non alia est significatio proximi in Novo Testamento, quam fuit in Veteri.

Concedatur & hoc) Non concessimus id supra, ne fieret confusio Legis & Evangelii. Hoc tamen concedimus, dilectionem suos habere gradus & ordinem. Vid. Paul. Laymann. *Theolog. mor. lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 3.

Antequam vero hinc abeamus, monendus mihi es, Lector, circa hoc quintum Matthæi caput, præter ea, quæ cum Grotio habet communia, adhuc crassius philosophari Salmasium, dum solis discipulis præcepta ejusmodi a Christo data & inculcata contendit. Adscribam ipsius verba ex dissertat. *de trapezitic. fœn. pag.* 307. 308. quæ ita se habent: *Non tamen hoc inter mandata legalia & Dominica præcepta discriminis statuendum est, ut illa pro decretis, quæ necessario fieri oporteat, hæc pro consiliis accipienda sint, quibus*

bus liberum sit unicuiq; non obsequi. Respectu personarum, quibus utraque edicta sunt, differentia inter illa statuenda est. Lex omnibus posita est, quia juri naturali & morali consentanea est, & proinde omnes obligat, ut Judæos olim, quibus data est, ita ut hodie Christianos, quia Christus eam etiam cum ἐπιτάσει confirmavit. Sed illa Dominica præcepta, quibus legalia mandata Christus ad majorem deduxit observationis rigorem, non omnibus per illum tradita sunt, sed solis discipulis. Non tantum quia debuerunt perfecta præcepta perfectioribus tradi, sed etiam, quia oportuit severiore imbui disciplina, per quos nova ac severa doctrina mundo innotesceret. Cum enim auctor ejus ipse Christus morte crucis ignominiosa eam initiavisset, & per similia passuros Ecclesiam suam fundare destinaret, non nisi durissima quæq; eis proponenda fuere, quorum uti ministerio ad prædicandum Evangelium suum per supplicia & cruces voluit. Nec austera videri illis potuere tales præceptiones, quibus atrociora erant subeunda in fide Christi propaganda laborantibus. Præterea quorum vita ad exemplum debuit esse novam doctrinam suscipientibus, eos quoque decuit sub perfectiore, & asperiore disciplina proficere. Postremo cum Christus sectatoribus suis, quos ad sequendum se vocaret, omnia relinquere, quæ haberent, præciperet, non alio precio in hac vita nisi persecutionum & suppliciorum, levia illa omnia & faci-

facilia factu videri debuerunt mandata, quæ supra explicavimus. Ea speciatim discipulis illum suis præcepisse, ex ipso capitis initio manifestum est. - - De his etiam solis locutus est, cum dixit eodem capite: Vos estis lux mundi. - - Non omnibus etiam dixit, sed solis discipulis, cum eos ad prædicandum Evangelium misit, ut nudipedes essent, ut ne plus singulis tunicis haberent, ut in zonis pecunias non sumerent. Antiqui postremo omnia illa præcepta, de quibus supra egimus, ἀποςολικῇ πολιτείᾳ soli vindicarunt, &c. Potuisset Salmasius forte alicui consensum exprimere, nisi revocaret Evangelista Lucas, qui *cap. VI. v.* 17. istam Christi concionem factam refert non tantum discipulis seorsim vocatis, sed præsente multitudine copiosa plebis ab omni Judæa & Jerusalem, & maritima Tyri & Sydonis, qui venerant, ut audirent eum. Et ut maxime sint, quæ solos concernunt discipulos, moralia tamen, quæ ibi docentur, ad omnes pertinent homines, præsertim, cum nihil novi præcipiatur, quod non jam diu in Vet. Test. inculcatum fuerit. Sed nec Christus ipse, nec Apostoli etiam observarunt id, quod noviter præceptum putat Salmasius, si secundum simplicem verborum sonum id fuerit intelligendum. Christus cum coram Caipha Pontifice Max. in una maxilla percuteretur, non præbuit alteram, sed percussori, si non manu, voce tamen restitit & prohibuit,

buit, ut ait Augustinus *epist.* 5. ne, qui fecerat injuriam, augeret. Paulus virgis cæsus, & in carcerem conjectus, acriter & minaciter jus suum urget. *Act.XVI. v.*37. Sic cum ab Anania Pontifice Max. cædi juberetur, quantum potuit, restitit, serioque & vehementer de injuria protestatus est. *Act.XXIII. v.* 3.

Popularibus scil.) Nimium sibi sumit Grotius in restringendis & limitandis præceptis divinis. Verba sunt generalia, & quia morale quid continent, de quibusvis hominibus tam subjective quam objective intelligenda.

Quia capitum sectiones) Non satis constat, quo tempore illa capitum & versuum sectio cœperit. Capitum distinctio utplurimum Stephano Longthono, Episcopo Cantuariensi adscribitur. Vid. Balæus *de script. Anglic. secul.* 13. E contrario Matth. Westmonasteriensis, & Serarius in *proleg.* eandem tribuit Cardinali Hugoni de S. Caro. Versiculorum distinctionem Henricus Stephanus in *præfat. sup. concord. græc.* parenti suo Roberto vindicat. Conf. Joh. Crojus in *Observ. c.* 7.

Huic opponit Paulus arma sua) Agit scil. de foro Ecclesiastico, in quo non corporalibus, sed spiritualibus armis pugnandum est. Sed forum illud Ecclesiasticum

cum non tollit forum politicum, & negotia civilia. Ergo nec arma spiritualia tollunt corporalia in foro politico usitata.

Sed ad bellum privatum proprie pertineat) Ostendit enim Salvator Petro, utpote non constituto in magistratus officio, non esse datum gladium, sed temerario ausu ipsum sibi jus gladii arrogare, & quidem adversus Magistratum. Qui enim ad adprehendendum Christum venerant, autoritate Magistratus venerant.

§. 9. Quod etiam in divinis scriptis sequendum est) Non nego, interpretationes Scripturæ mirifice illustrari & confirmari per expositiones antiquorum Ecclesiæ Doctorum; Sed fides tamen illa, quæ de vera interpretatione hujus vel illius dicti Biblici ex consensu veterum interpretum generatur, non est divina nec infallibilis, sed humana tantum & probabilis, vid. *c. noli meis* 3. *c. ego solis* 4. *c. quis nesciat.* 6. *c. noli frater* 7. *dist.* 9.

Et docere quiddã magnificentius) Sæpe Grotius cum Pontificiis distinguit inter præcepta & consilia, ut jam tum supra memoravimus. Et hinc istud, quod magnificentius hic vocat, sine dubio exponen-

nendum eſt de conſiliis, quæ in hoc eodem paragrapho vitæ ſublimioris eſſe dicit. Quaſi vero non ſolum præcepta, ſed etiam conſilia adimplere, & plus facere poſſit homo, quam Deus præcepit.

Origenes & Tertullianus) De Tertulliano certum eſt, nihil aliud eum in Montaniſtarum hæreſin induxiſſe, quam exactioris & aſperioris vitæ ſpeciem. Cum enim ipſe Chriſtianæ doctrinæ profeſſionem in nimia morum ſeveritate atque auſteritate unice collocaret, eo tandem inclinavit, ut ex aſperioris vitæ cultu judicium de dogmatibus ipſis ferret, & ex eo fidei ſinceritatem metiretur. *Baron. ad annum CCI. n.* 10. Hinc igitur ſpecialiter, inquit Hieronymus *in Catalogo Scriptorum*, adverſus Eccleſiam texuit volumina de pudicitia, de perſecutione, de jejuniis, de monogamia &c. *Origenem* quod attinet, variæ de eo circumferuntur ſententiæ tum excuſantium & defendentium, tum invehentium & reprehendentium. Vid. inprimis Gisbertus Voëtius *diſput. Theol. part.* 1. *pag.* 452. Id tamen certum eſt, nimio Philoſophiæ Platonicæ amore incidiſſe eum in quasdam doctrinas, easque propugnaſſe, propter quas parum ſe commendavit Coëpiſcopis ſuis. De utroque & Origene & Tertulliano videri poteſt Vincentius Lirinenſis *in commonitor. c.* 23. *&* 24.

In sua arte post baptismum manere) Bene Augustinus *de fid. & oper. cap.* 20. *Iste curationis ordo est, ut baptizandi credant, - - & a mortuis operibus agant pœnitentiam, omniumq; se omnino præteritorum remissionem accepturos esse non dubitent, nec ut peccare liceat, sed ut peccasse non noceat, ut sit factis remissio, non permissio faciendi.* Et porro: *Publicas meretrices ad baptismum, nisi illa turpitudine liberatas, nulla admittit Ecclesia.*

Jurare milites jubebantur) De ejusmodi juramentis vide Marcell. Donat. *in Sueton. Galb. cap.* 16. Christiani autem talia juramenta præstare nolebant, non recusabant tamen per salutem Imperatorum jurare. Tertull. *in apol. cap.* 32. *Sed & juramus*, inquit, *sicut non per genios Cæsarum, ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus geniis.*

Sæpe consilia divina) Redit ad suum cum Pontificiis commune dogma, de præceptorum & consiliorum discrimine, & non occulte statuit, posse adhuc plus ab homine fieri, quam a Deo præceptum fuerit, & consilia adhuc supra præcepta esse, nec necessario ab hominibus observari debere, quod si tamen observentur, perfectos reddi ho-

homines. Quæ omnia Pontificiorum sunt commenta, & meritorum quisquiliæ.

Omne juramentũ improbant) Videri hic potest Gerhardus Johan. Vossius *in histor. Pelag. lib. 5. part. 2. th. & antith.* 1.

A secundis nuptiis) Passim de hac circumferuntur verba Gregorii Nazianzeni, Clementis Alexandrini, Buchardi Wormaciensis, Origenis & aliorum, ipsius etiam Concilii Neocæsariensis.

Quæ omnia sicut laudabilia) Jurare nolle ad jussum judicis, abstinere a secundis nuptiis, & ustulari tamen flammis libidinis, sic & ad militiam vocanti Principi parere nolle, nec laudabile est, nec eximium, nec Deo gratum.

§. 10. In dictis modo constitutionibus) Dixit, se autoritatibus privatis sepositis, in quibus ultimo loco dictas constitutiones memoravit, ad publicam Ecclesiæ venire velle, & hic primo loco easdem ponit constitutiones. Privatam ergo & publicam simul eis tribuit autoritatem. Sed nec potest quidem publica Ecclesiæ autoritas ex illis elici, quod dubia admodum sit earum fides. Athanasius *in Synopsi* ponit eas inter scripta

falsos titulos præferentia, spuria & rejicula. Synodus item Trullana *can.* 2. constitutiones illas tanquam ab heterodoxis adulteratas rejicit. Et quanquam Franciscus Turrianus Jesuita multum pro iis adserendis laboraverit, fatetur tamen Antonius Possevinus *in apparatu*, non effecisse eum apud omnes, aut evicisse, esse illas & legitimas, & a Clemente ipso perscriptas. Bellarminus cum *in lib. de Script. Eccles.* libros recognitionum, Clementi Romano adscriptos, rejecisset, idem de his constitutionibus fert judicium. Bellarminum sequuntur Petrus Halloixius *in not. ad vit. Polycarpi, cap.* 6. Dionysius Petavius *lib.* 2. *de doctr. temp. cap.* 57. Plurimorum errorum & *ἀντιῤῥήσεις* eas convincit Jacobus Usserius Archi-Episcopus Armachanus *de Ignatii Epistolis cap.* 6. 7. *seq.* Nihil est ergo, quod publicam Ecclesiæ autoritatem inde accersit Grotius, a quo alias circa thesin ipsam non dissentimus.

Tertullianus in apologetico) Neque hic quidem publicam Ecclesiæ autoritatem præstare poterit Grotio, quippe relatus antea inter privatos, & qui seorsim irent ab aliis.

Quod & milites nonnulli) Distinctius exponendum erat Grotio, utrum illi, quos refert, tempore martyrii militiam adhuc secuti fuerint, an vero eam deseruerint,

&

& cingulum abjecerint. Cypriani enim verba diserte agunt de *quondam* militantibus.

Silaniani Senatus Consulti)

Juxta istud familia servorum, cum dominus occidebatur, non modo auxilium ferre tenebatur & armis, & manu, & clamoribus, tum & objectu corporis; sed & si cum potuisset, non tulerat, de ea supplicium sumebatur, *l.* 19. *ff. de SCt. Silan.* Noluit insuper istud SCtum aut adiri hereditatem, aut bonorum possessionem peti, aut etiam aperiri tabulas ejus, qui necatus dicebatur, antequam habita esset quæstio de servis, sumptumque de noxiis supplicium; secus factum si fuerit, bona voluit publicari, *l.* 5. §. 2. *ff. eod.* Quod si statum Reipublicæ Romanæ consideres, in qua tot erant servorum agmina, & eorum quidem quandoque ad omne facinus promptorum, non poterit iniquum videri istud SCtum, cum aliter nulla domus tuta esse potuisset, nisi periculo capitis sui custodiam dominis tam a domesticis, quam ab extraneis servi præstare coacti fuissent, ut loquitur Ulpianus *l.* 1. *ff. eod.* præsertim cum φύσει ὁ δοῦλος τῷ δεσπότῃ πολέμιος, ut ait Theophilus.

De parricidis culeo insuendis)

Constantinus hoc supplicium non decrevit primus, sed cum in usu esse desiisset, revocavit

vit. Nec Pompeja quidem lege id introdu-ctum est, quanquam Justinianus Imperator ei propter repetitam sanctionem tribuat, §. 6. *Inst. de publ. jud.* sed alia antiquiore, lata, ut opinantur nonnulli, post Annibalis bellum, cum primus L. Hostius patrem interfecisset. Vid. Anton. Matthæ. *de crimin. tit. de parricid. cap.* 2. Nec mirandum est, Constantinum hoc delictum acerbo supplicio vindicasse, cum vix satis acre supplicium excogitari possit in eos, qui vita privant vitæ suæ autores. *Sunt crimina*, inquit Quinctilianus, *quæ ipsa magnitudine fidem non impetrant, parricidium legem aliquando non habuit. Quis enim se facile vinculis naturæ exsolvat? Itaque ad tantum nefas magno oportet scelere parricida veniat.*

Et labaro Christi nomen inscripsit) De labari etymo & figura, deque ipso hoc Constantini labaro vid. Lips. *in not. ad l. 3. de cruc. c.* 15. Nic. Fuller. *lib. 2. miscell. c. 1. & lib. 4. c. 12.* Jacob. Bosius *de triumph. cruc. lib. 6. pag. 632.* Marc. Zuer. Boxhorn. *in histor. univers. pag. 270.* De figura autem crucis, per quam nomen Christi labaro inscriptum & expressum fuit, vid. Joh. Rainold. *in Colloq. cum Hartm. cap. 8. sect.* 4.

Avertisse pœnas) Clerico & Ecclesiæ in causa sanguinis jus tantum intercessionis

nis competere, Canonistæ docent communiter. *Non enim*, inquit Claudius Espencæus, *quo magistratum gladio malorum vindice Deus accinxit, Dei prætendit Ecclesia discingere, aut flagitiorum impunitatem, ac proinde licentiam prædicare. - - ad Laicos amandat, supplex, sed, ut ajunt, civiliter, nimirum si publica tranquillitas ita sarta tecta remanere potest, maleficos hujusmodi citra necem plecti.*

Ut qui ad Ecclesiam confugissent) Legistæ, uti vocantur, saniores hic sunt Canonistis. Illi enim propter generalitatem textus *in Novell.*17.*c.*7. statuunt, pro quocunque maleficio quis ad Ecclesiam fugerit, quod non debeat gaudere immunitate. Vid. Nic. Boër. *decis.* 110. Hi autem indistincte dicunt, omnes fugientes in Ecclesiam gaudere immunitate illius, adeoque etiam homicidam voluntarium, exceptis tantummodo illis, quos exprimit *c. inter alia. X. de immun. Eccles.* cum tamen & jus divinum iis solum asyliam dari jusserit, qui *ἀκουσίως* sanguinem effuderunt. Vid. Selden. *de jur. nat. & gent. l.* 4. *c.* 2. Et hinc recte infert Petrus de Ferrariis *in prax. tit.* 52. *n.* 47. quod jura ista canonica facta sint sine ratione, & ad beneplacitum, imo & contra jus divinum. Mos igitur introductus, quem hic laudat Grotius, si

si generaliter intelligendus est, eidem censuræ subjacebit.

Et ut circa pascha) Admodum tamen limitata est ista indulgentia *in l.3.Cod.de Episc. aud.* it. *in l.3.4.& 6. C.Theodos. de indulgent. crim.* Sed & ubi liberatio locum habet, relaxationem potius eam esse statuunt Interpretes, quam omnimodam dimissionem. Vid. Jul. Clar. *sent. lib.5. §.fin. q.46.n.9.* Menoch. *de A.J.Q.cas.303.n.38.* Joh. Parlador. *rer. quotid. c.fin. part. 5. §.6. n.8.*

XII. Canonem Synodi Nicænsis) In explicatione istius Canonis variant Doctores veteres; plerique de iis accipiunt, qui cingulum, quod fidei & veræ religionis causa abjecerant, repetunt, sive in militiam redeunt, eoque ipso fidem abnegant. Fuit enim olim cingulum res magni honoris & comodi, & propterea Imperatores Ethnici, persecutionis tempore cingulum militiæ Christianis adimere consueverunt. Quam ob causam cum plures Christianorum militum ardore fidei cingulum sponte abjicerent, sine honore potius, quam fide vivere malentes, deinceps vero, posteaquam mundi & honoris tentationibus devicti essent, idem cingulum, parati fidem ejurare, vicissim ambirent, pœnam hanc a Concilio impositam luere oportebat. Francis. Long. a Coriolan.

in summ. concil. ad dict. can. Sed ista interpretatio Gabrieli Albaspinæo *in not. ad eund.* non placet. Ipse igitur eum intelligit de pœnitentibus, qui relicta, quam professi erant, pœnitentia, & abjecto habitu pœnitentibus solenni, voti sui obliviscentes, rursus animum ad secularia negotia, sive militiam ea, sive mercaturam, sive judicandi potestatem, aut quodcunque munus seculare concernerent, applicabant. Sed de hac interpretatione videant alii. Nobis ea se non satis probat. Novissime Claudius Salmasius *de fœn. trapezit. p.* 782. verba canonis simpliciter accipit de iis, qui gratia inspirante divina cingulo militiæ deposito, quo melius & perfectius vitæ institutum magisque Christianum capesserent, postmodo illud resumpserunt, & denuo se militiæ sacramento obligarunt. Non igitur absolute damnasse dicit militiam illius temporis patres, nec milites, qui ex necessitate ei nomen dedissent, improbasse, sed eos non excusasse, imo & pœna Ecclesiastica dignos judicasse, quibus cum jam liberum esset non militare, ab ea utpote jam dimissis ac sacramento solutis, iterum ad eam redire placuisset. Et hanc secundam militiam propter solam hominum trucidationem improbatam patribus fuisse. Sed hæc Salmasii explicatio ideo subsistere nequit, quia ipse Constantinus, quo autore Concilium Nicæn. congregatum fuit, lege publica liberam de-

dit optionem illis, qui tempore Licinii honoribus militaribus dejecti fuerant, vel rei militari se reddendi, vel libere & pro arbitratu vitam degendi, uti refert non Theodoretus tantum, cujus metaphrasten reprehendit Salmasius, sed etiam Eusebius *de vit. Constantini lib. 2. cap. 33.* Si igitur damnata fuit eo tempore militia ab Christianis secunda vice suscepta, quomodo optionem dare potuit iis Constantinus? Magis igitur erit, ut Hugonis Grotii partes sequamur, & de illis canonem accipiamus, qui in militiam denuo iverunt cum abnegatione fidei jam agnitæ.

Sunt & qui Leonis Epistolam) Nonagesimam scil. quæ est ad Rusticum Episcopum Narbonensem, & allegatur *c. contrarium, de pœnitent. dist. 5.* atque his verbis juvatur explicatio, & sententia Gabrielis Albaspinæi modo citata, dum saltem ostendi sufficienter posset, eandem in canone Niceno proponi facti speciem, præsertim cum ipse fateatur Albaspinæus *l. 2. Observ. 3.* demum post Concilii Nicæni tempora pœnitentiam genus quoddam religionis fuisse, eamque pœnitentes vovisse, & solenni voto nuncupatam subiisse.

Sed eximiæ cujusdã puritatis) De ἐξομολογήσεως publicæ ritibus & exercitiis

citiis pœnitentium asceticis videri possunt Desiderius Heralgus *ad Tertull. apolog. l. 2. digress.* 4. Isaacus Casaubonus *exercitat.* 16. Dionys. Petav. *in special. diatrib. ad Epiph. hæres.* 59.

Canones Apostolici) Canones illi ab ipsis Pontificiis quandoq; rejiciuntur, unde & in jure Canonico liber ille apocryphus dicitur *c. sancta. dist.* 15. alii corruptos eos ab hæreticis, nonnullos etiam plane supposititios venditant. Et quod antiquissimas consuetudines in iis contineri hic dicit Grotius, verum quidem est, sed id tamen nihil facit ad autoritatem eorum confirmandam. Plurimi contendunt, collectos eos fuisse post Concilium Antiochenum, quippe cujus canones illis sæpe interserantur. Vid. Guilh. Witaker. *cont.* 1. *quæst.* 16. *c.* 12. Joh. Rainold. *cens. lib. apocr. tom.* 1. *prælect.* 44. Rob. Parker. *de polit. Eccles. l.* 2. *c.* 13.

Ne quis Episcopus) Quam non conveniat Clerico bellum, & quantum inter se pugnent, Episcopum esse, & simul militem, pluribus exponit Claudius Espencæus *in* 1. *epist. ad Thimoth. l.* 2. *digress. cap.* 6. Sed jam diu est, cum id in desuetudinem abiit contra Ecclesiæ primitivæ instituta, & tractare arma cœperunt Episcopi, notati proinde Baronio Cardinali *sub ann.* 888. *num.* 2. *Videri potuit*, inquit ille, *plane monstrosum,*

quod

quod tam Episcopi quam Abbates armati ad bella procederent, in hostes irruerent, caderent ipsos, & caderentur ab ipsis, tanquam sacrorum canonum violatores, & muneris pastoralis & nominis desertores detestandi.

Ne publicis se administrationibus immittat) Videri poterit Gerhard. *loc. de minister. Eccles. n.295. seqq.* Piccart. *ad lib. 4. polit. c. 15.*

Inter Africanos canones sextus) Imo decimus sextus ex recensione Dionysii Exigui, ut & Christophori Justelli *in Cod. Can. Eccles. Africani.* Agit tamen eadem de materia canon sextus Concilii Carthag. I. si forte hunc in animo habuit Grotius, quanquam ipsum corpus & collectionem canonum magis præ se ferant verba.

Aut causarum patrocinium) Videri & hic poterit Claudius Espencæus *l. 1. digress. 9.*

Extra tempora persecutionis) Dum Ecclesia pace fruitur, & desierunt persecutionum procellæ. Vid. Gabr. Albaspinæ. *ad istum can. pag. 253.* Et hinc nescio, qua sive confidentia, sive temeritate, Francisc. Longus a Coriolano in recensione istius canonis pro verbis *in pace*, reposuerit, *in bello.*

CAP.

Caput III.

§. 1.

Qui jurisdictionem habet) Jurisdictio proprie dicta magistratui competit, non Principi, & nihil aliud est, quam potestas de civilibus & privatis caussis jus reddendi, jure magistratus competens. Et quanquam ipsi quandoque Imperatores de civilibus subditorum caussis etiam pro tribunali jus dixerint, *l. ult. C. de leg. l. 3. ff. de his, quæ in testam. del.* ista tamen, quæ Princeps exercebat judicia, cognitiones appellabantur, & ab jurisdictionis exercitio secernebantur; Sutholt. *de jurisdict. n.* 193. 196. Improprie igitur loquitur Grotius, quando publicum bellum definit, quod auctore eo geritur, qui jurisdictionem habet. Nec enim Magistratui jus belli gerendi competit. Et ut maxime hic bellum aliquod excitet adversus Principem, non tamen id erit publicum, imo ne bellum quidem, sed seditiosus tumultus. Proprie enim bellum dicitur istud, quod geritur inter partes summo Imperio & majestate pollentes.

Mixtum, quod una ex parte) Ego nec bellum quidem id esse dixerim, nisi pari autoritate congrediantur exercitus. Non enim in usu armorum tantum & exter-

terna vi consistit bellum, sed etiam & potissimum quidem in jure. Jus belli ergo quibus non competit, cum illis etiam non geritur bellum; uti nec legatos proprie dictos mittere potest, qui non tenet summum imperium. Et hinc ex Reipublicæ suæ usu optime hostes definivit Ulpian. *l. 24. ff. de captiv. & postlim.* consentiente Paulo *l. 19. §. 2. ff. eod.* *Ille hostis est*, uti disserit Cicero *Philipp. 4. qui habet Remphbl. curiam, ærarium, consensum, & concordiam civium, & rationem aliquam, si res ita tulerit, pacis & fœderis, reliqui etiam, si exercitus habeant, & milites atq; Imperatores se ferant, non pro hostibus, sed pro latronibus & Spartacis sunt habendi.*

Post constituta judicia publica) Latius hic accipit Grotius publica judicia, quam solent JCti *sub tit. de publ. judic.* Et hic intelligit omnia in universum judicia, quæ quovis modo injuriam & vim illatam vindicant & coërcent.

Sed a facto sunt humano) Non ausim hoc cum Grotio asserere, quod vel ante omne factum humanum Deus ipse adhuc in paradiso ejusmodi judicium instituerit, *Genes. III. v. 9.* cujus intuitu judicia quoad originem juris naturalis primævi esse dixit Robertus Maranta *de ord. judic. part. 3. num. 133.* Ostendunt insuper Theologi, & probant ex *Deut. I. v. 17. 2. Par. XIX. v. 6.* judicium

cium esse ipsius Dei originaliter, autoritative & principaliter. Vid. Gerhard. *Loc. de Magistrat. polit. n.* 271. Accedit, quod sine Imperio vix possit constare judicium, cum sine eo sententia executioni dari non possit. Atqui imperium à natura esse, dicendum erit infr. *ad lib.* 2. *c.* 20.

Et vim vocant Leges) Pertinent huc *l.* 13. *ff. quod met. cauf. l.* 7. *l.* 8. *ff. ad L. Jul. de vi privat. l.* 50. *ff. de A. R. D.* Facile enim potest per ejusmodi vim tumultus excitari, *l.* 176. *ff. de R. J. l.* 6. *C. ad L. Jul. de vi.* Cur vero ad arma & rixas procedere patiatur Prætor, quos potest jurisdictione sua componere? *l.* 13. §. 3. *ff. de usufr.*

§. 2. Quæ ante judicia constituta) Non arbitror, consistere posse societatem sine judiciis, saltem inter populos moratiores. Etsi enim ordinatio judiciorum & forma eorum externa talis non fuerit ab initio, qualis nunc est, vixisse tamen homines inter se sine magistratu, sine imperio & sine judiciis mihi non fit verisimile. Vid. infr. *l.* 2. *cap.* 20. *n.* 8.

Ubi cessat judicium) Pertinet huc integra materia de necessaria & legitima defensione, item totus titulus Cod. *quando liceat unicuiq; se sine judice vindicare.* Similiter

l. 3.

l. 3. §. 9. l. 17. ff. de vi. l. 1. C. unde vi. l. 3. C. de pignor.

Momentanee cessat) Justa enim defensio ad alterius impetitionem in continenti fieri debet, *l. 3. §. 9. ff. de vi & vi arm. l. 16. ad SCtum Macedon. l. fin. §. fin. ff. quod vi aut clam.* Vis enim, quæ ex intervallo infertur, non ad defensionem, sed ad vindictam spectat, *l. 12. §. 1. ff. quod met. caus. & ibi Cujacius.* In tali ergo momentanea defensione ad judicem recurri non potest, nisi quis defensionem omittere, & certum vitæ periculum subire malit, quod tamen ipsa natura aversatur.

Si in effossione deprehensus fur) Effractorem nocturnum ideo, quod incertum erat, furti an cædis causa ædes nocte effringeret, patrifamilias in tutelam sui occidere licuit, non item, si luce hoc fecerat, quia de furto tunc solum præsumebatur, quod ex Lege non cæde, sed mulcta compensandum erat. Joh. Selden. *de anno civil. Jud. cap. 15.*

Si nox furtum faxit) Furem nocturnum quoquo modo occidere licebat impune; diurnum non aliter, quam si telo se defenderet. Ratio differentiæ erat, quia noctu majus est periculum, dum per tenebras discerni non potest inter armatum & inermem, ut

ut proinde melius ſit prævenire, quam expe- ctare & pati, ut fur ipſe vitam nobis eripiat. Itaque non tam ut fur ille nocturnus occiditur, quam ut ſicarius & inſidiator & graſſator. Conrad. Rittershuſ. *in LL. XII. tabb. c.* 30. Add. infr. *l.* 2. *c.* 1. §. 12.

§.3. De jure divino voluntario perfectiore) Tale conſtitui jus in Nov. Teſt. jam ſæpe negavimus. Atque id toties repetendum erit, quoties Grotius ex Chriſto faciet Legislatorem.

Quin Deus) Defenſionem, etiam cum alterius occiſione, jure naturali non licitam tantum, ſed etiam præceptam eſſe, contendunt Doctores, atque hinc neque à Principe quidem, nedum ſtatuto aut conſuetudine tolli eam poſſe volunt. Vid. Berlich. *part.* 4. *concluſ.* 12. *n.* 9. 10. 11. Petr. Anton. de Petra *de poteſt. Princ. c.* 26. adeo, ut qui ſe, cum defendere poſſet, occidi permittit, damnari queat, non aliter ac ſi ſe ipſum occidiſſet. Berlich. *d. l. n.* 13. Et hinc disquiri poſſet, num etiam Deus jure poſitivo tollere defenſionem ejusmodi queat? Quod quidem ex poſita ſententia forte negandum eſſet. Nos defenſionem dicimus eſſe juris naturalis permiſſivi, non præceptivi, adeoque non placet ſupra adducta JCtorum ſententia, ſi abſolute ſumatur. At ſi defenſio con-

sideretur in relatione ad aliud, & respectus habeatur ad aliquod bonum, quod per omissionem defensionis simul negligitur, potest peccare, & homicidii reus fieri, qui se non defendit. Ut si defensione nostri bonum commune periclitetur, vel familiæ nostræ præsidium eripiatur, vel aliud majus bonum temporale aut spirituale intervertatur. Qua ratione necessario tenetur miles in excubiis stans se defendere, item qui novit, omissione defensionis principem, parentes, magistratum vitæ discrimen subituros. Et his casibus præcipit jus naturæ defensionem sui; quæ tamen si recte res perpendatur, non tam sui est defensio, quam alterius. Neque hanc prohibere potest majestas civilis, prohibere tamen potest majestas divina, eo, quod natura non simpliciter jubeat, sed sub certo statu, quem Deus citra ejusmodi defensionem nihilominus sartum tectum conservare potest.

Non vetamur nobis potius, quam aliis consulere) Et ex hoc principio defenditur moderamen inculpatæ tutelæ, quod lex charitatis vitam propriam ejusque tuitionem aliorum vitæ præponat.

Deinde morali judicio) Vita spiritualis proximi anteponenda est vitæ cor-

po-

porali meæ, quando hæc necessaria est proximo ad suam beatitudinem & vitam spiritualem. Atqui proximus nos impetens sine jactura vitæ nostræ corporalis suam potest habere & tueri vitam spiritualem. Dum igitur ex mera nequitia vitæ meæ insidiatur, & ipse nequiter nolendo desistere in periculum animæ se conjicit, non teneor ego nequitiæ illi vitam meam exponere, sed possum per moderamen inculpatæ tutelæ aggressorem repellere.

De Essenis innocentissimis hominibus) Studebant enim, ut vitæ puritate, religione, jurisque tum divini tum humani apicum observatione se conspicuos redderent. Vid. Josephus *lib. 2. de bell. Jud. cap.* 7. Marc. Zuer. Boxhorn. *histor. univers. pag.* 32. & 79. Selden. *de synedr. l.* 1. *c.* 7. Nic. Fuller. *l.* 1. *miscell. c.* 3.

Ut sumptum appareat ex eo, quod fieri solebat) Verba Salvatoris comparant inter se quietam vivendi rationem, qua hactenus in schola sua usi fuerant Apostoli, & mox successuram gravissimam persecutionem, adeo, ut si quis humano præsidio niti velit, & more usitato sibi suisque rebus consulere, non possit rectius agere, quam si venditis omnibus, ipsa etiam

tunica, gladium sibi comparet. Parabolicè igitur sub necessitate gladii gravitatem periculi imminentis exponit, cum usitatum sit, ut imminentibus calamitatibus bellicis talia fiant. Simul tamen vel Apostolis vel Christianis omnibus concedit tum comparationem necessariorum adversus calamitates præsidiorum, tum etiam gladii usum, ubi gloria Dei & cursus Evangelii aliud non requirit.

Ne resistite injuriam facienti) Dictum hac de re jam fuit *cap. anteced.* §. 8.

Non tuendi, sed ulciscendi) Defensio ergo licita est, non ultio aut vindicta. Vid. Petr. Perrenon. *lib.* 2. *animadv.* 18. Jacob. Cujac. *lib.* 5. *obs.* 18. secus atque putavit Aristoteles & Cicero, qui ultionis exactionem in virtutis parte ponunt, ille *lib.* 4. *ad Nicomach. c.* 2. hic *lib.* 2. *de invent.*

Quod vero Petro dictum est) Usus gladii illi non simpliciter, sed intempestivus abusus, præsente & non jubente Magistro, extra casum defensionis necessariæ, adversus eos, qui à Magistratu missi erant, reprehenditur.

Omnes, qui gladiū acceperint) Ex illis verbis potius colligitur generalis aliqua & ordinaria regula, secundum quam homicidæ voluntarii & dolosi per magistra-

tum gladio puniri debent. Gerhard. *Loc. de Magistrat. n.* 298. Nequaquam autem interdicitur defensio naturalis & moderamen inculpatæ tutelæ.

Imitari laudabile sit) Facta Christi omnia imitari nec possumus, nec debemus, sine certo verbo ad nos pertinente. Et quia hic imprimis agitur de satisfactione Christi, non potest istiusmodi talis a quoquam peragi.

Fœdere inito cum Patre) Postquam in Sanctissimo Trinitatis Concilio decretum fuisset, ut secunda persona in tempore carnem assumeret, sponsio etiam in illo Sacrosanctæ Trinitatis Concilio interposita est a Filio Dei, non Patri tantum, ut hic vult Grotius.

Non modo summam ei gloriam) Nec tamen dicendum est, Christum sibi aliquid per passionem & mortem suam promeruisse, uti quidem statuunt Pontificii. Ubiq; intelligenda est necessitas consequentiæ divinitus ordinatæ, qua de toto redemtionis mysterio ita definitum fuit, ut post ultimum gradum profundissimæ exinanitionis resurgeret, & caput exaltaret. Dorsch. *in dissertat. ad Psalm.* 110. *n.* 59.

Non pro quibusvis) Non arbitror, tam restrictum & limitatum esse ejus dicti sensum, quanquam in ordine charitatis præcedat ejusdem religionis consors. De intellectu ejus dicti videri potest Waltherus *in harm. bibl.*

Quæ vero ex Christianis Scriptoribus) Augustini verba supra enarrata Thomas *in 2da 2. qu. 64. art. 7.* exponit de eo casu, quando quis intendit mortem aggressoris injusti, non autem subsistit tantum in intentione defensionis. Alii, ut Lessius & Molina, ita explicant Augustinum, quod velit, illicitam esse occisionem hominis invadentis, quando intenditur a defensore ex animo vindictæ cupido, & odio inflammato. Et huc tendere videntur verba ex Canonibus Apostolicis a Grotio citata.

§. 4. Aliud est solenne) Nos contenti sumus unica illa distinctione belli publici & privati. Nec enim aliud bellum dicimus publicum, nisi illud, quod hic solenne dicit Grotius.

Eo sensu, quo justum) Vid. Alciatus *ad l. 130. ff. de V. S.* Petr. Perrenon. *l. 1. animadv. c. 9.*

De-

Deinde ut ritus quidã absunt) Vid. infr. *lib.* 3. *cap.* 3. & quæ ibi notabuntur.

Et geri in privatos, & auctorem habere) Id jam supra negavi, nec video, cur ex coërcitione jurisdictionali illico faciendum sit bellum.

Et sane, si citra leges civiles) Imo vero mox asserit Grotius, omnium ferme populorum legibus jus belli gerendi summæ potestati tributum fuisse. Id quod arguit, non tam lege civili id constitutum esse, quam jure gentium & communi populorum consensu. Diximus, societatem consistere non posse sine imperio, neque igitur imperium consistere poterit sine tali potestate belli gerendi. Et hinc porro neque consistere poterit salus Reipublicæ, si pluribus jus istud concedatur. Optime Augustinus hic apud Grotium jus belli gerendi ad ordinem naturalem refert. Ordo autem iste naturalis ex eo imprimis resultat, quod maximum Reipublicæ turbandæ momentum in bello consistat, quodque tota salus cõmunis ab exitu belli pendeat. Et ex hoc jus belli tanti æstimat Bodinus, ut eo nullum fere majus regale inveniri dicat *lib.* 1. *de Repubł.* At credo ego, regalia non demum jure civili cœpisse, sed altiorem habere originem.

Si vis occurrat) Vis illa aut externa est, aut interna, hoc est, aut extra civitatem, cui Magistratus præest, aut in ipsa illa sese exserit. Priore casu aut a privato aliquo impedimentum jurisdictionis contingit, aut a persona quidem publica Magistratui æquali sed eidem Principi subjecta, aut ab hoste publico. Cum illo, sive plane extraneus ille fuerit, sive eidem Principi subjectus, bellum ut geratur, necesse non est, quippe qui coerceri a superiore suo nullo negotio potest, nisi id facit autoritate Principis extranei publica. Tum enim vertenda erunt a Magistratus impediti superiore arma in illum, qui ejus rei causa est prima & præcipua. Cum isto itidem necesse non est, ut bellum geratur, quandoquidem & iste coërceri a Principe communi possit: Cum hoc autem armis quidem transigere rem oportet, sed a quo? non certe a Magistratu, qui exercere jurisdictionem prohibitus est, sed ab ipso illo, qui Magistratum constituit, quique per Magistratus latus contumelia affectus est, aut si per Magistratum impedimentum removeri potest, non tamen id fieri debet sine præscitu & autoritate superioris, quippe cujus interest, rem bene & cum emolumento geri. Posteriore casu poterit Magistratus ipse vi jurisdictionis, quam tenet, contumaces coërcere, habito eo ordine, quem præscribit Bart. Bla-

rerus

rerus *ad L. diffamari, c.* 11. *n.* 11. Oldendorp. *claſſ.* 1. *act.* 2. *n.*18. ita ut manu etiam militari uti poſſit, ſi aliter obtemperare ſubditus nolit, *l.* 68. *ff. de R. V.* Nego tamen, hanc poteſtatem coincidere cum poteſtate belli gerendi, niſi belli vocabulum tam late capiatur, ut qualemcunque vim armatam, etiam eam, qua Magiſtratus in ſubditos utitur, includat, ſed quo ipſo in meras æquivocationes negotium deſinit.

Et in Romano jure) Non eſt hoc ex mero jure civili, ſed imo jus belli gerendi naturaliter eſt pars poteſtativa majeſtatis. Naturam ergo majeſtatis dum conſiderat jus Romanum, non potuit non tale quid conſtituere, quod ante omnem legem civilem locum habet.

Nam primum quin ei) Jam ante dixi, talem coërcitionem ſub poteſtate belli gerendi non contineri, nec bellum dici poſſe. Quin nec iſtud quidem proprie bellum dici poteſt, quando Princeps refractarios & rebelles in ordinem cogit. Ut maxime enim tum jure ſuo majeſtatico utatur, & integrum quandoque exercitum cum poteſtate inſolentiſſima, & cum apparatu pluſquam ſolenni mittat, non tamen utitur tum ea majeſtate, quam erga parem oſtentare debet & ſo-

let, ſed majeſtaticum potius exercet imperium. Quod ergo alias facit magiſtratus adverſus refractarios, vi jurisdictionis, id facit Princeps vi imperii. Quod autem in eam rem integrum nonnunquam & copioſum exercitum conſcribere opus habet, id cauſatur magnitudo periculi, & quod non una tantum civitas, ſed integra quandoque provincia, aut ſaltem ipſius imperantis majeſtas adverſariorum libidini expoſita ſit, quibus ut capiſtrum injiciatur, tanto interdum opus eſt apparatu.

Hic etiam neceſſitas) Imo vero, quæ in obſidionibus e. g. ſuſcipitur defenſio, ex præſumptiva voluntate Principis videtur fieri, quod malit civitatem quibuscunque modis ſalutem ſuam procurare, ut in fide retineatur, quam ab hoſtibus eripi & occupari. Et quanquam talis præſumptio nulla adeſſet, aut etiam de contraria Principis voluntate conſtaret, poterit tamen civitas ita ſibi relicta, & a Principe ſuo deſerta, nihilominus armis reſiſtere, & vim hoſtilem pro viribus repellere; redit enim tum ipſi talis poteſtas ex jure naturali ſimplici, quo unumquodque conſervationem ſui quovis modo procurandi poteſtatem habet.

§. 5. Sane ſi publicum non aliud dicimus) Hoc eſt, quod ſupra dixi, in æquivocationes deſinere Grotii hanc tracta-

ctationem. Maneamus in simplici intellectu, & dicamus id tantum bellum publicum, quod inter summas utrinque potestates geritur.

Neque enim hoc sufficit videre) Hoc videtur velle, attendendam potius esse generalem Principis voluntatem, & in ea subsistendum, quam specialem aliquam nudis conjecturis eliciendam. Quando igitur Princeps bellum gerit, ideo ut periculum avertat, male a Duce aut Archistratego nova excitantur pericula, novi provocantur hostes. Et in publicis alias licet difficulter mandati fines excedere. Vid. Gail. *l.* 1. *de pac. publ. c.* 4. *n.* 26. *seqq.*

§. 6. Dionysius Halicarnassensis) Ista tria in qualibet Republica conspicua maxime sunt. Cum enim imperium summum in duobus præcipue sit occupatum, tum ut regat, tum ut tueatur Rempublicam, & vero ad regendam Rempubl. quam maxime faciat potestas ferendarum legum & magistratus constituendi, ad tuendam autem jus armorum præcipue, præter ista tria vix erit aliud, quod in unaquavis Republ. sese exerat tam manifeste; imo vero tam late ista patent, ut reduci eo possint plurima regalia alia. Porro autem ipsum numerum ejusmodi majestatis jurium in actu signato determinare,

non

non parum erit difficile, præsertim cum lege positiva, usu aut consuetudine induci possit, ut jura, quæ olim Regalia non fuerunt, pro regalibus hodie habeantur, & vicissim. Rosenthal. *de feud. cap. 5. conclus.* 94. *num.* 1. Non igitur reprobo summa ista capita, quæ hic facit Grotius. Addimus nos adhuc aliam inspectionem, Lectori forte non injucundam. Poterit scilicet Majestas considerari, vel in respectu ad subditos, vel in respectu ad pares. Etsi enim Majestatis vocabulum in sensu proprio & genuino semper denotet superioritatem; tamen quia non una in terris invenitur Respublica, sed complures aliæ, quarum unaquæque seorsim sua pollet majestate, superioritas illa tantum intra terminos Reipublicæ suæ audienda est: extra eosdem pares tot habet, quot Respublicas æque perfectas terrarum orbis universus. Non facile tamen invenitur Respublica, quæ seipsa ita contenta sit, ut alterius non egeat sive opibus, sive fructibus, sive auxilio. In hunc igitur finem majestati insunt aliqua regalia, quæ majestatis ad majestatem inferunt respectum, & quorum vi Princeps cum Principe agere & contrahere potest. Talia sunt jus belli & pacis, jus fœderis sanciendi, jus legatorum mittendorum, & quæ sunt his similia. Vicissim sunt alia, quæ majestati competunt in respectu ad subditos, & limi-

tes

tes imperii non egrediuntur, qualia sunt jus vectigalium, jus legum ferendarum, magistratuum creandorum, comitiorum, extremæ provocationis &c. Prioris generis jura possumus, Scholasticorum imitatione, regalia æquiparantiæ, posterioris, disquiparantiæ dicere. Illa ex potestate mutua & utrinque æquali, hæc ex potestate supereminente proficiscuntur. Illa natura posteriora, hæc priora. Illa abesse possunt, hæc nequeunt. Illic enim non repugnat, majestatem esse sine pari, ut si fingas, totum terrarum orbem unius imperio parere, aut in Noacho regiam potestatem imagineris; hic repugnat, majestatem esse sine subditis. Præstantiora igitur & potiora hæc illis, illa autem magnifica magis, & magis verenda, quippe quæ ad exteros etiam majestatis stricturas projiciunt; utraque tamen Reipubl. usui & utilitati sunt destinata.

Dominium eminens) Supra diximus, frustra id a Grotio adseri, cum sufficiens sibi in omnibus istis negotiis sit imperium majestaticum.

§. 7. Ut & successorem) Multum hic variant Legum Doctores, uti solent, quando ex legibus civilibus causas publicas definire annituntur. Communis tamen sen-

ten-

tentia est, facta antecessoris rata haberi debere a successore, præsertim si nomine dignitatis & tanquam a Principe factum quid fuerit. Aymo Cravetta. *conf.* 241. *n.* 17. Andr. Tiraquell. *de jur. primogen. q.* 35. *n.* 21. Card. Mantica *Lucub. Vatican. l.* 27. *tit.* 5. *n.* 1. Schrader. *conf.* 21. *n.* 56. saltem in eum finem, ut facta sua vicissim a successore rata habeantur. Tiberius Decianus *conf.* 25. *n.* 47. *vol.* 1. Marburgens. *conf.* 18. *n.* 137. *vol.* 3. Dicam ea de re copiosius alio tempore.

Subjectu commune est civitas). Hoc videtur velle, summam potestatem radicaliter, fundamentaliter, virtualiter, aut habitualiter, uti in scholis loquuntur, esse in tota civitate & penes populum; formaliter vero penes imperantem unum vel plures, pro cujusque gentis instituto. At falsum hoc esse, ex eo inprimis patet, quod potestas imperandi a DEO conferatur immediate, perinde uti potestas docendi, solvendi, & ligandi, administrandi Sacramenta &c. quæ ministro Ecclesiæ competit. Quemadmodum igitur populus eligendo pastorem, non confert potestatem istam, nec conferre potest, quia scilicet eam nunquam habet ipse, sed personam electam potestati a Deo immediate proficiscenti applicat: haud aliter & eligendo Regem, non confert potestatem imperandi; sed personam electam produ-
cit,

cit, eamque destinat ad exercitium potestatis illius a Deo immediate conferendæ. *Breviter:* Communitas, quando eligit personam, ipsam potius personam seu personas applicat potestati divinæ, quam potestatem divinam personis. In multitudine ergo seu civitate est solum potestas deputandi seu eligendi personam, personasve, a quibus regatur. Facta ista electione seu deputatione, Deus immediate electis confert politicam potestatem. Ejusque potestatis verum & immediatum subjectum est non multitudo, sed persona electa. Vid. inprimis Marcus Antonius de Dominis *de Rep. Eccles. lib. 6. cap. 2.* Nec igitur magis verum est, quod paulo infra asserit Grotius, extincta domo regnatrice, imperium ad populum reverti. Redit enim tantum potestas eligendi & designandi alium aut alios, non ipsa potestas imperandi. Quin si militari manu & per vim bellicam occupata aliqua fuerit provincia, an & tum quoque subjectum commune statuet Grotius? Non arbitror, nisi ipsum imperium quoque populo competens ablatum statuat. Sed id ei competere, jam negavimus. Et sufficit vel hoc casu, nullum superesse amplius subjectum commune.

Quales erant provinciæ Romanorum) In provinciæ formam redigere dicebatur populus Roman⁹, cum ademptis aut

aut immutatis legibus devictos magistratui Romano quotannis ab urbe mittendo, omnino subjecit, ac vectigalia conventusque constituit. Sigonius *lib.* 1. *de antiqu. jur. provinc. c.* 1.

§. 8. Rejicienda est eorum opinio) Favent huic opinioni, quotquot majestatem dividunt in realem & personalem. Plerumque enim majestatem personalem reali ita subjiciunt, ut ab ea dependeat, ipsi obnoxia sit, ab ea fluat, & veluti Luna a Sole splendorem omnem mutuetur.

Id est, ad servitutem aptos) Aliqui enim ingenio tardi & stupidi, corpore autem robusti in hunc finem a natura producti videntur, ut aliis, qui ingenio & ratione valent, serviant, etsi actu ipso servi non sint, quemadmodum nec Imperatores aut Principes sunt illico, qui apti nati sunt principatui regendo.

Etiam in se, ut interpretatur Theophilus) Quem sequuntur hodie plures. Variæ tamen adhuc circumferuntur explicationes aliæ, de quibus videri potest Paurmeister. *de jurisdict. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 35. Probabile est, populum Romanum verbis EI & IN EUM ostendere voluisse enixam suam

ſuam voluntatem omne imperium ſuum omnino transferendi. Arn. Vinnius *in* §. *6. Inſt. de J. N. G. E. C.*

Et apud Romanos Dictatorum) De his plura habet autor §. 11. ubi ſummum eorum imperium adverſus diſſentientes aſſerit.

Eſſe ſuperiorem conſtituto) Non ſemper id verum eſt, etiam ſemota Grotii reſponſione. In Academiis Reſpondentes conſtituunt ſibi Præſides, nec tamen propterea Præſidibus ſunt ſuperiores. Mulier ſibi conſtituit maritum, nec tamen eo eſt ſuperior.

Cæterum non nego) Hactenus igitur tolerari poteſt, quod Fernandus Vaſquius *l.* 1. *contr. c.* 1. fundamenti loco ponit, principatus ab initio ob publicam civium utilitatem, non ob regentium commoda introductos eſſe.

Sed non ideo conſequens eſt) Sues enim propterea non ſunt ſuperiores ſubulco, quod hic illorum cauſa conſtitutus ſit.

Deum de Principib⁹ judicare) Cauſas civiles, quas cum ſubditis habent, ſolent quandoque Principes Conſiliariis ſuis

committere, eosque tantiſper, dum de illis cognoſcunt, fidelitatis juramento liberare. Weſenbec. *in comm. Cod. ne quis in ſua cauſa jud. n.*11. Berlich. *part.* 1. *concluſ.* 3. *n.* 7. Sed in delictis tamen iſtiusmodi judicia vix admittunt, & in hoc ſcil. ſuperioritatem ſuam conſiſtere opinantur nonnulli, quod impune ſibi peccare liceat.

Quis te corripiet) Nulla amplius inter Pontificios hac in re eſt autoritas Gregorii Turonenſis (vixit ille circa annum 596.) nec cujusquam alterius, ſimile quid docentis. *Plane formidoloſo exemplo*, inquit Paulus Piaſecius *in Chron. pag.* 58. *Theologiam invitam in necem principum armarunt, ac ſi hac doceret, quod quilibet ſubditus, imo & vulgus imperitum ſit judex & vindex factorum Regis ſui, liceatq́ue ei principem arte malevolorum vocatum in ſuſpicionem hæreſis ſtatim tollere &c.* Quantas in Galliis doctrina de vulgi & ſubditorum in Regem animadvertendi poteſtate turbas dederit, uberrime oſtendunt ſuperioris ſeculi annales. Et hoc quoque ſeculo ipſis in comitiis Ordinum hac de re acerrime diſputatum, refert Gabr. Barth. Gramond. *hiſt. Gall. lib.* 1. Id ſæpe miratus ſum, auſum fuiſſe Georgium Buchananum dialogum ſuum de jure Regni apud Scotos vulgi & ſubditorum jura adverſus Principem enixe aſſerentem, Regi ſuo Jaco-

bo

bo VI. dedicare, præſertim cum paulo ante Eliſabetha, Angliæ Regina, damnaſſet Scotorum aliquem in Regum injuriam ſcriptum commentarium, quo inſolenti quadam libertate & verborum aſperitate populum Scoticum Regibus eſſe ſuperiorem, ex veteri regni Scotici jure, exemplis obſoletis & novis undiquaque conquiſitis, populares ubique Magiſtratus ad libidinem Regum moderandam conſtitutos eſſe, iisque licere, malos Reges carceribus coërcere, & regno exuere, probare conati ſunt. Vid. Cambden. *ſub ann. M. C. LXXI.* Sed Buchananum tamen ſerio ſcripti pœnituiſſe, imo ex animo id fuiſſe deteſtatum, ex Thomæ Smithi Anglia diſcimus.

§. 9. Qui ſi hoc dicerent) Hoc vult, non parendum quidem Regi, ſi manifeſte iniqua præceperit, nec tanti ejus imperium faciendum, ut in ipſum DEUM & in honeſtatem delinquere quis velit, nec tamen propterea penes populum poteſtatem eſſe Regem ſuum coërcendi.

Unde ſummam confuſionem) Diſceptandum erit, quota pars populi offenſa aut afflicta eſſe debeat, antequam jure in Regem animadverti poſſit. Fernandus Vaſquius Principem ait, qui uni innocenti inter ſubditos inſultat, deſinere eſſe principem, *l. 1. controv.* 18. Quod ſi ergo deſinit eſſe

Princeps, idem juris in eum ſtatuendum erit, quod in alium quemcunque privatum ejusdem delicti reum. Quo an quicquam majori cum periculo dici poſſit, valde dubito. Loquitur quidem Vaſquius de caſu neceſſariæ defenſionis, ſed nec tum tamen verum eſt, deſinere eum eſſe Principem, ubi ſubditum aggreſſus fuerit. Cæterum ſemper erunt, qui ſi minus obtinuerint, quam in votis habuerunt, injuriam ſibi a Principe factam conquerentur, & ad vindictam reliquum populum ſollicitabunt, adeoque facile ad cujusque libidinem proſtabit corona regia. Sed ponamus, dimidiam, imo maximam populi partem non usque adeo bene cupere Regi, dubium adhuc erit, num ſufficiens hæc ſit throno regio evertendo. Sine dubio enim in iſta majore populi parte plurimi ſola regnandi libidine, plurimi novitatis ſtudio, plurimi ob juſte ſibi inflictas pœnas odio, Regis facta perſtringent. Diſceptabitur ergo, num prævalere debeat pars populi major ita affecta parti minori, prudentiſſimis & præſenti regimini nequaquam indignantibus conſtanti. Et quis vero tandem in iſtiusmodi diſſenſionibus arbitrium ſibi ſumet? Non ferendum eſt igitur, ut per doctrinam ſibi alias male cohærentem Rebuspublicis confuſio inducatur.

§. 10.

§. 10. Principatus & regnum) Ita Trajanus, ut ex Plinii panegyrico constar, id unice curavit, ne quid regium ostentaret, sed verum Principem gereret, qui proinde subesset Senatus populiq; judicio; quorum sententias exsequi præfectus deberet etiam in ipsum Principem. Sane Romani antiquæ adhuc Reipublicæ Principes dicebant, qui a censoribus in senatu constituti erant, ut primi sententiam rogarentur. Item eos, quorum inter cives præcipua erat autoritas; Postea illud vocabulum aliter sæpe usurpatum fuit, ut non modo non τὸν πρῶτον, verum etiam τὸν ἄρχοντα significaret. Vid. Lips. *in Tacit. annal. l. 1. p. 1. Limn. jur. publ. lib. 4. c. 2.*

Reges dicebantur nihilominus) Civitatum etiam & regionum Toparchæ per totum fere Orientem Reges appellabantur: & sub imperio Parthorum Persarumque singulis gentibus Reges præfecti erant, magno Regi tributarii. Vid. Richard. Montacut. *de orig. Eccles. p. 1. pag. 205.*

Principes tamen vocabantur) Sub his nominibus Imperatores invidiosam potentiam occultantes, omnia imperio suo adscripserunt. Unde ad posteros promiscuus ejus nominis usus pervenit, non fami-

liæ jam aut ſplendoris, ſed poteſtatis ſignificationem continens.

Ut ſint majus Regis conſilium) Quod Rex convocare poteſt, quoties opus eſt, non tantum ubi de aliis publicis negociis, ſed etiam ubi de lege ferenda deliberatio inſtituitur, ſalva ſua majeſtate regia, quo pertinent *l.22. ff. de hæred. petit. l.8. C. de legib.* idque adhuc hodie ita obſervari, de Regibus Luſitaniæ & Hiſpaniæ teſtatur Auguſtinus Barboſa *ad d. l. 8.* de Regibus Galliæ Andr. Tiraquellus *l.1. de Nobil. c.20. n.26.* de Regibus Angliæ Thomas Smith. *de Republ. Angl. l. 2. c. 2. & 3.*

Pleraque in Græcia regna) Perpetuus apud plerasque gentes fuit ſucceſſionis uſus, tum quod faceret ad ſecuritatem & tranquillitatem Reipublicæ, tum quod major apud principes videretur eſſe cura Reipubl. ubi perſuaſi fuiſſent, non ſe tantum, ſed & hæredes regium titulum continuaturos.

Contra Romanum Imperium) Imo vero Romanum Imperium ſemper fuiſſe hereditarium, atque ſucceſſione continuatum, Gregorium autem VII. Papam proceres Imperii in comitiis Forcheimenſibus eo adegiſſe, ut de electione poſthac obſervanda decretum facerent: pluribus do-

docet Goldastus *in Senior. lib. 3. cap. 14.* Verba ipsa decreti refert idem Goldastus *in replicat. pro imper. c. 18.* & ex eo Dn. Strauch. Fautor & Amicus noster & olim colendissimus, *exercitat. exoter. 2. n. 1.*

§. II. Alii jure usufructuario) De jure civili servitutis fructus constitui non potest. *l. 33. §. 1. ff. de S. P. R.* Unde nec ususfructus itineris, actus, viæ, aquæductus legari potest, quia servitus servitutis esse non potest, *l. 1. ff. de us. & usufr. leg.* Potest tamen quis dici habere iter, actum, viam jure usufructuario, quatenus ipsius fundi, cui debetur servitus, usumfructum habet, ut maxime servitutem directo vindicandi jus non habeat. Vid. Bachov. *in Treutl. disp. de usufr. th. 6. & de action. disp. 2. n. 21.*

Reges denique jure usufructuario) Suspecta est hæc formula loquendi. Cum enim ususfructus sit jus alienis rebus utendi, & servitus sit personalis, proprietate rei penes alium existente, tacite videtur populo tribuere proprietatem imperii. At jam supra negavimus, populo talem potestatem competere.

Quia perpetuum non erat) Dictatori enim ultra sextum mensem summum imperium retinere non licebat, *l. 2.*

§.18. *ff. de O. I.* Fuisse igitur eum dicunt nonnulli summæ potestatis quendam quasi custodem & Reipubl. veluti Curatorem. Vid. Theod. Grasvvinkel *de jur. Majest. c.4. & 10.* Bodin. *l. 1. de Rep. c. 8.*

Atq; idem dictum volo de his) Dici forte de his idem non potest. Aut enim penes Reges pupillos, furiosos &c. non esse majestatem dicet Grotius, aut esse concedet. Si prius, eadem ratione nec dormienti aut ægroto Principi majestatem competere dixero, sed iis potius, qui curam boni publici interea habent. Sin posterius, majestatem duobus competere, & sic divisam statuet, quod iterum, nisi de divisione manifeste constet, asserendum haud est. Ipsi etiam Curatores pro veris majestatis possessoribus se nequaquam venditant, sed tutorio & curatorio nomine omnia a se geri publicis & privatis literis confitentur.

§. 12. Ita libertas civilis regnum) Libertas tamen ista nequaquam significat effrenem licentiam; sed vera libertas in hoc consistit, ut vivas juxta leges ex usu Reipubl. sancitas, subditus tuo Magistratui, atque ea conditione, ut tu quoque sis magistratus particeps. *Sed nec populi quidem imperium jure dixeris*, inquit Polybius *lib. 6. ubi penes quamlibet turbam potestas facien-*

ciendi, quicquid voluerit aut proposuerit, sed ubi patrius mos viget Deos colendi, parentes honorandi, seniores reverendi, legibus parendi, ii sunt cœtus, apud quos, si vincit illud, quod pluribus visum fuerit, populi imperium esse dici jure potest.

Non ipsi homines alienantur, sed jus perpetuum) Multum interest inter dominium rei familiaris & imperium. Illud enim est jus in re aliqua & rei affectio, hoc res ipsa incorporalis est. Illud non est in commercio, sed subjectum ejus. Hoc vero in commercio est, non subjectum. Et hinc recte dicitur, non subditos, sed jus imperandi alienari; sed hoc de dominio dici non potest, jus tantum habendi rem propriam, non ipsam rem familiarem alienari. Dn. Johannes Strauch, *optimus juris publici Interpres exercitat. exoter.*4. *n.*18. Et hoc infrequens non est, ut res ipsa quidem non sit in commercio, sed jus tamen aliquod circa rem illam in commercio habeatur; quomodo monumenta legati non posse, sed jus tamen mortuum inferendi legari posse, rescribunt Imperatores in *l.*14.*C. de legat.*

Sed jus, quod in hominem competit) Ius scil. patronatus. Cum vero jus patronatus in duobus consistat præcipue, nempe in operis & in bonis liberto-

rum, fere in eam cum Vultejo *ad pr. Inst. de adsign. libert.* inclino sententiam, adsignationem eam tantum in bonis, non vero in operis factam fuisse. Dicit enim Imperator *d. l. quod ad bona libertorum ita censuisse Senatũ*, &c. Ergo tale quid, quod ad operas non censuit. Et sic etiam restringenda est *l.* 107. *ff. de V.S.* Consequenter autem non tam jus in hominem transcribitur, ut hic vult Grotius, quam jus in bona liberti.

Neq; illud magis firmum est) In ea sententia est Fr. Hottomannus *illustr. quæst.* 1. ubi statuit, non posse, quod communibus multorum laboribus quæsitum est, aliter quam communi eorum consilio & consensu alienari. At sequitur inde, cujusvis militis manipularis & gregarii consensum accedere debere, quod absurdum videtur.

Quia non hereditati accepti feruntur, sed rei) Hæc ratio non videtur satis congrua. Qui enim post moram ab herede fiduciario percipiuntur fructus, etiam rei accepti feruntur, non hereditati, & tamen illi sunt restituendi, *l.* 18. *pr. ad SCtum Treb.* Vera ratio extat in *l.* 44. §. *f. ff. eod.* quia scil. fiduciarius ante moram suo periculo fœneravit, colendove fundo, vel in cogendis fructibus insumsit operam, nec æquum est alterius procuratorem constitui.

Ita

Ita ut alienare etiam possit) Principem alienare non posse quicquam de principatu, nisi consentientibus subditis, facto quasi agmine statuunt JCti, *per c.* 1. §. *si quis.*2. *F.*52. *& c.*1. §. *praeterea ducatus.*2.*F.*55. ibi *Andr.de Isern.Bald.Mart.Laudens.Alvarott. Gloss. in l.invitus.ff.de fideic. libert. & in c.dilecti.X.de majorit.& obed.* tum quia interest subditorum, dominum non mutari. Mich. ab Agvirr. *inter cons. Besold.l.*1.*cons.*1.*p.*1.*n.*41. Aimo Cravett. *cons.*241. *n.*7. Bald.*ad l.*2.§. *ult. ff.sol. matr.* neque nexus inter dominum & subditos dissolvi potest, nisi mutuo consensu. Capell. Tholos. *decis.*485. tum etiam, quia principatus a Principe non est partus, sed posteris est servandus. Bart. *ad l.prohibere.*§.*plane.ff.quod vi aut clam.*Bald.*in proœm.feud.* & Principi tantum in usumfructum pro tuitione & regimine concessus est. Marcus Anton. Peregrin. *de jure fisc. l.*1. *tit.*1. *n.*8. Lancellott. Conrad. *in templ. omn. jud. l.* 1.*c.*1. §.4. Niger Ciriacus *controv.forens.l.*3.*c.*402.*n.*10. Camill. Borell. *cons.* 1. *n.* 10. *vol.* 1. Add. Rosenthal. *de feud. cap.* 3. *conclus.* 21. Anton. Perez. *Cod. de donat.n.*17. Joh. Bapt. Asinius *de execut. cap.* 404.*n.*3. Köppen.*decis.*44.*n.*3. Fr. Hottom. *d. q.*1. Petr. Heig. *p.* 1. *qu.*19. Verum enim vero plerumq; illis sermo est de tali regno & principatu, quem a populi voluntate recognoscit Princeps, non de tali, quem armis occupavit

vit ipse, aut in patrimonio habet, uti patet ex rationibus, quibus suam sententiam tuentur. Distinctionem igitur Grotii oppido probamus, atque per eam omne litigium, quod nasci super hoc negotio possit, componimus.

Dedit urbes viginti) Non ut eas haberet jure proprietario, sed ut possideret tantum, quasi ἀντιχρώμενος, aut certe eo jure, quod Longobardi precariam appellarunt. Franc. Hottom. *d. q.* 1. *in fin.*

§. 13. At in regnis) Talia, si Rex de facto alienaverit, non consentientibus populis, novo domino, in quem translatio facta est, ab his resisti, & in libertatem eos se vindicare posse, nullus dubito.

Regi suo permitteretur) Talis enim Rex administratoris partes sustinet. At contra naturam administrationis est, facere, ne administrare possis. Idque contingit per alienationem. Nec tamen semper ita præsumere de populi voluntate, uti vult Grotius, neque etiam ex præsumpta populi voluntate impedimentum semper alienationis accersere licet. Quid enim si ita se populus alicui addixerit, ut plane nihil exciperet, ad modum, quem posuit Grotius supra *hoc cap.* §. 8. numquid non alienandi jus habeat Rex? Ut maxime populus lu-

lubentius in ejus, cui se addixit, potestate maneret, nego tamen, voluntatem hanc populi hoc casu sufficientem esse causam, quo minus alienari possit porro.

Non est, quod improbemus) Improbaverat id,& ἀπηοσηνίας nota Cranzium perstrinxerat Franciscus Hottomannus *d. qu.* 1. quod scil. non novum hoc fuerit, testamento regnum relinquere, sed jam ante sæpius inter gentes frequentatum. Eum hic vindicat Grotius.

Nam quod Carolus Magnus) Verba Testamenti ita se habent: *Quod si filius cujuslibet istorum trium fratrum* (filiorum sc. Caroli) *natus fuerit, quem populus eligere velit, ut patri suo succedat in hereditate regni* &c. Sic igitur quod nepotes attinet, rem totam populi atque procerum libero arbitrio commisit. De ipso autem filio Ludovico ita habet Eginhardus *in Caroli vita*: *Carolus M. extremo vitæ tempore, cum jam morbo & senectute premeretur, evocatum ad se Ludovicum Aquitaniæ Regem, congregatis solenniter de toto regno Francorum primoribus, cunctorum consilio consortem sibi totius Regni & imperialis nominis hæredem instituit.* Similia dicit Anshelmus Benedictinus *in annal. Francor. anno* 813. Strabo Fuldens. *eod. ann.* Theganus Chorepiscopus Trevirens. *de gestis Ludovici Imp. c.* 6.

Nec

Nec quod idem ille Ludovicus) Sed Ludovici istam donationem merum esse commentum, ostendit Dn. Conring. *de German. Imp. Rom. c.* 7. *p.* 40. & ante eum Philippus Mornayus *in myster. iniq. p. m.* 337.

§. 14. Ut marchionatus & comitatus) Isti plerumque sunt feuda ad regnum pertinentia. Per consequens ita plene non habentur, ut alienari possint pro lubitu. Alibi ejusmodi marchionatibus & comitatibus majoratus inest. Majoratus autem bona inalienabilia esse, Doctorum est placitum. Vid. Ant. Gomez. *ad l. Tauri.* 40. *n.* 12. & 54. Lud. Molin. *de just. & jur. disp.* 470. *n.* 1. Dominic. Soto. *de just. & j. l.* 4. *q.* 5.

§. 15. In regni tutela) Conferri hic possunt, quæ de tutela Regis in thesi & hypothesi disputat Johannes Gutierrez *de tutel. part.* 1. *c.* 18. Id certum est, in regnis patrimonialibus imperanti omnia ea licere, quæ conceduntur patrifamilias in suo patrimonio. Sicuti igitur huic Testamento dare tutorem filio suo impuberi permissum est, ita & Regi.

§. 16. Promittat aliqua subditis) Congrediuntur hic Joh. Henricus Stamlerus *de reservat. Imp. Rom.* §. 8. & Joh. Li-

Limnæus *in append. ad lib. 1. c. 12. n. 36. tom. 5. jur. publ.* Nos uni aut alteri ut accedamus, nulla cogit necessitas, præsertim cum status imperii pure monarchicus non sit, & multum limitata sit Imperatoris majestas. Vid. Dn. Carpz. *discuss. voti Septem Viral. dogmat. 6. & 7.*

Quæ ad imperii rationem pertineant) Si tamen in aliquam majestatis partem impingat obligatio illa, ipsam majestatem quodammodo minui arbitror; siquidem integram ille majestatem habere dici nequit, cui potestas leges ferendi, aut magistratus constituendi adimitur. Alias autem solum & nudum juramentum, quod plerique Reges tempore inaugurationis præstant, non tollit, destruit, aut minuit summum imperium, nec enim Rempublicam intrinsece afficit, sed duntaxat est accessorium quoddam & βεβαίωμα obligationis, qua alias ex officio aut promisso tenetur. Scilicet juramentum utrinque fere ideo intervenit, ut societatis membra, quæ facile a calle recti deflectunt, metu iræ & vindictæ divinæ in ordinem redigantur, utq; adeo, si Princeps officii limites, quos tam sancte se servaturum promisit, transgressus fuerit, non humanam, cum nemo superior inveniatur, sed divinam vindictam incurrat.

Sed

Sed ipso jure) & ex ipsius promittentis voluntate, qui propter conventionem ita obligatur. Non enim obligatio, qua talis, superioritatem quandam & subjectionem inducit.

Apud Persas) Videri possunt, quæ in hanc rem collegit Arnisæus *de Rep. cap.* 3. *sect.* 5.

Abjudicabatur solennis sepultura) Videatur Alexand. ab Alexandr. *genial. dier. l.* 3. *c.* 7. & quæ ex Steph. Pasquierio refert Limnæus *lib.* 1. *c.* 12. *n.* 7.

Sicut & Hebræorum Regum) Id ita perpetuo observatum fuisse non ausim dicere, cum inter tot Reges paucissimi fuerint, qui DEI mandatis paruerint; istos autem solos in proprio Regibus loco sepultos fuisse, reliquos autem omnes exclusos, non fit verisimile. Et imo videntur aliqui eorum sibi ipsis, dum in vivis essent, sepulturæ locum elegisse, uti patet ex 2. *Reg. VIII.* 28. 2. *Reg. XXI.* 18. & 26. Quicquid sit, non putandum est, si quis Regum, sepulchro majorum illatus non fuit, factum id fuisse semper in pœnam; aut si factum est, aliunde, quam à DEO, pœnam illam profectam fuisse.

Sed

Sed habetur amiſſibiliter) Eo ſcil. caſu, quando poſt aliquod tempus reſtituenda eſt hereditas; at quando illico reſtituenda eſt poſt aditionem, vix tantillum dabitur tempus, quo dici poſſit, quod fundus talis habeatur aut poſſideatur ab eo, qui gravatus eſt.

§. 17. Sive per partes ſubjectivas) Quando per partes ſubjectivas diſtinguitur imperium, ita ut in unaquaque parte ſummum ſit & totum, non jam unum amplius eſt imperium, ſed duo. Qua ratione vix admittendum erit, ſi proprie loqui velimus, unum manſiſſe Imperium Romanum, poſtquam diverſis faſcibus Oriens & Occidens gubernari cœpit. Vid. quæ dixi ad *pr. cap. 1.*

Per modū manentis præcepti) Imo potius per modum conventionis. Populus enim liber in extraneum nullum omnino habet Imperium; civem autem ſuum, ſi quem ſibi Regem facere conſtituit, non Imperio, ſed numero vincit, ut nihilominus integrum ſit civi illi acceptare conditionem, aut reſpuere. Quomodo igitur eo tempore per modum manentis præcepti imperare poterit populus liber?

Jus habet cogendi debitorem)

Grotius sæpe principii loco ponit, Magistratuum & judiciorum constitutionem esse ex invento humano, quod & supra negavimus, & ut maxime concesserimus, illico tamen cum societate, qualiscunque ea fuerit, Imperium cœpisse, erit statuendum. Posito igitur Imperio, quod naturaliter cuique societati adest, negandum erit, creditorem naturaliter habere jus cogendi debitorem.

Itaque ex coactione saltem paritas sequitur) Diserte hoc negatur, quod par a pari cogi possit, in *l. 4. ff. de recept. arb.* & *l. 13. §. 4. ff. ad SCt. Trebell.* Igitur si factum ipsum & vim consideres, etiam ab inferiori cogi poterit superior; si jus, non poterit cogi alius, quam inferior a superiore. Rex Regem, & populus populum quando cogit, facit id jure belli, nec cogere poterit aliter, nisi quando jam superior factus est.

Multi adversus talem statũ) Sunt tamen, qui mixta Imperia pro optimis habent, modo simultates inter partes evitentur. Vid. Boxhorn. *l. 2. instit. polit. c. 1.*

§. 18. Rescindi Regis ipsius imperio) Male concluditur, Regem facere non posse, quod Parlamento aut Senatui im-

improbatur, sed hoc potius sequitur, Regem id facere nolle. Vid. Grasvvinkel *de jur. majest. c. 6.* atque hoc ipsum summæ potestatis argumentum est.

Quare hæc res similis est testamentis) Diversum hic sentit Franc. Baconus de Verulamio *in hist. Henrici VII.* cujus hæc sunt verba *pag. 244. Verum quoad partem legis secundam, vis ipsius plane vana fuit & illusoria, cum scilicet per statutum præcedens statutum aliquod futurum frustrari posse quis cogitet. Absoluta enim & suprema potestas seipsum constringere non potest: neque quod natura revocabile est, figi potest. Non magis, quam si quis testamento suo declaraverit, quod si testamentum novum conderet, illud irritum esse, &c.* Plane rectius sentiunt illi, qui clausulam derogatoriam, priori testamento additam, invalidum reddere testamentum posterius negant, & e contrario putant, testamentum hoc posterius valere, etsi in eo primi testamenti revocatio specialiter facta non fuerit, *arg. l. 6. §. 2. ff. de jur. codicill. l. ult. pr. ff. de leg. 2. l. 22. ff. de leg. 3.* ut maxime in foro sententia contraria fuerit recepta. vid. ea de re Francisc. Cardinal. Mantica *de conject. ult. vol. l. 12. tit. 8.* Jacob. Menoch. *l. 4. præsumpt. 166.* Didac. Roderic. Alvarad. *de conjectur at. ment. def. l. 3. c. 2. n. 33.* Anton. Merend. *l. 4. contr. c. 49.* August. Bar-

bosa *in vot. decis. l.* 1. *vot.* 11. Anton, Fab. *de error. pragmat. dec.* 37. *err.* 8. & *dec.* 38. *err.* 1. *& lib.* 6. *Cod. tit.* 5. *def.* 14. Fachin. *lib.* 4. *c.* 92. Carpzov. *part.* 3. *const.* 5. *def.* 19. Joh. a Sande *decis. Fris. lib.* 4. *tit.* 1. *def.* 10.

§. 20. Aliquot regni species esse interjectas) Eas ex mente Aristotelis optime interpretatur Salmasius *in defens. Regia cap.* 8. Add. Mich. Piccartus *ad l.* 3. *polit. cap.* 14.

In Regibus Hebræis) Salmasius *d. l.* regnum Hebræorum ad Heroicum modum refert, qui scil. proximus est a *παμβασιλείᾳ*.

Orientis populi) Servilia enim eorum ingenia, jugo assueta, tyrannidem & dominatum facilius, quam liberius quoddam regimen ferunt, unde pro lubitu & pro Imperio cuncta fere agunt ipsorum Principes.

Tibi soli peccavi) Verum hujus dicti sensum explanat Dn. Calovius noster *in Disp. adv. Grot.*

Inflicta verbera) Multa hac de re disputatio est inter eruditos & Reip. Hebraicæ investigatores. Cumque apud Thalmudistas crebra fiat mentio ejus axiomatis,

tis, quod Rex neque judicet, neque judicetur, disquiri cœpit, quanta Regis, quantaque Synedrii fuerit autoritas. Rabbini Synedrio Regem delinquentem subjiciunt, non tamen propter delictum quodvis, sed propter tria tantum, uti interpretantur nonnulli, nempe si plures, quam lex permittit, uxores haberet, si plures equos aleret, si opes majores licito quæreret. Horum trium si quod commisisset Rex, non in jus tantum eum vocatum, dicunt, sed etiam verberibus coërcitum. Ista Rabbinorum placita cum in annalibus Ecclesiasticis bona fide asseruisset Cardinalis Baronius, *tom.* 1. *ann. Chr.* 31. §. 20. & *ann.* 32. §. 11. & *ann.* 57. §. 36. negavit Casaubonus, Rabbinos id docere, *exercitat.* 13. *n.* 5. Sed eum aliquot Rabbinorum testimoniis adductis convincit Guilh. Schickardus *de jur. reg. c.* 2. *theor.* 7. *pag.* 63. Quod autem dicit hic Grotius, a Rege sponte & in signum pœnitentiæ suscepta fuisse verbera, non placet Johanni Seldeno, qui *lib.* 3. *de synedr. c.* 9. ex Maimonide ostendit, non sponte eas pœnas fuisse susceptas, sed a Synedriis ob delicta inflictas. Ubi simul id asserit, non ob tria tantum superius enumerata delicta, sed ob alia etiam verberum pœnam Regi fuisse subeundam, tria autem ista a Maimonide recenseri ut singularia ad Regem, nec ad quenquam alium attinentia. Quicquid sit, a plerisque hodie dubi-

tatur de fide Rabbinorum, & num vera ſint, quæ de Rege ſuo ita fabulantur, præſertim cum nullum produci poſſit exemplum Regis hoc modo coërciti, & Judæis hoc ſolenne ſit, ut nimio Synedrium ſuum extollendi ſtudio fingant ſæpe & comminiſcantur, quæ ſibi in hanc rem utilia videntur. Vid. Salmaſ. *defenſ. Reg. c.2. pag.* 46. & *c.* 5. *p.* 161. Samuel Petit. *in Diatrib. de jur. princip. edict. Eccleſ. quæſit. cap.* 2.

Ut etiam excalceationis lex) Quæ extat *Deut. XXV. v.* 9. *Ruth. IV.* 7. Et ab lege hac ideo liber erat Rex, ne ipſi in faciem ſpueretur, quod cum ignominia conjunctum erat. Guilh. Schickard. *de jur. reg. cap.* 2. *th.* 7. *pag.* 56.

Divino Imperio a Moſe inſtitutum) Variant rerum Hebraicarum commentatores in explicanda origine hujus Synedrii magni. Alii volunt, conſtitutum id fuiſſe poſt captivitatem Babylonicam, & quidem maxime Haſmonæorum tempore ad effigiem Senatus a Joſaphato Rege inſtituti, 2. *Paral. XIX.* 8. Alii ad tempora Gabinii a Pompejo in Judæam miſſi natales ejus referunt, quam ſententiam inprimis defendit Dionyſius Petavius *l.* 2. *de doctr. temp. c.* 27. *fol.* 156. Rectius a pleriſque hodie ejus origo petitur ex *Num. cap. XI. v.* 16.

v. 16. Vid. P. Fagius *ibid.* Baron. *ad ann.* 31. Selden. *de synedr. lib.* 2. *c.* 4. *n.* 2. *it. de successʃ. in bon. def. p. m.* 174.

Judices Deos vocant) Non pugno, adempta fuisse Regibus quædam judicia; sed hoc tamen non sequitur exinde, quia Judices Dii, & judicia, DEI judicia dicuntur. Quod enim judices Dii vocantur, figurate id fit, & nuncupative. Vid. Gerhard. *loc. de magistrat. n.* 10. Quod autem judicia attinet, in politia Judaica, quamdiu θεοκρατία duravit, singulari modo DEI judicia dicta fuerunt, quia sc. omnia jura majestatis, & in his etiam potestas Magistratus & judices constituendi ad solum DEUM pertinuerunt. Postquam desiit ejusmodi Reip. forma, non quidem eo singulari modo amplius judicia DEI dici poterant, nec tamen propterea desierunt esse judicia DEI. Nempe, uti supra dixi, originaliter, autoritative & principaliter adhuc DEO adscribuntur judicia, qui judicum officium ipse instituit, ordinavit, ac mandavit. Eoque pertinet admonitio Josaphati judicibus a se constitutis data, quod non exerceant hominis, sed DEI judicium, 2. *Paral. XIX.* 6.

Res DEI a rebus Regis) Res Dei ex sententia Grotii, quam uberius exponit *in comment. de imper. summar. potest. circa sacr. c.* 11. *n.* 15. comprehendent omnia ea, de

quibus ex divinis legibus judicari potuit; Res Regis autem, de quibus ex iisdem judicari non potuit, sed quæ arbitrio Principis fuerunt permissa. Quia enim omnia divinis legibus non fuerunt definita, ad Regem pertinuit, sive speciatim, sive lege facta universaliter decidere. Alii, ut Junius & Tremellius, per res DEI intelligunt causas sacras, quarum cognitio ad Sacerdotes & Levitas pertinuit, per res Regis, causas civiles & politicas. Utcunque distinguantur istæ a se invicem, id tamen certum est, de utroq; causarum genere unum idemque Collegium cognovisse; saltem in hoc fuit differentia, quod Collegium istud pro ratione causarum diversos habuerit moderatores. Amazias summus Sacerdos, moderator & præses erat judicii, si dispiciendum esset de his, quæ ad DEUM pertinebant: Zabadias autem, Dux tribus Judæ moderator ac præses erat, cum de iis judicandum esset, quæ ad Regis officium pertinebant.

Præfert Maimonides) Sed & Israëlis Regibus potestatem vitæ & necis antiquitus competiisse, ex eodem Maimonide probat Seldenus *de Synedr. l.* 2. *c.* 14. *n.* 1. ubi simul ex Judæorum traditionibus ostendit, unde nata fuerit differentia Regum Judæ & Israëlis, in eo, quod illi & judicare & judica-

dicari potuerint, hi non potuerint. Nos fabulas illas hic non excutimus.

Arte elusit) Dum scilic. judicium in diem sequentem distulit, & Synedros judicaturos hac ratione impedivit, Herodi autem interim fugam consuluit. Vid. Selden. *de synedr. l.3. c.9. n.1.* ubi Josephi verba παρεισφθέζων Grotii hunc locum laudat.

Manu regia expediebantur) *l. 2. §. 1. ff. de O. I.* manum regiam autem explicat Albertus Bolognetus de arbitrio Principis, cui omnia ab initio commiserunt subditi, freti eorum dexteritate, *de leg. jur. & aeqv. cap. 13.*

Halicarnassensis) Etiam Pomponius noster *d. l. 2. ff. de O. I.* ab ipso Romulo populum curiatim ad Reip. curam vocatum fuisse scribit.

Cæterum totus hic paragraphus in eo maxime occupatus est, ut mixturam formarum in una Reipublicæ facie ostendat. Plurimi quidem negant, quorum antesignanus fere est Bodinus *l. 2. de Rep. c. 1.* mixturam talem fieri posse, tum quod contraria inter se misceri nequeant, tum quod majestas sit aliquid indivisibile. At enim, cum elementa etiam misceri dicantur, quæ tamen contrariis inter se pugnant qualitatibus, & jus quoque, quod per se individuum est, dividi

dicatur, *l.* 9. §. 12. *ff. de hæred. inst.* non est, quod rationibus istis multum moveamur. Nec vero concedere possum, majestatem omnino indivisibilem esse. Totum enim cum sit, partibus utique constabit. Quale igitur est totum, tales etiam sunt partes. Et hinc quia majestas est totum potestativum, etiam partes continebit potestativas, hoc est, potentias & facultates ad instar partium se habentes. Partes autem istæ a se invicem separabiles sunt: Totum igitur etiam divisibile erit, & dividitur maxime tum, quando expresse instituitur partitio.

§. 21. Mundiburgii) Mundiburgium, alias mundiburnium aut mamburgium, vocabulum est ejusdem cum advocatia significationis. Vid. Hottomann. *comm. de verb. feudal. vocab. Mamburgus.* Et videtur originem habere ex antiquo Longobardorum jure, quibus tutor est *Mundualdus*, Germanis quoque *ein Vormund*, Gallis *Mambour*, unde forte *Mamburgus.* Sic igitur Mundiburgium erit oppidum aut castrum sub tutela alterius. Vid. Cujac. *l.* 2. *F. tit.* 4. *pag.* 699.

Sequitur, ut summum Imperium retineat) Negat hanc consequentiam Antonius Matthæus *de criminib. tit. de læs. majest. c.* 1. *n.* 6. ubi dicit, per libertatem hic

hic non intelligi majeſtatem, ſed illam, quæ ſervituti contraria eſt; ſervitute enim affectas dici civitates, quæ legibus & magiſtratibus Romanis parent, liberas contra, quæ ſuis magiſtratibus atque legibus utuntur. Et hinc minutam dicit majeſtatem populi ita promittentis, non omnino extinctam. Ego hic Grotium ſequor, propterea quod Proculus in citata *l.7.ff.de captiv.* populum liberum definiat, qui nullius alterius populi poteſtati eſt ſubjectus. At talis liber eſt non tantum per negationem ſervitutis, ſed etiam per poſitionem ſummi Imperii. Et aperte Proculus in principio definit, quæ jura liberis populis apud Romanos, & his viciſſim apud illos competant. Utriſque dicit apud alteros competere & libertatem & dominium rerum ſuarum. Quanta igitur libertas competit Romanis apud populos liberos, tanta viciſſim his apud Romanos, & vice verſa. Neque negotium nobis faceſſit Cicero, quando in *orat.pro Balbo* ait: ***Verbi genus hoc conſervandi, quo magis in legibus quam in fœderibus uti ſolemus, imperantis eſt, non precantis. Deinde, cum alterius populi majeſtas conſervari jubetur, de altero ſiletur, certe ille populus ſuperiori conditione cauſaque ponitur, cujus majeſtas fœderis ſanctione defenditur, &c.*** Loquitur enim de fœdere Gaditano, quod non obſtare dicit, quo minus Gaditanus aliquis civis Romanus fieri poſſit, præſertim cum Gaditani

po-

populi Romani majeſtatem comiter conſervare juſſi fuerint. Imperavit autem populus Romanus iſtam conſervationem non ad modum legislatoris & poteſtate ſuperioris, ſed ad modum ejus, qui dignitate ſuperior cum ſit, de conditionibus fœderis tractatus inſtituere, eaſque proponere primus incipit. Nec enim immediate ſibi opponuntur imperare per modum præcepti, & precari. Cum etiam ille precetur, qui rogat conditiones, & ille imperet, qui eas exponit, ſalva utriuſque libertate & poteſtate. Superiorem autem alterutrum populum eſſe, nemo eſt, qui negat Ciceroni. Alter autem, qui majeſtatem alterius conſervare jubetur, propterea ejus poteſtati non ſubjicitur, quia comiter conſervare debet, h. e. benigne, non gravate, ſicuti dicitur, comi hoſpitio, i. e. benigno excipere.

Sub patrocinio, non ſub ditione) Huc pertinet jus advocatias etiamnum uſitatum, quod non tribuit jurisdictionem aut Imperium, nec cauſam habet dominii. Iſti enim Clientes ſe ſuaque alterius protectioni tantum & tutelæ committunt, non vero propterea libertatem amittunt, aut poteſtatem propriam. Nec proinde poſiti ſub protectione dicuntur protegentis ſubditi. Vid. Mart. Mager a Schönberg *de advocat. armat. cap.* 10. *num.* 386. *ſeq.* Andr.

Andr. Gail. *part. 2. obs. 54.* & ibi Græveus. Knichen *de Saxon. non provoc. jur. c. 5. n. 495. seq.* Sig. Finkelthaus. *de jur. Patronat. c. 1. n. 27.* Camman. *de regalib. disp. 5. th. 105. seq.* Dn. Parens p. m. *ad Calvol. §. Landsassii, concl. 1. num.* 81.

Sed ut hæc res intelligatur) Multa hic Grotius præmittit de controversiarum generibus, sed ea non transfert ad hypothesin, neque explicat, de quo genere intelligi debeant verba Proculi. Sine dubio autem ad primam tantum speciem ea sunt restringenda. Ego tanto apparatu opus non esse existimo, sed videtur mihi Proculus in verbis adductis inæqualitatem aliquam fœderis exponere, quod scil. propter delicta, qui ex civitatibus fœderatis sunt, puniri possint apud Romanos, non vero Romani vicissim apud illos, & hoc tamen nihilominus nullam inferat subjectionem civitatum fœderatarum. Huc pertinet, quod dicitur in *l. 3. ff. de offic. præsid. in mandatis principum est, ut curet is, qui provinciæ præest, malis hominibus provinciam purgare, nec distinguitur, unde sint.* Poterant igitur peregrini a magistratu Romano verberibus & morte plecti, at non poterat ita plecti civis Romanus, ne quidem apud Romanos, inconsulto populo, tantum abest, ut id permissum credi debeat populo fœderato. Ita solet etiamnum quandoque fœderum con-

di-

ditionibus inseri, ut remittantur delinquentes ad forum domicilii. Anton. de Gamma *decis.* 279.

Quod officium Romæ erat recuperatorum) Recuperatorum officium forte non inveniebat locum in omnibus casibus, quippe quod privatas tantum res earumque restitutionem concernebat, uti ostendunt verba ex Festo adducta. Conf. Marcell. Donat. *ad lib.* 1. *annal. Taciti p. m.* 134. Osvvald. Hillig. *in Donell. enucl. l.* 17. *c.* 21. *lit. F.* Sicubi ergo subditus populi, qui in fide est alterius, dicatur fecisse quid contra fœdus, atque id publicam causam concernat, non pertinebit id ad officium recuperatorum.

Atque etiam puniendi) Hoc Grotio non concedimus, cum puniendi potestas semper præsupponat imperium. Agetur ea de re infra 2. *lib. c.* 20.

Sub umbra fœderis Romani) In notis ad *h. l.* Grotius in testimonium vocat parentis mei conclusiones ad auream praxin Calvoli, sed mendose. Scribi enim debuit §. *Landsassii, conclus.* 1. *n.* 86. Verum id typographo imputo, & Grotio pro habito hoc honore gratias ago.

§. 22. Qui vero certum quid pen-

pensitant) Tributa populis imponere habetur inter characteres Imperii & subjectionis. Vid. Alberic. Gentil. *de jur. bell. l.3. c. 4.* Nihil crebrius occurrit apud Historicos, quam stipendia imposita fuisse devictis provinciis. Si tamen iis conditionibus, quas hic refert Grotius, tributum ab aliquo populo alteri populo aut Regi numeretur, inferior quidem fit ille populus, sed majestate tamen sua propterea non excidit, præsertim cum jus tributa exigendi ad minora tantum regalia referatur, quæ ipsam per se majestatem proprie non constituunt.

Quales Hebræorum Reges) Primus Romanorum Pompejus Hierosolymam Romanis fecit tributariam, ut habet Josephus *lib. 1. de bell. Jud. c. 5.* Et dubitari potest, an post ea tempora Judæi ab Romanis pro devicta gente habiti fuerint, an vero pro tali, quæ inæquali fœdere recepta fuerit. Titubanter hac de re loquitur Seldenus *de jur. nat. & gent. lib. 6. c. 17.*

§. 23. Qui proprius est Germanicarum Gentium) Non tamen solorum Longobardorum. Vid. Grot. *infr. l. 2. c. 7. l. 21.* Et communis hæc est sententia, non aliis, quam Germanis, originem suam debere feuda, etiamsi & hic aliqui dissentiant. Vid.

Lud-

Ludvvel. *in synopſ. jur. feud. c.* 1. *p.* 4. Dn. Struv. *ſyntagm. jur. feud. diſſ.* 1. *n.* 3. Petr. Heig. *part.* 1. *q.* 1. Gothofr. Anton. *diſſ. feud.* 1. *th.* 1. *lit. C.*

Ius demit ſummi Imperii) Grotium ſequitur Arnoldus Vinnius *de juriſdict. c.* 3. *n.* 6. Obligatio tamen Vaſalli non ad reverentiam tantum & honorem Seniori præſtandum reſtringitur, ſed etiam ad ſervitia feudalia extenditur, & quod magis eſt, ad fidelitatem. Etſi autem fidelitas illa nullam talem inferat ſubjectionem, ad qualem tenentur ſubditi, talia tamen continet, ex quibus ſuperioritas Domini reſpectu iſtius feudi ſufficienter elucet. Explicavit iſta Compilator Juris Feudalis 2. *F.* 6. Quin imo quia Vaſallus bona illa, regalem dignitatem annexam habentia, ex manu accipit Domini infeudantis, non bona tantum iſta, ſed ipſam etiam dignitatem annexam recognoſcere debet ab Domino infeudante, quæ recognitio dependentiam quandam dicit ab alio. At quod dependet, ſummum eſſe nequit. Vid. Andr. Knichen *de Saxon. non provocand. jur. verb. DVCVM. cap.* 1. *n.* 18. 19. Quia tamen poteſtas ipſa quandoque tanta eſt, ut αὐτοκρατορίας jure expediantur omnia, quæ Majeſtati alias competunt, in Romano imperio receptum eſt, ut poteſtas illa jus ſuperioritatis dicatur, quod nihil aliud eſt, quam majeſtas quædam analoga. Knich.

Knich. *de sublim. & reg. jur. territor. c.* 1. Bachov. *in Trentl. vol.* 1. *disp.* 3. *th.* 6. *lit. E.* Dn. Struve. *disp. feud.* 6. *num.* 13.

Quæ libertas est civilis) Ita etiam *in* §. 21. dixit, libertatem civilem sine summo Imperio intelligi non posse. At enim quemadmodum libertas privata non illico facit hominem sui juris, cum filiusfam. liber quidem sit, non tamen summum in familia tenet imperium: ita etiam populus liber esse potest in contradistinctione servitutis, nec tamen propterea summum imperium habeat necesse est.

Quæ Franca vocant) Sed in illis etiam fidelitas debetur, quæ fidelitas magis adstringit vasallum, quam obligatio ad servitia. Nec verum est, nullo jure in rem consistere feuda Franca, cum imo etiam ad horum feudorum alienationem domini consensus sit necessarius. Udalricus Zas. *de feud. part. ult. num.* 37. qui necessarius non esset, si domino non maneret dominium directum.

Quo alter alteri operam pollicetur) Qui vero operam, cum immunis sit talis vasallus a servitiis? Servitia enim proprie operarum nomine veniunt. Nec etiam fœderis proprie dicti nomine insigniri potest contractus feudalis.

Quod nunc feudum ligium vocant) Loquitur vulgato Feudiſtarum more. Qui enim accuratius rem perpendunt, rejiciunt diviſionem feudi in ligium & nec ligium, cum per accidens fiat, quod, ſi jam habeat vaſallus feudum, & aliud acquirat, dominus antiquior excipiendus ſit. Alias enim ligius idem notat, quod vaſallus. Vid. Gerh. Joh. Voſſ. *de vit. ſerm. l. 3. c. 20. voc. liga.* Dn. Struve *ſyntagm. jur. feud. exerc. 3. num.* 9. Conf. tamen Quirin. Kubach. *cent.* 1. *dec.* 10. *quæſt.* 10.

§. 24. *Et captivus*) Sequitur ergo, Regem captivum non amittere imperium in ſubditos, neque propter captivitatem ejus victori acquiri regnum, ut maxime id fuerit in patrimonio captivi. Dabitur occaſio hac de re dicendi *lib. 3. cap.* 8.

Caput IV.

§. 1.

B*Ellum gerere poſſunt*) In hac partitione ſolum illud vere dicimus bellum, quod utrinque ſummæ adverſus ſe invicem gerunt poteſtates, ſecundum notata ad *princ. cap. anteced.* Nec quod de Abrahamo hic adducitur exemplum, ſatis conveniens

eſt,

eſt, cum Abrahamus non fuerit perſona privata, ſed ſuæ gentis princeps.

Ea toleranda eſt potius, quam vi reſiſtendum) Varie hac de re diſputatum fuit ſuperiore ſeculo, imprimis in cauſa religionis. Videri poteſt Frid. Hortleder. *part. 2. lib. 1. & 2.* Et negari nequit, inter JCtos ſæpe fuiſſe, qui defenſionem ſubdito adverſus Principem conceſſerunt, uti videre licet apud Berlich. *lib. 4. concluſ. 12. n. 22. 29. 30.* Totum hoc negotium multas adhuc habet difficultates, quas tamen pleraſque hic enucleate ſuperat Grotius.

§. 2. Cum aliter non poſſet finem ſuum conſequi) Facile enim nequiſſim* quiſque injuriam ſibi a Principe illatam dicere, & ſeditionibus Remp. concutere poſſet. Tranquillitas ergo ut conſervetur, limitari debuit axioma juris naturalis, præſertim cum non tam jubeatur defenſio a natura, quam ſuadeatur & permittatur.

Miles, qui caſtigare volenti) Jura in pœnis, quæ militibus infliguntur, atrocia quidem ſunt, præſertim quod delicta militaria attinet. Si tamen attendatur, quod extinguatur & expiret omne Imperatoris officium, ſi miles non obſecundet mandatis, & pro lubitu ſuo agat, non videbitur nimium

aut crudele, quod in milites delinquentes constitutum est. Atque hinc in disciplina militari omnem fortunæ & felicitatis bellicæ summam positam esse, omni tempore observatum est. Vid. Georg. Acac. Enenkel *de privil. milit. lib*. 1. *cap*. 1. *n*. 20. *seq*. Neque ergo facere possum cum Antonio Perez, qui *tit. Cod. de re milit. n*. 36. militem tribuno suo atrocius & sine causa cædenti resistere posse contendit, frustra in hanc rem adducta *l*. 5. *C. de jur. fisc*. Præterquam enim quod diserte hic per constitutionem resistendi potestas concessa est, quæ militi concessa non est, etiam istud obstat, quod astrictior multo sit disciplina militaris, præsertim in castris, quam disciplina civilis. Quæ igitur sub titt. de re militari, continentur pœnæ, eas coërcendis militum delictis proportionatas esse, longo usu didicit bellicosa Romanorum natio. Add. Alexand. ab Alexand. *gen. dier*. *l*. 6. *c*. 18. Plin. *lib*. 14. *hist. nat. c*. 1. de vite. Petr. Fabr. 1. *semestr*. 17.

§. 3. Nec de jure vero intelligendum) Rectius nostri statuunt Theologi, jus istud non iniquum esse, sed indultum a Deo, & tale, quo magistratus, urgente Reipubl. necessitate, salva conscientia uti possit. Uti enim in corpore humano ense rescinditur, si quod membrum vitium aliquod contraxerit, uti ædificia etiam invitis do-

dominis diruuntur, quando proximus ardet Ucalegon, *l.14.C. de oper. publ.* ita & Principi licere ad conservandum corpus Reipubl. uti interdum sive ministerio sive bonis & fortunis subditorum, si præsertim aliud non suppetat, quo præsenti consulat necessitati. Posita ergo Reipubl. necessitate, nihil eorum, quæ in dicto Samuelis capite recensentur, iniquum erit. Vid. Gerhardus *loc. de magistrat. polit. num.* 125. B. Hülsem. *Breviar. Theolog. cap.* 20. *n.* 12. §. 5. 6. Dn. Calovius *ad d. l. Samuel. contra Grot.* Per jus ergo ibi descriptum verum jus, h. e. facultas honeste & juste aliquid agendi intelligitur, non tyrannicum & mere usurpativum, uti tenent Carol. Molinæus *ad consuetud. Paris. t.* 1. §. 1. *gl.* 5. *n.* 65. Georg. Buchanan. *de jur. regn. ap. Scot. Bb.* 8. Nicol. Bellermontan. *dissert. polit.* 14. Joh. Milton. *in defens. c.* 2. Anton. Matthæ. *de criminib. tit. de furt. c.* 4. *n.* 4. Bodin. *l.* 1. *de Rep. c.* 10. Dionys. Gothofred. *ad l.* 4. *C. de LL. & ad Novell.* 105. *c.* 2. Ut maxime autem ponamus, agi illic de abusu potestatis regiæ, manet tamen adhuc, resisti propterea Regi a subditis non posse, & hoc recte à Grotio hic asseritur.

Quæ est de officio Regis) Moses a Samuele nihil omnino dissentit. Moses enim non populum, sed Regem instruit, ejusque describit officium; Samuel vero ejus potesta-

tem & imperii amplitudinem: Ille modum imperandi tractat, hic necessitatem parendi. Vid. Alberic. Gentil. *disp. Reg.* 1. *pag.* 18. Guil. Barclaj. *contra Monarchom. l.* 2. *p.* 255. & *l.* 3. *c.* 6. Claud. Salmas. *defens. Reg. c.* 2.

Dei opem imploraturum) Imploratio illa non præcise præsupponit injurias Regum futurorum & abusum potestatis, sed deteriorem tantum populi statum, cui scil. minime assueti libertatem, quam sub θεοκρατίᾳ habuerunt, sero tandem & per querelas sibi exoptaturi fuerint.

§. 4. Præcipiens dari Cæsari) De intellectu istorum verborum videri poterit Seldenus *de jur. nat. lib.* 6. *cap.* 17.

Non minorem, si non majorem) Id jam supra monuimus, non concedendum esse Grotio, durius esse jugum in N. T. quam fuit in Veteri, adeoque falsum est, majorem obedientiam requisitam fuisse a Christianis, quam a Judæis. Non fuit hoc officium Salvatoris, ut leges ferret, sed ut legem nobis impossibilem ipse adimpleret.

Imperandi & parendi approbaverit) Hoc non dicit Paulus, quod approbaverit Deus tantum, sed quod ordinaverit & constituerit. Non igitur potestates publicæ eo loco nobis habendæ sunt, quasi ab

ab ipſo Deo eſſent conſtitutæ; ſed quia revera a Deo conſtitutæ ſunt, ideo iis parendum eſt, ne ordinationi Dei reſiſtamus. Quod ſi principalis cauſa ſubjectionis eſſet conſenſus populi in principem, non-obediendo conventioni quidem aut pacto, non autem proxime & directo Dei ordinationi reſiſteret ſubditus, id quod tamen Apoſtolus affirmat. Vid. Cüner. *de offic. princip. cap.* 5. Eſt ergo poteſtas omnis ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμένη, & quidem immediate, uti jam ſupra diximus.

Noſtro bono inſerviat) Hoc quidem non dicit Paulus, ſed quo magiſtratus, ſi bonum feceris, Dei miniſter tibi ſit in bonum, quemadmodum, ſi male feceris, Dei miniſter eſt, tibi in vindictam. Non igitur neceſſe eſt, ut cum Grotio digreſſionem faciamus de utilitate privata'ab utilitate publica dependente; aut ut cum novis quibusdam Interpretibus verba ea de illis tantum magiſtratibus intelligamus, qui ad ſubditorum commodum omnia referunt.

Id inter minus frequentia habendum eſt) Interdum id oppido frequens eſt. Inter novendecim Reges Iſraelis duo tantum numerantur, & inter novendecim Reges Juda vix octo, qui rectam inierunt viam. Et vereor ego, ne in quavis Rep. idem prorſus contingat, ut numero vincant illi, qui imperium peſſime adminiſtrant.

(Cui specialia subjici fas est) Impossibile est legem ita scribere, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur, sed sufficit ea, quæ plerumque accidunt, contineri, *l.10. ff. de LL. Necesse enim esset*, ait Albertus Bolognetus *de leg. jur. & æq. c.29. n.7. ut qui perfectas vellet leges condere, quæ per se satis esse possent, & quæ omni carerent ambiguitate, quoscunque prorsus individuos ac singulares rerum eventus enumeraret, omnesque illas, quas vulgo dicunt circumstantias, exprimeret, ut si percussorem vellet punire, deberet illa omnia legis scriptura complecti, lignove vel arundine, an ferro percusserit; quod si ferro, quanto aut quali, ense vel mucrone aut hasta: exprimendum præterea esset, qualem hominem, item quo loco, quo tempore, qua occasione vel necessitate, quove consilio vel animo percusserit. Quæ quidem tam multa sunt, & tam multis modis variari possunt, ut nemo vel prudentissimus legislator quicquam posset unquam tam perfecte scribere, cui non multa & addenda & detrahenda essent. Nec sane legislatoris culpa hoc contingit, sed ob rerum agendarum prope infinitam multitudinem &c.* Quia igitur humanarum operationum tanta est varietas & inconstantia, debet pro re nata lex scripta, quæ generaliter conscripta est, vel restringi, vel extendi, vel suppleri, quatenus negotium, cui applicari debet, requirit,

rit, quod eleganter *d. l.* exemplificat Albert. Bolognetus.

Idem ad Reges quoque referendum) Optime Augustinus: *Ita a plebibus*, inquit, *Principes, & a servis domini ferendi sunt, ut sub exercitatione tolerantiæ sustineantur temporalia, & sperentur æterna.*

Quæ injuriarum patientiā secum ferat) Loquitur enim Paulus *ad Roman.* 13. in abstracto, πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω, ut ostenderet, subditos non debere ad personas imperantium respicere, sed ad ipsorum officium. Quod officium etsi cum injuriis subditorum expediatur, non propterea tamen eorum desinere debet obedientia.

§. 5. Consuetudo veterum Christianorum) Argumentum hoc porro prosequitur Grotius *comm. de imp. summ. pot. circa sacr. c. 3. num.* 14. ubi tamen in Scholiis exempla in contrarium adduxit David Blondellus, sed quæ aut laudari omnia non possunt, aut ea ratione excusari debent, quod creditum fuerit, Dei honorem in ministris suis periclitari, cui defendendo arma se capere posse, & debere putabant. Quod si quid aliquando, inquit Grotius §. *seq.* factum est vi contra reges, narratur in testimonium di-

divinæ providentiæ, id permittentis, non in facti humani approbationem. Uti supra dixi, intricata hæc & in utramque partem semper ventilata fuit controversia.

Tertullianus apologetico) Ad hunc locum conferri possunt, quæ notat Desiderius Heraldus & Nicolaus Rigaltius.

§. 6. Nam omnis facultas gubernandi) Tam creatio quam jurisdictio omnium magistratuum intuitu majestatis passiva est & dependens. Jac. Lampad. *de Rep. Rom. Germ. part.* 1. *n.* 14. Omnis enim magistratus potestas tum quoad originem suam, tum quoad latitudinem, tum denique quoad totum suum Esse & operari a suprema majestate dependet, & nunquam quicquam sine ejus, qui summum imperium tenet, tacito vel expresso consensu efficere potest. Quod originem attinet, certum est, neminem magistratus officio fungi posse, nisi qui in eam rem a Principe fuerit constitutus, *l.* 1. *pr. ff. de L. Jul. amb.* adeo ut majestatis crimen incurrat, qui privatus pro potestate magistratuve quid sciens dolo malo gesserit, *l.* 3. *ff. ad L. Jul. Majest.* id est, qui falsum magistratum sibi vindicaverit, uti cum Græcis interpretatur Antonius Contius *ad d. l.* Quin si id fecerit quis animo hostili & imperium affectante, non simplex tantum majestatis crimen

men is committet, sed perduellionis, quod eo atrocius est, quo perniciosiore conatu ipsam Reipublicæ summam impetit & oppugnat. Ant. Matthæ. *de crim. tit. de læs. majest. cap. 2. n.* 17. Latitudo potestatis itidem est a principe tum ratione loci, tum ratione causarum & personarum. Ejus enim est providere, ne confusio fiat jurisdictionum, nec Rei de eadem causa pluribus litibus vexentur, neve quod a pluribus alias expediri potest, ab omnibus se invicem expectantibus plane omittatur. Totum denique & Esse & operari magistratus ab unica est & dependet majestate. Potest enim idem ille, qui magistratum constituit, eundem iterum removere, & in privatorum ordines redigere, potest ejus potestatem ampliorem reddere, angustiorem, sublimiorem & inferiorem, prout ipsi libuerit, invito etiam magistratu, cui ne hiscere quidem adversus ejusmodi decreta licitum est. In omnibus igitur suis actionibus ita adstrictus est magistratus ad Principis voluntatem, ut nec id quidem peragere possit, quod princeps præsumptive nollet. Dependentiam enim potestatis dum statuimus, perpetuam simul inferimus harmoniam, quæ conservari aliter nequit, nisi in principis & magistratuum consensu. Talis autem cum sit omnis magistratus potestas, non poterit fieri, ut ulla ratione summum imperium transcendere, atque id in ordinem redigere sibi præsumere velit, aut vero vinculum subordina-

tionis

tionis & consensus prorsus est rumpendum, rebellionem scilicet captando, & summa imis miscendo.

Regi ut supereminenti) Putidissimus est commentarius Johannis Philippi, qui *in defens. Miltoni p.* 50. Petrum dicit Regem supereminentem vocasse, vulgari potius loquendi more, quam vere politico, pro eorum scil. captu, ad quos scripserit. Recte hic Grotius subordinationem imperii etiam sensu communi ait cognosci, quam cum non sentiat improbus hyperaspistes, sensu communi eum destitutum perverse plane Scripturam interpretari argumentum est.

§. 7. Nam leges etiam Dei quædam) Recte dicit: quædam, quales inprimis sunt leges positivæ. Quæ enim cum naturalibus & moralibus coincidunt, non potest dari necessitas tanta, quæ adversus eas commissum in genere licitorum ponere possit. Qua ratione præceptum de non furando non habet tacitam exceptionem summæ necessitatis.

De lege Sabbathi) Quia ocium præscriptum & præceptum erat Judæis per diem sabbathi, magna religione & sequiori ætate multa cum superstitione id observabant. Et hinc perversa plane ratione non charitatis tantum opera intermittebant die Sabbathi, sed ea etiam, quæ sine magna sua

&

& totius populi pernicie omitti non poterant. Nam Ptolomeus Lagi filius urbem Solymarum ingressus sabbatho velut sacrorum gratia, Judæis nec arcentibus, quod nihil hostile suspicarentur, & alioquin eum diem in otio & quiete agentibus, sine difficultate potitus dominio, acerbe eam & inclementer tractavit, eamq; ob rem Agatharchides Cnidius, qui successorum Alexandri res gestas conscripsit, superstitionem Judæis exprobrat, quod propter eam, libertatem amiserint. Joseph. *lib.* 12. *antiq. c.* 1. Ad eundem modum temporibus Antiochi Epiphanis, Judæi, qui in latebras confugerant, cum oppugnarentur die sabbathi, mori maluerunt, quam defensionem parare, 1. *Maccab.* 2. *v.* 36. Similis superstitio fecerat, ut Pompejus per hanc occasionem urbe potiretur; sed tum tamen mitiorem opinionem animos Judæorum occupasse, testis est supra laudatus Joseph. *lib.* 14. *antiq. cap.* 8. *Nisi*, inquit, *patrius nobis mos esset per otium septimum quemq; diem exigere, non potuissent absolvere aggerem: prohibere enim vim inferentes lex permittit, sed opus facientem hostem impedire nos non sinit, &c.* Denique Esseni omnium maxime religiosi, seu superstitiosi potius, longe cæteris Judæis diligentius cavebant, ne quam operationem sabbatho exercerent; neque cibum sibi solum pridie præparabant, ne videlicet illo die ignem accenderent, sed neque vas aliquod transf-

transponere audebant, imo nec alvum purgabant, verba sunt Josephi 2. *deBell. Jud.c.7.* Add. Gisb. Voet. *disp. de sabbath.* Seld. *de jur. nat. l. 3. c. 9. seq.*

Hasamonæorum temporibus) De vocabulo Hasamonæorum obiter videri poterit Nicol. Fullerus *lib. 2. misc. cap.* 13. ut & Dn. Ægid. Strauchius noster *in breviar. chronolog. cap.* 32. *q.* 1. Intelligit autem hic Grotius consilium istud, quod a Judæis agitatum fuit 1. *Maccab.* 2, 41.

Quod in legibus humanis magis etiam procedit) Habet hic locum interpretatio, quæ judici in applicatione legum competit, de qua agit Joh.Bapt. Leonellus *tract. de subrept. rescript. q.* 4. *art.* 23. Quandoque enim durities legis propter æquitatem mollienda est juxta *l.* 14. §. 13. *ff. de religios. l.* 4. *ff. de eo, quod cert. loc. l.* 8. *C. de jud. l.* 8. *C. de pact. convent.* Sich. *ad d. l.* 8. *C. de jud.* Hartm. Pist. *p.* 2. *q.* 44. *n.* 23. Cothman. *resp.* 40. *n.* 81. *vol.* 3. atque id locum habet ut plurimum in illis casibus, qui non reperiuntur specialiter decisi, quando scil. circumstantiæ quædam occurrunt, quæ non omnino similes sunt illis, de quibus lex loquitur. Tum enim ne sententia impingat in justitiam naturalem, emendatione quadam seu attemperatione, vel potius vera legislatoriæ in-

intentionis explicatione opus eſt. Franzk. *tit. de juſt. & jur. n.* 51. Rutger. Rulant. *de commiſſar. p.* 1. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 4.

Ut de ſtatione non deſerenda) Leve hoc videtur delictum prima fronte, ſed ſi belli momenta ſpectes, admodum grave id eſt, & hinc militibus proprium. Quantam enim cladem ſibi plerumque accerſat ille, qui agmine incompoſito tumultuarie cum hoſte congreditur, omnis omnium gentium loquitur hiſtoria. Et hinc etiam Æthiopiæ Rex ab Rege Luſitaniæ Viros peritos petiit, qui milites in præliis ordinem ſervare docerent, apud Damianum a Goes *de Æthiop. morib. pag.* 404. Non mirum igitur, ſeveras in hanc rem apud Romanos, quibus diſciplina militaris curæ cordique fuit, extitiſſe leges, quas tum revocavit, tum exacerbavit Imper. Auguſtus. Vid. Sueton. *in Aug. c.* 24.

Niſi quatenꝰ ſumma neceſſitas id exigat) Lex militaris eſt, ut qui in excubiis ſtans obdormiverit, capitali animadverſione puniatur. Non improbo hanc legem, ubi neceſſitas id exigit, & periculum ab hoſte imminet, quia hujus vigilantiæ totius civitatis aut exercitus ſalus commiſſa videtur. At ubi tale periculum nullum ſubeſt, & alta pace fruitur civitas, parum conveniens videtur tale ſupplicium.

Cum

Cum ſenſu humanæ imbecillitatis) Prohibitiones legum voluntatem liberam reſpiciunt, eamque coercent, non coactam neceſſitate. Accedente neceſſitate duæ præſto ſunt juſſiones, legalis una, altera fatalis. Fatalis autem, quippe potior, legali prævalet.

Pendere videtur a voluntate) Non videtur, quia ipſum totum Imperium non pendet a volutate populi, ſed immediate ab ipſo Deo, ut ſupra dictum. Nec igitur a civibus jus aliquod ad imperantes manare poteſt. Nec ſequitur: homines ab initio ſponte adducti in ſocietatem civilem coierunt, & ex hoc ortum habuit poteſtas civilis: Ergo talis poteſtas origine eſt humana. Sic enim perinde liceret argumentari: Adam & Eva ſponte adducti coierunt in matrimonium: Ergo matrimonium inſtitutione non eſt divinum. Sed & in hoc a Grotio diſſentimus, quod homines metu violentiæ externæ primum in ſocietatem coierint, adeoque cum Ariſtotele ſtatuimus, hominem natura, hoc eſt, naturæ innato inſtinctu, ad civilem ſocietatem ferri, etiam omni malorum metu abſente. Ipſe Grotius *l. 2. c. 1. n. 9.* rejicit opinionem exiſtimantium, amicitiam ex ſola indigentia natam, cum ſponte & natura noſtra ad eam feramur. Quod autem poteſtatem civilem Petrus humanam ordinatio-

tionem dicit,non ea eſt ratio, quod humanitus ſit excogitata, ſed quod hominum ea ſit propria, uti Beza commentatur; ſive potius, dicitur humana,ratione cauſæ inſtrumentalis, quia ſcilicet per homines exercetur. Vid. Gerhardus *loc. de Magiſtrat. polit. p.* 682.

Se tuendi adverſus immanem ſævitiam) Non auſim hoc aſſerere. Non enim fingi poteſt legitima vocatio ſubditorum ad capienda arma contra ſupremum magiſtratum, cum nulli mortalium jurisdictio competat in talem magiſtratum. B.Hülſemann. *breviar. c.*20.*n.*21.

Nam David) Davidis exemplum adduci nequit. Ille enim non jam privatus amplius erat, ſed per inaugurationem unctus a Samuele in Regem, & Saul projectus erat a Deo, ne regnaret ſuper Iſrael. *I. Sam. XVI.* Neque colligere licet ex verbis textus, coegiſſe Davidem armatos illos ad vim arcendam, ſi inferretur; ſed hoc potius ibi dicitur, conveniſſe conſanguineos Davidis & alios miſeria preſſos, ut interea a Saulis & aliorum ſævitia una cum Davide, quippe quem Deus jam illuſtrem fecerat, & regem deſignaverat, conſervarentur, & aliquando cum ipſo e tantis miſeriis emergerent. Tota Davidis hiſtoria ſingularis eſt, & divini

herois exemplum, ut proinde regula aut exceptio inde peti non possit.

Simile potest videri factum) Neque hoc exemplum probationis loco adduci potest, cum petitum id sit ex scripto apocrypho. Vid. Chemn. *exam. concil. Trid. part.* 3. *p.* 528.

In tribunis plebis) De tribunitia hac potestate copiosius agit Marcell. Donat. *in Sueton. August. cap.* 10.

Exactiorem patientiam videtur requirere) Id sæpe jam negavimus. Christus enim non est minister peccati vel exactor satisfactionis, *Gal. II. v.* 17. sed Advocatus & Salvator noster, 1. *Joh. II. v.* 2. qui venit, ut legem impleret, & ut eos, qui sub lege erant, redimeret, *Gal. IV. v.* 5. iisque remissionem peccatorum procuraret, ac dispensaret. *Col. I. v.* 14.

Invaluisse Christianam religionem) Tertullianus *ad Scapul. cap. ult.* *Nec tamen deficiet*, inquit, *hæc secta, quam tunc magis ædificari scias, cum cædi videtur. Quisque enim tantam tolerantiam spectans, ut aliquo scrupulo percussus & inquirere accenditur, quid sit in causa, & ubi cognovit veritatem, & ipse statim sequitur.* Ita & Clem. Ale-

Alexandrin. *Stromat.* 4. Gentiles Christi testium constantia obstupefactos sæpissime εἰς πίστιν ὑπάγεσθαι τὴν σωτηρίαν πολυπραγμονήσαντας.

Thebæa legio) Habuerunt Legiones sua cognomina, qualia recenset Lipsius *in Tacit. l.* 2. *hist. pag. m.* 486. Marcell. Donat. *in Sueton. Cæs. cap.* 70.

§. 8. *Puniri morte*) Fuerunt enim Reges Lacedæmoniorum nomine magis quam Imperio Reges, ut ait Cornel. Nepos. Atque idcirco Aristoteles regnum Laconicum perpetuam belli præfecturam appellat, negatque, peculiarem Reipublicæ formam efficere. *l.* 3. *pol. c.* 10. Conf. Ubbo Emmius *de Rep. Lacon.* Quia igitur ille populum superiorem habuit, mirum non est, puniri eum & suppliciis affici potuisse.

§. 9. *Qui eam tractat negligentius*) Sic enim nec in privatis quidem paterfamilias res suas pro derelicto habuisse censendus est, qui non satis attente eas observat. Vid. *Dd. ad* §. 47. *Inst. de R. D.*

§. 10. *Nullus est*) Sed quare nullus ex parte alienantis? Habet enim hic se perinde, atque ille, qui imperio renunciat, aut istud pro derelicto habet. Volenti ergo nulla fit injuria. Nec movet, quod usufructuarius

cedendo jus suum nihil agat. *§. 3. Instit. de usufr.* Certe nihil, scil. in utilitatem & commodum ejus, cui creditur; aliquid tamen agit, dum facit usumfructum a se redire ad proprietarium. Quod enim Grotius putat, id fieri demum legitimo tempore, cum Ario Pinello *ad l. 1. C. de bon. mat. part. 3. n. 39.* Johanne del Castillo *de usufr. c. 69. n. 21. seqq.* Osw. Hilliger. *in Donell. enucl. l. 10. c. 19. lit. B.* non satis videtur convenire textui in *l. 66. ff. de jur. dot.* ubi, quæ de reversione ususfructus ad proprietarium dicuntur, imediate cohærent verbis, quibus nihil omnino cessionario asseritur, ut & privative, & positive sententiam suam exposuisse videatur Jurisconsultus, hoc sensu: quod quemadmodum & qua ratione statim nihil agitur in utilitatem cessionarii, ita & eadem ratione hoc inde statim consequatur, ut usus fructus redeat ad dominum, siquidem adversativa *sed* eventum contrarium explicat, qui scil. ita se habeat, ut in contrarietate servet eandem rationem. Et quorsum vero verba illa alias adjicerentur? cum & extra hunc casum certum sit, morte usufructuarii usumfructum ad proprietarium revertere. Subjiciuntur ergo per modum pœnæ, quæ nulla esset, si usus fructus non illico rediret. Vid. Ægid. Hortens. & Arnold. Vinnius *in §. 3. Inst. de usufr.* Franzk. *exerc. 5. q. 5.* Bachov. *in Treutl. vol. 1. disput. 16. th. 10. lit. A.* Quicquid vero tandem hujus sit,

Re-

Regem electione aut succesſione ad imperium evectum uſufructuario ſimilem eſſe, negavimus ſupra.

Quin ei reſiſti in hoc poſſit) Si actus nullus eſt, manebit tradens etiam poſt traditionem Rex, & ſic unctus domini. Hinc autem ex antecedentibus & præmiſſis Grotii principiis ſequitur, reſiſti illi non debere. Malim ergo hoc potius aſſerere, ceſſionario, ſive illi, in quem alienatio facta eſt, reſiſti a populo poſſe, conſequenter vero etiam ſuo Regi, ſi hic cum illo fecerit, & copias junxerit.

§. II. *Si Rex vere hoſtili animo*) Multæ hic ſeſe adhuc exſerunt difficultates, quæ rem dubiam reddunt. Nec enim permittendum eſt, ut populi judicio animus Regis ſubjiciatur, quippe qui rerum præſentium pertæſus, ſpe melioris regiminis, Regem ſuum ſatis prompte hoſtem pronunciabit, ſæpe præter meritum. Et quis vero arbiter tum erit, ut de animo Regis vere hoſtili conſtet? Ipſa deinde argumenta, quæ in hanc rem adduci poterunt, ſæpe ejus ſunt notæ, ut principem non hoſtem protinus, ſed peſſime tantum imperantem oſtendant. Denique ſi amittitur ab tali Rege regnum, poterit ille & judicari deinceps a populo & ſupplicio affici. At in tyrannum tale quid populo non concedit Grotius, niſi certis caſi-

bus, cum tamen tyrannus vere dicatur ille, qui bonum publicum non negligit tantum, sed & evertit, hoc ipso scilicet animum vere hostilem gerens.

§. 12. *Tunc quoque Rex in privatam personam recidit*) Ut ob feloniam vasallus feudo privetur, necesse est præcedat causæ cognitio, & sententia feratur condemnatoria. 1. F. 21. & 22. Rosenthal. *de feud. c.* 10. *concl.* 41. Jul. Clar. *in §. feudum. q.* 62. Rittershus. *feud. lib.* 2. *cap.* 6. *quæst.* 15. Non alia ratione regnum ob feloniam committi putem.

§. 15. *Eum, qui jus imperandi habet*) Id est, Rex verus a tyranno & invasore dejectus. Ad cujus tamen voluntatem præsumptam ut recurratur, nulla nos movet ratio, cum frustra de ejus voluntate quæratur, qui impedire rem non potest. Omnis vis obligandi, quam tyrannorum parit imperium, ex coactione est & violentia.

Aut denique occidere liceat, quæritur) Observat Christophorus Forstnerus *in Tacit. Annal. p. m.* 25. percussores tyrannorum occulto Dei judicio plerumque violenta morte periisse.

§. 18.

§. 18. *Si diserta autoritas accedat ejus*) At si pactio inter tyrannum & populum oppressum intersit, nego sufficere autoritatem ejus, qui jus verum imperandi habet, præsertim si cum Grotio statuamus præsumptam veri Regis voluntatem, qua maluerit ille quovis modo servari Rempubl. quam perire.

§. 20. *Quia ejus imaginem nummus præferebat*) Non simpliciter, quia Cæsaris imagine insignitus erat, sed quia tributum inde debebatur, atque istiusmodi numismatis genere solvendum erat, possessio imperii arguebatur. Vid. Selden. *de jur. nat. l. 6. c.* 17.

Caput V.

§. 1.

Causa effectrix principalis) Diximus hac de re supra *ad cap. 3. §.* 1.

Naturaliter quemque sui juris esse vindicem) Approbavit hic autor vindictam privatam, eamque ex professo laudat & propugnat *l. 2. c.* 20. quo loco a nobis tota res plenius examinabitur. Nec vero concedendum est, manus ideo nobis datas esse, ut vindictam privatam exerceamus. Aliud

earum eſt officium, nullo crimine ſubnixum, aliaque intentio Creatoris, cum eas formaret. Ideo enim datæ ſunt, ut velut dapiferi eſſent & pincernæ corporis, ut ſi in lapſum propenderet, id conſervarent: ſi periculum immineret, arcerent: ſi injuria urgeret, defenderent, utque fidisſimam ſemper corpori præſtarent operam.

§. 3. *Sed hoc ipſum quod eſt, totius eſt*) Hoc eſt, uti explicat Michael Piccartus *ad libr.* 1. *pol. c.* 4. partes non tantum comparatione ad totum ſunt & dicuntur partes, ſed hoc amplius totius naturam conſtituunt, & absque toto eſſe nequeunt, imo pereunt pereunte toto.


Tale in Republica eſt ſubditus) Adſtrictior tamen eſt conditio ſervi, quam ſubditi, & hactenus tantum comparatio procedit, quod uterque ſit inſtrumentum alicujus agentis principalis.

§. 4. *Ut olim Romæ ſervos*) Clara in hanc rem extat ſanctio *in l.* 11. *ff. de re milit.* Add. Donaldſon. *Synopſ. Oeconom. pag.* 181. *ſeq.*

Nunc

Nunc passim Clericos) Longe diversam Clerici ineunt hodie vitæ rationem, cum videas passim Episcopos contra instituta & canones veterum bella movere, cæde & flammis vicinorum regiones infestare, prædas agere, & militum personas strenue sustinere. Qua de re extat querela Claudii Espencæi *Theologi Paris.* *l. 2, digress. c. 6.*





CUM DEO!

In

HUGONIS GROTII LIBRUM SECUNDUM *DE* JURE BELLI & PACIS.

CAPUT I.

§. 1.

QUæ movent sub ratione utilis) Uberius ista explicat Autor infr. *hoc libr. c. 22. in pr.*

Et a belli principiis) Quæ Scholastici de differentia principii & causæ tradunt, forte huc non pertinent omnia. Videantur tamen Fr. Suarez. *disp. Metaph.* 12. *sect.* 1. *per tot.* Pet. Fonsec. *in Metaph. l.* 5. *c.* 2. *q.* 7. Magis huc pertinet locus Scaligeri *exerc.* 364. *In negociis humanis causa nomen commune est & pro principio agente, & pro fine. Sic αἴτια bellorum tradit Herodotus per initia suarum Historiarum. Vix tamen dixerit aliquis, Trojani belli principium fuisse Helenes adulterium, sed*

ſed cauſam potius. Principium uſitatius pro ipſo belli initio, quo cecidit Proteſilaus.

Vos eſtis Romani) Laudat hic in notis Romanos Grotius, quod conſtantes manſerint in ſpectandis belli cauſis. Et ſane famam juſtitiæ obtinuerunt, certe affectarunt. Bella tamen eos ſæpe manifeſte injuſta geſſiſſe, exemplo ejus, quod in Sardiniam, & quod in Cyprum motum eſt, oſtendit idem Grotius *lib. 2. de verit. Relig. Chriſt. pag.* 45. imo vero nihil apertius eſt, quam ſi juſtitiam illi curaſſent, lupercal manſuram illam, quæ tantopere celebrata eſt, æternam urbem. Vid. eleganter hac de re diſſerentem Chriſtophor. Forſtner. *in l. 3. annal. Tac. p.* 256. *ſeqq.*

Cauſa juſta belli ſuſcipiendi) Putat Franciſcus a Victoria *Relect.* 3. *n.* 13. nullum bellum eſſe juſtum, ſi conſtet, geri majori malo Reipublicæ quam bono & utilitate, quantunivis aliunde ſuppetant tituli & rationes ad bellum juſtum. Male. Sic enim vix ullum bellum defenſivum, ut vocant, juſtum erit, cum tale plerumque cum detrimento aut diſpendio geratur Reipubl.

§. 2. *Ac plane)* Sunt in hoc paragrapho, quæ JCti in ſignificatu preſſiore, vulgari & uſitato aliter accipiunt. *Actionis* vocabulum, etſi quandoque accuſationem

ſub

ſub ſe comprehendat, ſit tamen id admodum raro, & in ſignificatu famoſiori extra judicia publica plerumque uſurpatur. Vice verſa, *accuſationis* vocabulum fere ſemper ad judicia publica reſtringitur, aut ſi qua forte extraordinarie vindicantur crimina. Et differentia præcipue eſt, quod actione ordinaria id, quod noſtrum eſt, vel quod nobis abeſt, accuſatione publicam vindictam perſequamur. *Obligationis* verbum in ſenſu proprio tum demum adhibetur, ubi actio datur perſonalis. *Condictionis* nomen aliquando quidem pro omni actione perſonali, ſed in ſignificatu tamen excellentiori pro certa quadam ſpecie ſumitur. *Interdictum, ne vis fiat*, datur turbato in poſſesſione, non ergo ob injuriam nondum factam. Sed licuit tamen Grotio his vocabulis ex ſua deſtinatione uti, quippe cui conſtitutum eſt extra omne jus civile, naturale tantum juſtum proponere & inveſtigare.

§. 3. *Quod natura quemque ſibi commendat*) Sæpe in memoriam mihi incidit caſus, quem refert Nicolaus Tulpius *in obſervat. medic. l.* 1. *c.* 43. his verbis: *Septem Britanni accinxerant ſe in inſula Chriſtopheriana unius ſolummodo noctis itineri, ultra quam non extenderant commeatum; at interveniens tempeſtas abripuit imparatos longius in mare, quam ut potuerint reverti ad portum*

tum ante diem decimum septimum. Luctatum igitur cum inedia est, qua eo ipsis fuit gravior, quo ardentius id temporis aestuarit Sol, & vehementius exsucca eorum guttura exarefecerit exhalans incalescentis maris salsedo. Cum intricati erroris nullum finem promitteret spaciosum mare, ancipiti sorti committebant, cujus carne urgentem famem, & quo sanguine compescerent inexplebilem sitim: jacta est alea, qua ex illis unus caedi destinatur, qui lubenter fortunae cessit, & gavisus est, se post mortem amicis esse profuturum; deinde sorte alius reperiebatur, qui jugulum peteret, & vim volenti inferret, sic aliquandiu cibatam naviculam deduxit tandem Deus ad insulam Martiniam, ubi vix attigerant terram, quin accusarentur protinus a praetore homicidii, sed dedit ipsis veniam judex, &c. De hac facti specie multum disquiri potest, quousque eam probare conveniat, quanquam ingenue fatear, extra periculum constitutis facilius esse, recte philosophari,& de justitia causae disceptare. De judice nihil moveo. Sed a navigantibus hoc maxime peccatum arbitror, quod in mortem unius, & quisque in se, si ita contigerit, conspiraverint, atque periculum corporis periculo animae anteposuerint. Nec sane debuit quisquam vitam suam tam vilipendere, ut ejus jactura alterius famem expleret. Nec reliqui etiam ideo in socium suum saevire debuerunt,

ut

ut ſtomacho ſuo conſulerent. Sed ejus rei ulterior diſquiſitio aliud otium poſtulat. Vid. Rob. Sharrok *de offic. cap.* 10. *num.* 3.

§. 4. *An & innocentes*) Dum tamen innocentes ſint. Alias enim qui me fugientem ideo impedit & detinet, ut a perſecutore ego opprimi & transfodi poſſim, quin defenſio etiam cum occiſione contra eum inſtitui poſſit, dubium non videtur. Quid vero *ſi quis Titium petens occidat Mediatorem, pacem utrinque conciliantem?* Non excuſabitur, niſi a Titio inſultatus in defenſionis terminis manſerit. Extra hos enim utut error fuerit in objecto & perſona, nullus tamen fuit error in propoſito, & non neceſſe eſt, adeſſe voluntatem occidendi Titium, ſed ſufficit adeſſe animum occidendi in genere. Vid. Bachov. *in Treutl. vol.* 2. *diſput.* 32. *th.* 6. *lit. A.* Gomez. 3. *reſol.* 3. *n.* 34. 35. Arum. *Exercit. Juſtin.* 20. *n.* 13. *& ſuper Digeſt. diſp.* 25. *n.* 10. Andr. Gerh. *diſp.* 20. *num.* 7. Thoming. *deciſ.* 38. Berlich. 4. *c.* 10. *n.* 4. 5. & ante omnes Dn. Carpzov. *p.* 4. *c.* 6. *def.* 1. 2. 3. & 4.

Et certe naturam ſolam) Si modo naturam ſolam, & non potius jus naturæ intellexit Grotius. Per naturam enim hic niſi intelligamus prima naturæ, de quibus autor *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 1. obſtabit hui: aſſertioni naturalis Lex juſtitiæ, quippe ſecundum quam

quam injuſte agit, qui innocentem lædit aut obtruncat. Sed vero ipſa etiam prima naturæ qualiter ſe habeant, loco citato plenius expoſuimus.

Bene autem dictū eſt a Thoma) Hoc vult Thomas, inſultatum poſſe intendere actum neceſſarium ad ſui defenſionem, ex quo prævidet, ſecuturam mortem aggreſſoris, non vero poſſe intendere interfectionem, tanquam medium ad ſui defenſionem neceſſarium. Perinde ut Medicus, dum eligit & adhibet medicamentum ad reparandam ſanitatem, ex quo tamen videt, ſecuturam debilitatem, uti explicat Cajetanus. Eligit enim adhibitionem medicamenti propter ſanitatem, debilitatem autem inde ſequentem neque vult, neque intendit, ſed permittit. At enim difficulter ejuſmodi intentionis leges præſcribuntur jam oppreſſo, aut certe vix erit, ut in praxi obſervari poſſint. Et ex hoc recte Greg. de Valentia *tom.* 3. *d.*5. *quæſt.*8. *punct.*4. nimis durum videtur, obligare hominem in ea neceſſitate conſtitutum ad ejuſmodi Metaphyſicam. Add. Molin. *tom.*4. *tract.*3. *diſput.*11. Filliuccius *tom.* 2. *tract.* 29. *cap.* 3. *num.* 37. Quod ſi licitum eſt in caſu neceſſitatis, ubi aliter evadere nequis, aggreſſorem interficere, licitum quoque erit, interfectionem iſtam intendere. Interim tamen intentio defenſionis debet eſſe

esse primaria, internecionis vero intentio plane secundaria, & non nisi cum lucta quadam.

§.5. *Si insultator arma arripiat*) Ex hoc est, quod statuunt, non expectandum esse primum ictum, sed sufficere aggressionem solam offendendi animum præ se ferentem.

Quod si quis vim non jam præsentem) Ergo quando aliquis nondum aggreditur homicidium, aggredi tamen decrevit, quæritur, num liceat illum interficere, antequam aggrediatur, quando, nisi ita interficiatur, periclitatur vita alterius, in quem scilicet decretum homicidii factum, quia vel postea non effugiet mortem, vel certe maximo periculo subjicietur, ut dubium sit, evitari eam posse. E. gr. Maritus decrevit hac nocte necem uxoris suæ. Ea conscia est hujus firmissimi propositi, nec occurrit aliud quid, ex quo periculum vitæ evitari possit. Quæritur, an fas sit mulieri hoc casu venenum marito porrigere in cibo aut potu, aut sumpto gladio, quem maritus in eum finem sub cervicali reposuit, ipsum hunc maritum suum transfodere. Molina *tom.* 4. *tract.* 31. *disput.* 13. putat, fas esse interficere eum, quem certo, non ex suspicione

ne

ne licet magna, ſcio decreviſſe me interficere etiam ante aggreſſionem, ubi ponderatis omnibus nulla patet via mortem evadendi, eo ſcil. quod jure naturali unicuique id licet efficere, quod urgente alterius nequitia, medium eſt neceſſarium ad propriæ ſuæ vitæ conſervationem. Conſentit Filliuccius *tom. 2. tr. 29. c. 3. n. 39.* qui *n.* 40. addit, tunc tantum eſſe præventionem phyſicam, defenſionem autem revera moralem. At enim noſtra opinione id ita aſſerere non licet. Aut enim certo quis novit ſtructas ſibi inſidias, aut non. Si hoc, fatetur ipſe Molina, non licere ex ſuſpicione ad talem præventionem progredi. Si illud, unde porro certus erit, tam firmiter inſidianti eſſe propoſitum, ut pœnitere nequeat? Quin ſi & hoc certum ſit, tamen aut denunciari id tum poterit Magiſtratui, & ſic fruſtra paratur præventio, aut ſi non poterit, tenetur vel fugere, ſi poterit, vel ſi nec hoc poterit, DEO totius rei eventum commendare ſatius erit.

Conſequitur, multo minus occidendum eſſe reum, de quo conſtat, quod in judicio tantum famoſo, aut bonorum confiſcationem poſt ſe trahente, falſum contra me dicturus ſit teſtimonium, etiamſi ille jam in eo ſit, ut Judicem adeat. Hodierni Moraliſtæ admodum promti ſunt in admittendis eo caſu duellis & homicidiis, atque illis ne-

fas non eſt, & calumniatorem & teſtes, & ipſum denique judicem cum illis facientem clam & occulte interimere. Adſcribam verba unius Sanctii ex *Sum. l. 2. c. 39. n. 7. Melius alii dicunt*, inquit, *licere innocenti duellum acceptare & offerre ad vitam, honorem, & res familiares in notabili quantitate tuenda, quando conſtat, omnino injuſte & per calumniam actorem procedere, & certum eſt, omnino fore, ut innocens hæc amittat, nec aliud ſibi evadendi remedium ſuppetat: atque optime Bannes ait, licere innocenti in his caſibus acceptare & offerre duellum, imo & non provocando ad duellum occidere occulte actorem illum calumnioſum, cum hac occiſio ſit vera defenſio. Imo bene Navarr. n. 290. ait, tenere innocentem non acceptare duellum, nec indicere, ſi poteſt occulte illum occidendo id vitæ, honoris, rerum familiarium periculum evadere: quippe ſic proprium vitæ periculum in duello imminens vitabit, & peccatum actoris offerentis vel acceptantis duellum. &c.* Non impia tantum & Chriſtianis moribus prorſus adverſa eſt hæc doctrina, ſed etiam ſanæ rationi. Aut enim poſt interfectionem e. g. teſtis, probari poterit falſitas teſtimonii, aut non. Si illud, in judicio potius cum eo agendum, & mendacium ipſa convictione refellendum fuerit. Sin hoc, fruſtra ſe famæ ſuæ & bonis ſuis per occiſionem adverſarii conſuluiſſe ſentiet, dum ſcil. ipſe ſibi vitæ & famæ periculum

hac

hac ratione arcessit, & ultro pœnam in se provocat. Conf. Laymann. *Theol. moral. l. 3. tr. 3. part. 3. cap. 5. num. 2. vers. Dicendum tertio &c.*

§. 7. *Pro pudicitia*) Ita censent non Moralistæ tantum, sed JCti etiam plerique omnes. Idem apud Judæos quoque juris fuisse, ostendit Selden. *de jur. nat. & gent. l. 4. c. 3.* Censet tamen Augustinus *l. 1. de lib. arb. c. 5.* & recte, pudicitiam moraliter consideratam esse bonum animi, quod nulla vi extrinseca, si animus bene communitus sit, eripi possit. Læsio igitur illa, quæ per attentationem pudicitiæ infertur, etsi atrox sit respectu inferentis, & respectu ordinis divini, qui turpissime violatur, non tamen videtur esse proportionata extemporaneæ interfectioni vim inferentis, add. *cap. 1. 2. 3. 4. seq. caus. 32. q. 5.* Ipsi igitur Moralistæ suam hanc doctrinam temperant, & non temere ob qualemcunque pudicitiæ invasionem occidere permittunt, sed ubi violentia vires accepit, & ad prostrationem corporis aut alia processit. Vid. Balduin. *de cas. consc. l. 4. c. 1. cas. 15.* Hoc vero non iniquum est, quod in foro soli ab ordinata homicidii pœna absolvatur, quæ injuriæ intentatæ atrocitate mota intentantem interfecit. Cæterum num excusatus sit ille in foro conscientiæ, qui adulterum aut adulteram in

flagranti delicto deprehensos occidit, disquiritur. Excusatum non esse arguit, tum quod nullibi Lex divina relaxet mandatum de non occidendo, tum quod nulla necessitas suadeat, ut id contra adulterantes permittatur. Sola n. necessitas, aut necessitati par ratio facit, ut processus contra delicta, autoritati publicæ ordinarie competens, etiam privatis communicari possit. Non ergo satis congruit Legi divinæ, aut Juri naturali Lex 24. *ff. ad L. Iul. de adult.* quæ adulterum marito occidere permittit, sed non quemvis, verum vilem, infamem, eumque domi suæ cum uxore deprehensum; Uxorem autem adulteram occidere non permittit. Nec magis congruunt *l.* 20. *l.* 22. *&* *l.* 32. *ff. eod.* quibus Patri permissum fuit occidere adulterum quemcunque cum filia, etiam in domo mariti, deprehensum, modo & ipsam filiam occiderit simul. Sed nec congruit *Novell.* 117. *c.* 15. qua licuit marito quemcunque occidere, quem in suspecto loco cum uxore colloquentem deprehenderit, dum tamen prius eundem propter suspicionem tribus ex scripto contestationibus monuisset, ut abstineret. Nisi dicere velis, leges istas permittere cædem adulteræ, non probare, quod tamen non placet Didaco Covarruviæ *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 7. *§.* 7. *n.* 21. add. Carpz. 1. *decis.* 95. Laymann, *Theol. moral.*

moral. lib.3. tr.3.part. 3. c. 2. n.4. Ant. Perez. *Cod. de adulter. n. 23.*

§. 8. *Quorum officium est)* Pertinet huc etiam miles in excubiis ſtans, quippe qui nec ipſe fuga ſe periculo ſubducere poteſt, tum propter juramentum, tum propter majus bonum, quod omiſſa defenſione in periculum conjicitur. Quin & ille neceſſario ſe defendere tenetur, qui novit, omiſſione defenſionis Principem, parentes, Magiſtratum vitæ diſcrimen ſubituros.

§. 9. *Charitas nos obſtringit)* Imo non charitas tantum, ſed firmior aliqua obligatio, quæ naſcitur ex agnitione poteſtatis, Principi a DEO immediate conceſſæ. Jubet enim natura, DEO, & omnibus iis, qui a DEO poteſtatem imperandi acceperunt, ſubjectum eſſe.

Ut vero meo unius bono) Bonum proprium perſequimur, non ut aliquod ſeparatum bonum aut ſecluſum a bono communi (certe id ſub tali qualitate ordinata charitate velle non debemus) ſed veluti partem boni communis amamus; adeo ut bonum commune, cui noſtrum incluſum eſt, & ſine quo conſiſtere non poteſt, ſit ratio, cur noſtrum amemus bonum. Bonum igitur commune per prius, proprium vero per poſterius amamus. Et na-

turaliter pars magis diligit bonum totius, quam proprium in iis, quæ a bono totius pendent.

§. 10. *Facultatem quandam moralem adversus se in infinitum*) Principium hoc Grotii ita exprimit Bannes *in 2da 2. q.* 64. quod jus defensionis se extendat ad omne id, quod necessarium est, ut quis se ab injuria, quam metuit, servet immunem. At vero cum nulla hic sit inter defensionem & læsionem proportio, quod agnoscit Grotius, Justitia autem naturalis eam quam maxime observari velit, sine dubio sententia hæc etiam ad Legem naturæ examinata parum roboris habebit. Quomodo enim mihi in infinitum competat jus adversus eum, qui alapam aut aliud malum minatur? cum ex illis minis metus tantum incutiatur alapæ infligendæ. Minæ a. sæpe, a Thrasonibus præsertim, in effectum non deducuntur. Et hinc cum Baldus JCtus *ad l.* 1. C. *quand. lic. unicuique sine jud.* asseruisset, posse minitantem ob solas minas præveniri & necari, noluit Paulus Castrensis id simpliciter admittere, sed tum demum, quando minas ille exequi solitus fuerit, referente Sichardo *ad d. l.* 1. *n.* 3. Ego vero nec tum quidem assentior, quia ego de eventu nunquam ita certus sum, ut præcise id, quod metuo, fieri oporteat. Nec enim metus qua-

lis-

liscunque ad jus occupandæ interfectionis sufficit, & multa sæpe incidere solent, quæ animi destinationem & constitutuminter-vertunt. Meliora sunt & saniora, quæ Grotius paulo ante §. 5. proposuit.

Jubet enim CHRISTUS) Ne putes hic cum Grotio Socinianizante, a Christo demum interdictam vindictam istam privatam, de qua loquitur textus *Matthæi V.* 39. Sed imo prohibita eadem jam in Vet. Testamento. *Levit. XIX,* 18. Dicemus ea de re plura ad §. 13. *hujus cap.*

Cavere a dicto Covarruviæ) Imo vero Covarruvias tam insulsus non est, ut neget, posse DEUM ea, quæ permisit natura, aut indeterminata reliquit, (jus permissivum vocat Seldenus *de jur. nat. & gent. l.* 1, *c.* 8) legibus positivis definire, aut etiam id, quod jussit natura, certo modo limitare, cum id ipsum humanæ quoque licitum sit Majestati. Sed disputat Covarruvias *d. l.* utrum defendere se ab aggressore excuset in foro poli, & affirmat contra Accursium, quem non considerasse ait, defensionem hanc jure naturali permissam esse. Si ergo juris naturalis est, non potest displicere Naturæ Autori DEO, saltem in iis, ubi juris naturæ præceptum limitatum non fuerit, nec quicquam in permissivis noviter statutum lege aliqua posteriore. Injuriam

Quæ certe mortis pœnam in furem non constituit) Solicitat hic Grotius & perstringit aliud agendo pœnam suspendii, quam ex Constitutione Carolina hodie in Romano Imperio furibus dictare solenne est. Quam eandem ex JCtis nostris imprimis Bachovius *ad Treutl. vol. 2. disp. 30. th.3. lit. G.* Antonius Matthæus *de crimin. tit de furtis num. 6.* multis argumentis proscindunt. Sed optime Grotio respondet Brentius *in cap. XXII. Exod. Quanquam ultimum supplicium furibus inferendum videatur esse crudelius, quam Deus in Lege Mosis ordinavit; Lex tamen Mosis non pertinet ad politiam Romanam, & supplicia externa possunt a Magistratu bona conscientia augeri, si ratio temporis, feritas gentis & alia circumstantia delicti id exegerint, &c.* salva res est, si dicatur, proportionem inter delictum & culpam non æstimari debere tantum ex ipsa materia delicti, sed inprimis ex tranquillitate publica, ut in quieto sit vita communis; sive, quod eodem recidit, proportionem observari debere non inter rem & pœnam, sed inter delictum & pœnam. Maleficiorum enim supplicia exacerbantur, quoties multis personis grassantibus exemplo opus est, *l. 16. §. f. ff. de pœn.*

Nisi in criminibus valde atro-

tro-

trocibus) Ita permissum est occidere eos, qui ad patriam delendam animo hostili veniunt, *l. 35. ff. de religios.* ita & transfugas, qui ad hostes deficiunt, *l. 3. §. ult. ff. ad L. Corn. de sicar.* desertores militiæ *l. 2. C. quand. lic. unic. sine jud. se vind.* nocturnos populatores & latrones *l. 1. C. eod.* Hillig. *in Donell.* 17. *c.* 2. *lit.* O. bannitos Imperii, Ordin. Camer. *p.* 2. *tit.* 9. Sed in his tamen omnibus publica potius vindicta peragitur, cum interficiens non ut privatus consideretur, sed ut minister publicus, cui lege commissa fuit pœnæ executio. Vid. Grot. *inf. c.* 20. *n.* 17.

Sed non etiam jus dare) Imo etiam jus, ex lege XII. tabb. JURE CÆSUS ESTO.

§. 15. *Suscipiatur singularis dimicatio*) Duella omnia, præterquam quod Legi DEI repugnent, ipsa etiam damnat natura. Est ejusmodi provocatio & mutua ad monomachiam oblatio opus 1. inexcusabilis audaciæ, quo sine necessitate homo semetipsum in discrimen vitæ & æternæ salutis conjicit. 2. intolerabilis feritatis, quat. non in suam tantum, sed alterius etiam vitam aliquis cum rabie quadam sævit. 3. extremæ injustitiæ, quatenus pro injuria interdum levissima & a Viro cordato non æsti-

manda mortis exhibetur retributio. 4. immanis superbiæ, qvat. Victor ex ruina hostis, imo vero proximi sui gloriam sibi quærit. 5. affectatæ inobedientiæ, quat. quis ita Magistratus sui autoritatem spernit, & sibi ipsi jus dicere præfracte annititur, Vid. Franzk. 2. *resol.* 23. *& exercitat.* 12. *qu.* 6. *in addit.* Sed annon eo saltem casu duellum admittemus, quando miles in exercitu, aut Vir equestris in aula Principis provocatus, nisi comparuerit, officio suo, dignitate & favore Principis sese excidere certo novit? Ita quidem Laymannus *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 3. *num.* 3. Sed enim non satis videtur tutum, aulæ in urgenda monomachia erranti parere, cum collatio bonorum præferendorum & posthabendorum in isto negotio secundum ordinem charitatis nullo modo habeatur, nec qvicquam erronea aulæ opinio præjudicare possit *Legi divinæ*. Add. Wilh. Wendrock. *ad Ludov. Montalt. epistol.* 14. *sect.* 3. §. 4.

Si invasor concedat alteri licentiam dimicandi) Nego accipiendam esse conditionem, sed invasionem potius expectandam puto. Quæ si paretur, & invasor jam corpus petat, poterit impetitus per defensionem naturalem, vim propulsare, & aggressorem, si aliter periculum ab eo imminens evitare nequit, occidere.

Dein-

ſiquidem fur talis telo ſe non defendat, nec nocturnus ſit, nec alium aggrediatur, imo fugiat, occidi igitur licite non poſſe. Add. Ant. Merenda *l.* 5. *controverſ. c.* 20. Val. Volz. *ad L. Corn. de Sicar. c.* 7. *n.* 104. Neque vero odium raptoris, quod cauſatur Grotius, ad privatum æque ſpectat, atque ad Remp. ut proinde & compenſatio, quæ in pœnam reſolvitur, magiſtratum ſpectet, non ad privatum, cui pœnæ inferendæ jus nullum competit.

§.12. *Sed ſi ipſe in periculum vitæ adducar*) Recte. Periculum enim perſonæ reddit juſtam furis vel alterius raptoris occiſionem, non autem periculum rerum. Juſta enim occiſio fieri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ, atque id moderamen ex periculo vitæ imminente petendum eſt, non ex eo, quod res ablatæ via alia juſta vel juridica recuperari nequeant, uti id explicat Petrus Binsfeld. *ad cap.* 1. *X. de injur. & damn. dat. quæſt.* 6. prolixe cum aliis, quos citat, diſſentiens. Lex vero XII. tabb. periculum hoc vitæ forte non reſpexit. Ait enim ſimpliciter, *ſi furem nocturnum quis occiderit, jure cæſum eſſe, diurnum vero, ſi ſe telo defenderit.* Et huc facit, quod habent Cicero, Seneca & Auguſtinus, Furem nocturnum *quoquo modo*, ſive ut loquitur Ulpianus, *omni modo* occidi potuiſſe. Vid. Jacob. Gothofred.

fred. *ad LL. XII. tabb. ad tab. 2. lib. 3. pag.* 58. *& in not. pag.* 195. Cujac. *ad l. 3. ff. de just. & jur.* Quicquid hujus sit, si quis furem nocturnum occidit, præsumptio est, fecisse id vitæ tuendæ causa. Valent. Volz. *ad L. Corn. de sicar. c. 7. num.* 95. Id tamen ferendum non est, quod Bartolus asserit in *l. 9. ff. ad L. Corn. de Sicar.* eum, quem interdiu furantem cognoscere nequeo, propter loci scil. obscuritatem, occidi posse, perinde ut furem nocturnum.

Qui verser in actu licito) Ita ut etiam τριβόλους seu murices ferreos ad lædendos & irretiendos fures in terram defodere aut alia offendicula ponere liceat. Menoch. *de Arb. jud. qq. l. 2. cas.* 324. *num.* 7. Polydor. Ripa *de noct. temp. c.* 32.

Accedit, quod tam diu, quam noctu) Noctu id non exegit Lex XII. tabb. & Tribonianismum hic subesse haud frustra putat Gothofredus *d. l.* & ante eum Bachovius *in Treutl. vol. 2. disp. 30. th. 2. lit. B.*

§. 13. *Quid vero jam de Lege Evangelica*) Legem aliam esse veterem & Mosaicam, aliam novam & Evangelicam: Legem Evangelicam perfectiorem esse Mosaica: Christum novas tulisse leges, & ejusmodi alia, quibus identidem utitur Grotius, ex Schola sunt Socinianorum, & eo cavenda magis

magis. Falsum est, plus exigere Evangelium, quam Legem Mosis. Lex enim in se perfecta fuit, nec additionem, nec detractionem admittens. *Deut. IV, 2. cap. XII, 32.* quippe quae talem dilectionem DEI & proximi requirit, supra aut praeter quam exigi aliquid ulterius nequeat. Urget namque perfectionem concreatam aut concreatae analogam, quae revera est habitualis perfectio, & vult igitur, ut actus praecepto praestandus ex habitu procedat, qui habitus in hoc genere tam tener est, ut etiam minimo aliquo defectu corrumpatur. Scopus autem Salvatoris in capite quinto Matthaei est, non legem abrogare, sed potius confirmare, & a pravis Pharisaeorum interpretationibus atque depravationibus vindicare. Prohibet nempe *vers.* 38. vindictam privatam, & ita quidem, ut jubeat animum potius ad novam injuriam, graviorem quoque tolerandam obfirmare, quam ut quisquam conetur semetipsum vindicare. Non igitur absolute sunt capienda ejusmodi verba aut simpliciter, sed comparate & secundum quid, quae scilicet pruritum vindicandi & ultionem tantum privatam interdicunt. nec proinde petulantiae aliquod hinc nascitur tegumentum, neque nos vult Salvator eorum acuere malitiam, qui jam ante nocendi libidine plus satis ardent. Quod si igitur placuerit DEO in V. T. ut qui furem nocturnum cum telo ambulantem occiderit,

rit, sanguinis non habeatur reus, quidni idem placeat, ubi hodie tale quid constituerit Princeps. Quanquam enim Leges Mosis forenses nos non obligent amplius in N. T. recte tamen inde sumitur judicium, quod similes constitutiones consentiant juri naturæ & Legi æternæ, quæ est in mente divina. Paulus vero 1. *Cor. VI*, 7. non simpliciter damnat contentiones in judicio, uti hic iterum cum Socinianis loqui videtur Grotius, sed reprehendit contentiones coram judicio infidelium.

Et spes sit aliqua) Non cohærent hæc, sin periculum sit faciendæ cædis, omittendam esse rem, nisi spes sit aliqua, sine cæde rem abituram. Quin & cum de nocturno fure instituta sit disceptatio, talis plerumque est ignotus, nec spes est, sine cæde rem abituram. Quid ergo excipit secundum legem, ut vocat, Evangelicam?

Puta si fur jam re accepta fugiat) Plerique addunt, aut inclamatum prius debere esse furem, aut rem aliter servari & recuperari non posse, aut rem istam magni esse debere valoris. Filiucc. *tr.* 29. *c.* 3. *q.* 6. *n.* 45. Navarr. *c.* 15. *num.* 2. Rectius tamen asseritur, furē non posse nec debere occidi qua furem, sed qua aggressorem, & ubi dominum, rem suam servare volentem, in discrimen vitæ

tæ conjecerit. In thesi ergo ipsa hactenus consentimus Grotio.

Et paulatim interpretatio) At perversam esse Grotii interpretationem jam ostendimus, quid ergo de mutata queritur interpretatione? nisi forte paria facere velit cum Cardinale Nicolao Cusano, qui & ipse *Epist. 2. & 7. ad Bohemos*, Scripturas ad tempus adaptatas & earum intellectum cum praxi currere impudenter asseruit.

Olim in clericis) Plurimi extant hac de re canones, quorum nonnulli leguntur sub *dist.* 50. expensi Claudio Espencæo *digress. lib. 2. cap.* 4. ubi fatetur, clericum homicidam mitius tractatum fuisse a posteritate. Sane adhuc seculo XI. Ivoni Carnotensi Episcopo gratulatus est Hildebertus Episcopus Cœnomanensis, quod presbytero, qui dum vitam tuetur, latronem ictu lapidis interfecerat, sacris per totam vitam interdixisset. Sequioribus temporibus disputari cœpit, numquid irregularis fieret Clericus, qui pro rerum defensione invasorem occiderit. Vid. Petr. Binsfeld. *ad c. X. de injur. & damn. dat. quæst. 6. concl. 5.* Aug. Barbos. *ad cap.* 10. *X. de homicid.*

§. 14. *Minime vero id concedendum arbitror*) In thesi verum est, non

non semper tutum esse in conscientia, cui impune est in foro politico quid committere. At in casu præsenti non contrariari sibi leges divinas & civiles, modo ostendimus.

Lex jus necis non habet) Quippini? ubi Lex talis lata est. Ut enim lex justa sit usuque ex publico constituta, ad certam facit legis qualitatem, nempe bonitatem, non ad ejus essentiam. Videtur autem ex hoc Grotii asserto confutari posse id, quod supra dixit §. 10. & 11. dari jure naturæ illi, qui quoquo modo læsus est, facultatem quandam moralem in infinitum adversus lædentem. Si n. lex, quæ tamen juri naturæ innititur, certe inniti debet, non habet jus necis in cives ex quovis delicto, qui id habeat privatus legi subjectus? Nec enim plus concedit jus naturæ privato, quam concedit legi.

Est autem valde probabilis) Imo non est probabilis. Lex enim Mosaica forensis uti soli populo judaico erat lata & promulgata, ita nec ex intentione DEI aliam Gentem præter Israeliticam obligare debuit. Extincta igitur ista Rep. simul extinctæ fuerunt quoad vim obligandi leges in universum omnes, quæ illam Remp. pro conditione loci, temporis & gentis beatam reddere debuerunt. Sunt quidem, qui in criminalibus saltem & pœnis capitalibus juris Mosaici perpetuitatem & universalem obligandi vim

defen-

defendunt,quos inter eſt Bachovius *ad Treutl. vol. 2. diſp. 30. th.3. lit. G.* & Anton.Matth. *de criminib. tit. de furt. cap. 2. in fin.* Quia vero & ipſæ illæ ſanctiones perinde ut aliæ leges forenſes, pro conditione loci, temporis & gentis conſtitutæ ſunt, & in his quoq; illuſtris quædam politiæ Moſaicæ verſata fuit diſtinctio, dubium nullum eſt, abrogatas eas ſimul univerſas & ſingulas, & deſiiſſe adeo cum ipſa politia Moſaica totum & univerſum jus Iſraeliticum. Non negamus tamen, eſſe in legibus ipſis aliquod morale, quod perpetuum eſt, & legis animadverſionem etiam extra politiam Moſaicam in ſe provocat. Ita e. g. morale eſt, turbantes ſocietatem generis humani furtis, cædibus, latrociniis, &c. debere puniri; ſed determinatio tamen certæ alicujus pœnæ pertinet ad Leges cujusque Reip. forenſes, & non neceſſe eſt, ut ea ſemper cum Legibus Moſaicis conveniat, cum &, ſi conveniat, nulla hinc Legis Moſaicæ ſit obligatio. Sed & ad id conducunt leges Moſaicæ pœnales, ut, quia determinatio pœnarum ab ipſo DEO facta eſt, clarum inde fiat Legislatori, quales a ſe bona conſcientia poſſint condi leges & decerni pœnæ, ut adeo Leges divinæ poſitivæ veluti exemplar ſint, ſecundum quod conſtitui poſſint a quovis Legislatore in ſua Rep. aliæ. Vid. Chemnit. *Loc. de Leg. c.* 4. Hugo de Roy *de eo quod juſtum eſt lib. 2. tit. 3.*

Quæ certe mortis pœnam in furem non constituit) Solicitat hic Grotius & perstringit aliud agendo pœnam suspendii, quam ex Constitutione Carolina hodie in Romano Imperio furibus dictare solenne est. Quam eandem ex JCtis nostris imprimis Bachovius *ad Treutl. vol. 2. disp. 30. th. 3. lit. G.* Antonius Matthæus *de crimin. tit de furtis num. 6.* multis argumentis proscindunt. Sed optime Grotio respondet Brentius *in cap. XXII. Exod. Quanquam ultimum supplicium furibus inferendum videatur esse crudelius, quam Deus in Lege Mosis ordinavit; Lex tamen Mosis non pertinet ad politiam Romanam, & supplicia externa possunt a Magistratu bona conscientia augeri, si ratio temporis, feritas gentis & alia circumstantia delicti id exegerint, &c.* salva res est, si dicatur, proportionem inter delictum & culpam non æstimari debere tantum ex ipsa materia delicti, sed inprimis ex tranquillitate publica, ut in quieto sit vita communis; sive, quod eodem recidit, proportionem observari debere non inter rem & pœnam, sed inter delictum & pœnam. Maleficiorum enim supplicia exacerbantur, quoties multis personis grassantibus exemplo opus est, *l. 16. §. f. ff. de pœn.*

Nisi in criminibus valde a-

tro-

trocibus) Ita permissum est occidere eos, qui ad patriam delendam animo hostili veniunt, *l. 35. ff. de religios.* ita & transfugas, qui ad hostes deficiunt, *l. 3. §. ult. ff. ad L. Corn. de sicar.* desertores militiæ *l. 2. C. quand. lic. unic. sine jud. se vind.* nocturnos populatores & latrones *l. 1. C. eod.* Hillig. *in Donell.* 17. *c.* 2. *lit.* O. bannitos Imperii, Ordin. Camer. *p.* 2. *tit.* 9. Sed in his tamen omnibus publica potius vindicta peragitur, cum interficiens non ut privatus consideretur, sed ut minister publicus, cui lege commissa fuit pœnæ executio. Vid. Grot. *inf. c.* 20. *n.* 17.

Sed non etiam jus dare) Imo etiam jus, ex lege XII. tabb. JURE CÆSUS ESTO.

§. 15. *Suscipiatur singularis dimicatio*) Duella omnia, præterquam quod Legi DEI repugnent, ipsa etiam damnat natura. Est ejusmodi provocatio & mutua ad monomachiam oblatio opus 1. inexcusabilis audaciæ, quo sine necessitate homo semetipsum in discrimen vitæ & æternæ salutis conjicit. 2. intolerabilis feritatis, quat. non in suam tantum, sed alterius etiam vitam aliquis cum rabie quadam sævit. 3. extremæ injustitiæ, quatenus pro injuria interdum levissima & a Viro cordato non æsti-

manda mortis exhibetur retributio. 4. immanis superbiæ, qvat. Victor ex ruina hostis, imo vero proximi sui gloriam sibi quærit. 5. affectatæ inobedientiæ, quat. quis ita Magistratus sui autoritatem spernit, & sibi ipsi jus dicere præfracte annititur, Vid. Franzk. *2. resol. 23. & exercitat. 12. qu. 6. in addit.* Sed annon eo saltem casu duellum admittemus, quando miles in exercitu, aut Vir equestris in aula Principis provocatus, nisi comparuerit, officio suo, dignitate & favore Principis sese excidere certo novit? Ita quidem Laymannus *l. 3. tr. 3. p. 3. cap. 3. num. 3.* Sed enim non satis videtur tutum, aulæ in urgenda monomachia erranti parere, cum collatio bonorum præferendorum & posthabendorum in isto negotio secundum ordinem charitatis nullo modo habeatur, nec qvicquam erronea aulæ opinio præjudicare possit *Legi divinæ*. Add. Wilh. Wendrock. *ad Ludov. Montalt. epistol. 14. sect. 3. §. 4.*

Si invasor concedat alteri licentiam dimicandi) Nego accipiendam esse conditionem, sed invasionem potius expectandam puto. Quæ si paretur, & invasor jam corpus petat, poterit impetitus per defensionem naturalem, vim propulsare, & aggressorem, si aliter periculum ab eo imminens evitare nequit, occidere.

Dein-

Deinde si Rex aut Magistratus) In hoc exemplo Rex utrumque reum in alterum justitiæ ministrum decernit, ut justam supplicii sententiam in ipsum exeqvatur, ei autem, qvi prævenerit, vita condonetur. Qvod num deceat principem, merito dubitat Grotius, cum non minus in hunc, quam in illum animadverti ex justitiæ ratione oporteat. Nec tamen magis consultum erit justitiæ, si, ut vult Grotius, sorti res committatur. Sortitio enim in ultimis suppliciis non facile admittenda est, nisi ubi integra universitas punienda fuerit. Ut vero inter paucos ejusdem criminis reos aliqui eximantur, aliqui vero pœnis afficiantur, non videtur justitiæ conveniens. Gerhard. *Loc. de magistrat. num.* 113.

§. 16. *At publicum tractum habet*) Publica autem offensio semper in hoste præsumitur & metuitur, etsi adhuc non sit in actu, imo ne quidem in potentia nocendi proxima. Justa ergo erit contra hostes defensio, non ea tantum, quæ adhibetur etiam non expectata offensione speciali, sed & ea, quæ hostem fugientem persequitur, propter violentiam scil. successivam, quæ etiam in hoste fugiente juste metuitur.

§. 17. *Et ab innoxia cautione*)

Non minus enim in publicis rebus, quam in privatis ad hanc potius, quam ad vim inferendam assuefaciendi sunt animi hominum. Quod si ad cautionem adigi alter nequit, non faciet improvide, qui metuit, si ad justum defensionis modum, exercitum conscribendo & castella muniendo, se componat. Finge, post naufragium duos in Insulam desertam ejectos fuisse, & alterum ab altero metuere. Poterit metuens cautionem ab altero exigere, ut suspectus in una parte Insulæ intra positos limites se contineat; qui si recuset hujusmodi conventionem, manifestum dat pravitatis suæ argumentum, & ille alter quocunque modo defensionis modum adornare poterit. Atque hinc defendi poterit lex militaris hodieque usitata, quæ occidi jubet eum, qui ignotus & a custodia pro suspecto habitus, cum stare jussus esset, nihilominus contra prohibitionem processerit. Qui enim tamdiu stare recusavit, donec probari possit, eum non esse adversarium, & hostem, is hostis judicatur. Robert. Sharrok. *de offic. cap.* 3. *num.* 9. 10.

§. 18. *Debet primum ei, quem læsit, offerre*) Sed quid si satisfactio offeratur tum demum, quando jam ad conflictum ventum est; & jam aliqui ciderunt ex numero ejus, qui justum bellum gerit, anne

ne hic oblatam ſatisfactionem acceptare & bello deſiſtere tenebitur? Non teneri ex juſtitia aſſerit poſt alios Laymannus *l. 2. tr. 3. c. 12. num. 6.* eo quod in bello vindicativo juſtitia requirat, ut totus exercitus, qui bellum juſtum gerenti injuſte ſe oppoſuerat, internecione pereat. Quod ſi factum non fuerit, non eſſe ſatisfactionem condignam. At enim tutius eſt ob dubium belli eventum ſatisfactionem acceptare, cum & juſtitia nondum victo & pœnitenti parcere jubeat, & iniquum ſit hoſtem non audire, ubi is nocere adhuc poteſt.

Bonam cauſam ab his ad illos tranſiiſſe) Juſta belli gerendi cauſa everti & contaminari poteſt injuſto fine & intentione. Dum enim, qui bellum indixit, contentus non eſt tantundem reponere vindictæ, quantum accepit injuriæ, neque id tantum quærit, ut pacem hoſti extorqueat, juſta exinde fit defenſio eorum, qui bellum promeriti fuerant, & injuſta ejus arma, qui ab initio bellum optimo jure intulit. Nec igitur probari poteſt, quod aſſerit Petrus Binsfeld. *ad c. 8. X. de injur. & damn. dat. concluſ.* 5. peccatum quidem committi, quando recta deeſt intentio, juſtum tamen eſſe bellum ex autoritate indicentis & legitima cauſa, nec propter defectum intentionis obligari belligerantem ad reſtitutionem & repa-

rationem damnorum. Non enim tum peccari contra leges justitiæ specialis, sed contra charitatis præceptum, & hujus transgressionem non inducere obligationem restituendi. Pessime hoc. Quidni enim, qui adversus charitatem delinquit, ad restitutionem teneatur? cum non minus injuriam faciat, quam qui adversus justitiam committit.

Caput II.

§. I.

Res corporales aut vacuæ sunt) At si istæ vere substant gener. suo, rerum scil. communium, ut partitur hic Grotius, certe non sunt vacuæ a proprietate. Quod enim communitatis est, id citra injuriam ab aliquo privato privative ad universitatem occupari nequit. Est enim utiq; res ita universitatis alicujus, ut pluribus quidem ea competat, sed pro indiviso, ita ut quisq; in quacunq; & quantacunq; parte suam habeat portionem.

Quod dominium JCti vocant) Ita quidem haud pauci. Sed sunt tamen, qui ea inter se distinguunt, imprimis propter *l.* 4. *Cod. de probat.* nec vero uniformiter omnes. Alii enim proprietatem jus ab usufructu sejunctum & separatum dicunt, dominium vero, si ei ususfructus conjun-

junctus fuerit, ut Parladorius *l. 1. rer. quotid. c. 4.* Petr. Costalius *ad l. 17. ff. quib. mod. usufr. am.* Alii per proprietatem intelligunt rem ipsam sub ista qualitate, qua ad me & non ad alium pertinet; per dominium vero intelligunt jus de re ista libere disponendi, quod veluti effectus ex proprietate causetur, ita ut dominium insit personæ, proprietas vero inesse potius videatur rei. Ita Johan. de Castillo *de usufr. c. 75. n. 37.* Joh. Robertus *l. 3. animadvers. c. 9.* qui addit, jus de re disponendi (quod dominium vocatur) non ex proprietate tantum, sed etiam ex alia causa competere. Alii, differre dominium & proprietatem, ut genus & speciem, quemadmodum Gœddæus *ad l. 25. de V. S. num. 7.* Alii, ut totum integrale & partem integrantem, quod vult Bachovius *in Treutl. vol. 2. disput. 20. thes. 1. lit. K.* Sed a plerisque tamen promiscue fere hæc vocabula usurpantur, nisi quod proprietatem ut plurimum dicamus tum, quando ad usumfructum habetur respectus. Vid. Franzk. *3. resol. 7. num. 48. seq.*

§. 2. ***DEUS humano generi generaliter contulit jus***) Sed quale jus? num usum tantum, exclusa omni proprietate, ut supponit Grotius *lib. de mar. lib. c. 5.* Sed commodior videtur sententia eorum, qui volunt, communionem non fuisse

homini primigeniam, sed proprietatem hujus universi a Creatore donatam Adamo. Fuit igitur vi hujus donationis Adamus dominus totius Orbis terrarum, quem ipsum etiam totum simul & semel possidere illico incepit. Nec enim opus est, ut qui fundum, (cujus instar terra se tum habuit) possidere velit, omnes glebas circumambulet, sed sufficit, quamlibet partem ejus fundi introire, dum mente & cogitatione hac sit, ut totum fundum usque ad terminum velit possidere, *l. 13. §. 1. ff. de acq. poss.* Consequitur, neminem, si quis alius præter Adamum fuisset, occupare hunc terrarum orbem citra injuriam potuisse. Nec liberi quidem Adami, quo tempore adhuc in sacris parentum fuerunt, quicquam de dominio eo participarunt, nisi quat. donatione, assignatione, aut quacunque cessione, jure veluti peculii aliquid ad ipsos ex liberalitate paterna pervenit.

Ac talis usus universalis juris) In consumptibilibus usus non potest esse sine proprietate, & impossibile est, esse jus in usu sine jure in proprietate. Usus enim non est licitus sine jure utendi. Jus autem utendi consumptibilibus est jus agendi in eorum substantiam, eam destruendi, destructam sibi appropriandi, atque in suum unius usum transferendi. Porro jus de-

stru-

ſtruendi & appropriandi ſubſtantiam non poteſt eſſe ſine jure dominii & proprietatis in ejus rei ſubſtantiam. Quicunque ergo licite rebus conſumptibilibus utitur, illud ut faciat jure dominii neceſſe eſt. Statuenda ergo ſaltem in his rebus ab initio aliqua proprietas. Nec poterit igitur Grotius tum hic, tum imprimis *c. 5. de mar. lib. p.* 14. ſimpliciter negare proprium, & uſum, qui eſt facti, pro dominio aliquo venditare, (cum & ſaniora doceat mox *p. 16. ejusd. lib.*) niſi forte ex parte Franciſcanorum ſtare, & cum eorum defenſore Nicolao III. Papa uſum ipſum a jure utendi & huic connexa proprietate ſeparabilem dicere velit. De qua re videantur porro Soto *de juſt. & jur. lib.* 4. *q.* 1. *n.* 1. Gregor. de Valent. *in* 2. *IIæ. diſp.* 5. *q.* 10. *punct.* 1. Bellarm. *l.* 4. *de Rom. Pontif. c.* 4.

Neque is ſtatus durare non potuit) Non potuit in ſtatu poſt lapſum, quippe qui utramque, quam hic ponit Grotius, conditionem reſpuit. Quin nec integritatis ſtatui convenientem eſſe communionem iſtam, eleganter deducit Danhauer. *Diſp. decalog.* 16. *§.* 2.

In quibusdam Americæ populis) Argumentari ab natione, quæ ferarum inſtar non Urbes & Oppida, ſed rupes &

& antra incolit, neque gregatim vitam degit, sed sparsim, ut Americanos describit Josephus a Costa *l. 1. de proc. Indor. salut. cap.* 4. est argumentari a brutis ad homines. Nec simplicitas hæc est, sed bestialitas.

Esseni) Quorum secessum non humanum, nedum Christianum, sed naturæ prorsus inimicum dicit Nicolaus Fullerus *miscell. sacr. l.* 4. *c.* 3.

Christiani, qui Hierosolymis primi extiterunt) Sed & horum status durare non potuit. *Notabile est*, inquit B. Chemnitius *part.* 2. *Locor. tit. de paupertate p.* 157. *institutum illud, licet bona intentione, nec impia opinione susceptum, quia non habebat verbum* DEI *& mandatum, non usque adeo feliciter cessisse. Illis enim, quæ in commune collata erant, cito consumptis, magna & periculosa egestate pressa est Ecclesia Hierosolymitana, ita, ut Paulo & aliis Apostolis valde multum exhiberetur negocii in colligendis eleemosynis in Ecclesiis aliis pro sustentatione pauperum sanctorum Hierosolymis. Et hoc exemplo admoniti postea nec instituerunt, nec consuluerunt talem communionem inter gentes, imo ne in Judæa quidem.*

Qui vitam degunt asceticam) Sed nisi proprietas rerum alibi supponatur vel ad ipsum totum cœnobium spectans, vel

vel ad alios homines, qui mendicantibus fratribus liberalitate sua subvenire possint, facile in nihilum redigetur eorum communio.

Ignoratio magis vitiorum, quam cognitio virtutis) Falsum hoc est. Intellectus enim primi hominis excellente DEI & rerum divinarum notitia, nec non plena, recta & clara aliarum rerum scientia ornatus, adeoque sapientiæ DEI conformis fuit. Novit igitur ante esum pomi Adamus & bonum & malum; bonum & theoretice & practice. Malum vero tantum theoretice, dum scil. quid esset inobedientia, & quid mors, DEO monente, didicerat.

Ἀυϑαρσία) Hoc vocabulum rectius exponitur per incorruptibilitatem & immortalitatem, nunquam, quod sciam, per simplicitatem.

Ἁπλότης) Si hæc vafræ calliditati opponitur, ut recte vult Grotius, non simplicem significabit ignorantiam, sed ignorantiam sapientiæ carnalis. Et frustra est Petrus Picherellus *in cap. 3. Genes.* qui perinde ut Grotius ex nuditate Protoplastorum colligit, eos tam simplices, incautos, & idiotas, id est, ut explicat ipse, non ingeniosos & non intelligentes fuisse, ut nuditatis suæ non

pu-

puderet; fuisse ut infantes & pueros, qui inter bonum & malum non discernerent, nec discernere appeterent. Distinguere debuisset uterque nuditatem, quæ est sanctitatis & innocentiæ, ab ea, quæ est miseriæ & turpitudinis. Ob illam non erubescebant primi homines, h. e. non ducebant se dignos pudore, quia nulla causa pudoris aderat. Post lapsum autem agnoscebant se nudos nuditate miseriæ & turpitudinis, seu confusionis. Nam ea nuditas non erat tantum partium corporis quarundam externa obscœnitas, sed etiam animæ impuritas, propter quam maxime pudefiebant. Et nuditatis animadversio erat experimentalis notitia pravæ concupiscentiæ in membris eorum se exerentis.

Cujus symbolum arbor vitæ) Quid sibi hic velit Grotius, non satis capio. Sunt etiam alii nonnulli, qui arborem vitæ dictam volunt non ab efficientia aliqua vitæ & vigoris, sed a mystica significatione, ut vitæ tum a DEO acceptæ, tum etiam cœlestis futuræ sacramentum esset & signum. Quod posterius ut non exagitamus, ita non probamus, quod nullam prorsus vigoris efficientiam concedere velint, cum tamen fructus ejus panaceæ instar corpus hominis in perpetua sanitate conservare, & vitam in multa secula prorogare apti nati fuerint.

Ar-

Arbor scientiæ boni & mali) Arborem hanc artium variarum symbolum fuisse fluxit ex doctrina, quæ primum hominem prorsus inertem & ad omnia rudem facit, quam ipsam notavimus supra. Nos dicimus, arborem scientiæ boni & mali habuisse nomen ante lapsum, a scopo & usu divinitus constituto, ut videlicet cognosceret homo integritatis suæ bonum; post lapsum vero ab eventu non simpliciter, sed ab eventu, qui determinatus est lapsuris, quatenus scil. experimento deinceps cognovit homo, quid differret obedientiæ bonum ab inobedientiæ malo.

DEUS creavit hominem rectum) Rectitudini Salomon non opponit scientiam, sed studia prava & perversa. Rectitudo igitur hominis sita fuit tum in illustratione mentis de rebus divinis, ut & naturalibus ad servitium hominis conditis, tum in justitia & sanctitate voluntatis & appetituum. Cum Socinianis autem uti passim, ita & hic facit Grotius, justitiam originalem negantibus, & simplicitatem instar infantis homini tribuentibus. Vid. Smalz. *de nat. DEI cap. 7. pag. 60.*

Pro ferina illa vita successit cupido voluptatis) Non putandum est,

eſt, in vitiis fuiſſe ſucceſſionem aliquam, ita ut primi homines poſt lapſum quibusdam caruerint; ſed imo poſt lapſum illico hominem inceſſit habitualis malitia & omnium virium deformitas, per quam ambulare cœpit ſecundum ſeculum hujus mundi, in carnalibus deliciis pravarum concupiſcentiarum; nec ullum deinceps fingi poterat vitium, quod non cuperet homo lapſus.

Sed pacto qvodam aut expreſſo) Diviſionem poſt diluvium factam fuiſſe certum eſt. Quod ſi quæ in diviſionem non venerunt, eorum manſiſſe pariter univerſos tum temporis viventes pro indiviso dominos veriſimile eſt. Ut ergo deinceps occupatio locum haberet, videtur tacita quædam renunciatio juris competentis, aut pactum vel conventio quædam interceſſiſſe, quibus id actum, ut quæ in diviſionem non veniſſent, velut pro derelictis haberentur, & occupantis impoſterum fierent. Concedimus, dominium & proprietatem non acquiri ex iſta conventione & tacita renunciatione, ſed ex facto potius occupationis, quemadmodum & in diviſione, quæ fit per judicem, non ex ſententia judicis, ſed ex ipsa poteſtate adjudicationis dominium acquiri, notant Dd. *ad §. ult. J. de Off. Judic.* Sed ſimul tamen aſſerimus, occupatio-

pationem non esse legitimum acquisitionis titulum, nec quenquam dominii sui securum esse posse, nisi tale supponamus pactum tacitum.

§. 3. *Est enim tanta maris magnitudo*) Si tanta, ut omnibus populis sufficiat, quid obstat, quo minus dividi possit? Illæ enim res demum sui communionem suadent, quæ divisæ nemini sociorum sufficere possunt. Sic & terræ tanta est magnitudo, ut ad quemvis usum omnibus populis sufficiat, num idcirco dividi ea non debet, aut num impedimento hoc est, ut ab uno aliquo occupari ea tota non possit? Quin candela mea tanti est splendoris, ut pluribus ea sufficere, & ex qua aliæ etiam accendi possint, num propter sufficientiam istam candela hæc indigne mea est? Absurdum igitur, quod putat Grotius, inexhaustam rei abundantiam proprietati repugnare. Nec vero ad quemvis usum omnibus populis sufficit mare, quin minuitur istud & deterius redditur haud raro, in iis præsertim locis, ubi uniones, corallium, & ejusmodi alia inveniuntur. Istiusmodi enim maria haud aliter ac argentifodinæ suos ferunt fructus, qui cum sufficere omnibus nequeant, quidni in illis saltem quærere aliquod dominium liceat?

Idem dicendum esset de aere) Non videtur dicendum; Possum enim jure servitutis mihi constitutæ prohibere, ne ædes altius tollas, ne luminibus officias, quod quid aliud est, quam quod aerem ædibus meis conterminum liberum mihi esse etiam extra terræ usum velim?

Liquida vero, quia per se non terminantur) Ergo vinum, aut lac meum esse nequit, nisi quat. est in vitro aut vase? At quid continens hoc facit ad naturam contenti? cum & in alieno vitro vinum esse possit meum.

Mare vero terra non continetur) Quippini? cum ubique habeantur litora. Est autem litus, quousque, qua, aut quatenus maximus fluctus a mari pervenit, *l. 96. l. 112. ff. de V. S.* §. 3. *J. de R. D.* Istud *quousque, qua,* aut *quatenus*, terminum notat, ubi mare sistitur. Ergo litora sunt termini alieni, in quibus continetur mare. Et terra est veluti magnus aliquis alveus, qui continet mare. Vid. Seldenus *in mar. clauf. l. 1. c. 22.*

Aut terra majus) Superficiem aquæ majorem esse superficie terræ, nondum satis constat, præsertim quod plurimæ adhuc incognitæ sint regiones. Sed molem aquæ

aquæ multo minorem esse, quam terræ, certum est. Vid. Joh. Bapt. Ricciolus *in Almagest. nov. tom.* 1. *part.* 1. *l.* 2. *cap.* 14.

Ea non jam divisione, sed occupatione) Bene quod occupatione. Admittit ergo Grotius, occupatione saltem proprium fieri posse mare.

§. 4. *Quodsi quid universim occupatum*) Ita solebant Romani agros ab hostibus captos aut totos publicare, *l.*20.*§.*1.*ff. de captiv. & postlim.* aut victori populo & veteranis assignare, *l.* 11. *de evict. l.* 15.*§.*2.*ff. de R.V.* aut vendere, *l.*16.*ff. de A.R.D.* aut etiam certis conditionibus pristino possessori relinquere. Vid. Donell. *lib.*4. *cap.*27. Oetinger. *de jur. & controvers. limit. lib.* 1. *cap.* 10. *lit. f.*

§. 5. *Et capiendo acquirere*) Impediri lege potest, ne feræ, pisces, aves capiantur, sed ut capiendo non acquirantur, impedire nequit Lex civilis. Stare enim potest jus prohibendi cum acquisitione ipsa, quat. scilicet, qui feram aut avem capit, suam eam facit jure gentium. Et licet quis arcere possit aliquem, ne fundum suum venandi causa ingrediatur, *§.*12.*J. de R.D. l.*5.*§.*3. *ff. de A. R. D.* ingressum etiam actione injuriarum convenire, *l.* 13. *in f. de injur.* ca-

P 2 ptam

ptam tamen bestiam aut avem vindicare nequit. Et quamvis fera ita contra legem aut prohibitionem capta jubeatur capienti auferri, id tamen non ideo fit, quia capientis facta non est, sed quasi ab indigno & pœnæ causa, eadem plane ratione, qua laquei, jacula & alia instrumenta venatoria hujusmodi hominibus adimuntur. Arnold. Vinnius *in §. 12. J. de R. D.* Diversæ enim sunt quæstiones, utrum aliquis acquirat capiendo, & utrum liceat hoc acquirendi modo uti. In prima quæstione nihil potest Majestas. Quemadmodum enim facere nequit, ut alicujus sint, quæ nullius sunt, aut ut possideantur, quæ non possidentur, *l. 3. §. 14. de acq. poss.* ita nec prohibere potest acquisitionem, & facere, ut quæ acquisita jam sunt, non sint acquisita. In secunda vero liberum est Principis Imperium.

Atque hac lege teneri etiam exteros) Id de piscatione maritima antea negaverat Grotius *de mar. lib. c. 5. p.* 28.

§. 6. *In gravissima necessitate*) Moralistæ distinguunt inter necessitatem gravem seu magnam, & extremam, ita ut hæc demum, non illa jus det, rem alienam sibi propria autoritate sumendi, Laymannus *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. n.* 8. Sunt tamen alii, qui probabile esse dicunt, non solum in extrema,

ma, sed etiam in gravi necessitate morbi, famis, nuditatis, posse aliquem clanculum surripere ab opulentis, si aliter grave illud malum avertere nequeat. Lessius *lib.* 2. *c.* 12. *n.* 12. Ant. Escobar. *tr.* 3. *exam.* 9 *n.* 29. Cæterum posita priore sententia, ut æquiore, quanta esse debeat illa extremitas, non videtur expeditum. Aut enim in extrema necessitate constitutus, robusto adhuc valet corpore, aut infirmus decumbit. Si hoc, physice impeditur rem auferre alienam. Si illud, impeditur moraliter, cum nulla tanta famis necessitas sit, quin possit vel labore vel emigratione & mutatione soli aut levari aut evitari. Et dispiciendum porro est, utrum talis homo culpa sua in ejusmodi extrema inciderit, quem utique, si justo DEI judicio affligatur, nolim ego violento hoc sibi remedio mederi; an vero nulla sua culpa, quale quid etiam piis haud raro contingere solet, sed qui tamen facile meminisse poterunt dicti Salvatoris *Matth. IV.* 4. Nec vero etiamsi Grotii hypothesis admittatur, satis tutum est, eam exponere, & in vulgus notam facere, cum ex ea quamplurimæ invasiones patrocinium sibi petituræ sint, nec facile unquam extrema illa necessitas satis probari nequeat.

Ac proinde & in lege dominii) Divisio dominiorum jure naturæ nititur,

non legibus humanis. Quorſum enim præceptum de non-furando, quod naturale & morale eſt, ſi hominis animalis ſtatui naturaliter non competeret proprietas? Vid. Danhauer *diſp. Decalog.* 16. §. 2.

Quod quisque habet, in commune) Sed ideo ſingulis indulgendum non eſt, ut ſuo arbitratu auferant, quod ſibi deeſt, aliis ſuperat.

Vicini ædificium orto incendio) Non jure dominii, ſed jure defenſionis rerum mearum, dum tamen vicini domus omnino erat combuſtura. *l.* 49. §. 1. *ff. ad L. Aquil. l.* 7. §. 4. *ff. quod vi aut clam.* Berlich. *part.* 4. *concl.* 25. *n.* 125.

Eum furtum non committere) Ita & Antonius Perez *Cod. de furt. num.* 10. Franzk. 2. *reſol.* 7. *n.* 33. Sed verius videtur, revera committi furtum, cum nulla hac in parte legis inveniatur diſpenſatio. Nec eſt, quod fraude talem & lucrifaciendi animo carere dicas. Non enim abeſſe poteſt dolus, ubi quis invito domino, nec prævio Magiſtratus decreto, rem alterius contrectat, quem ſane neceſſitatis prætextus purgare nequit, cum nulla tanta viro bono vis inferri poſſit, ut ſciens turpitudine aliqua ſe contaminet, nec tam prohibitum eſt lege, mori

mori fame, quam prohibitum est furari. Lucri autem probatio est in promptu, cum ipsum illum cibum ab eo lucrifieri certum sit. Vid. Anton. Matthæus *de crimin. tit. de furt. c. 1. n. 7.* Tabor. *in racemat. criminalib. pag. 112. seq. & 547. seq.*

Cum benigna quadam receptione primitivi juris) Intelligit communionem primævam ante jactatam, quam nos negavimus, quod primo homini illico post creationem totus hic terrarum Orbis donatus, & in dominium traditus fuerit, ut supra exposuimus.

Respondissent quod dicimus) Posita Grotii hypothesi, forte non respondissent, quod dicit Grotius. Sed id potius, quod petenti egeno ex justitia teneatur rei dominus rem suam communicare.

§. 7. *Possit precibus obtineri*) Quidopus est precibus, si ex hypothesi Grotiana jus primitivum redit? Sed enim benignior hic est Grotius, quam alii Moralistæ, qui statuunt, contrectantem res alienas tempore necessitatis jure suo uti, & hinc Dominum teneri consentire; quod si consentire nolit, & prohibeat contrectantem, posse hunc contrectationem suam ita tueri, quasi ab alio injuste invadatur. Imo, si

necesse sit, posse eum dominum rei, servato justo defensionis moderamine, occidere. Dicastillo *l.2. de just. & jur. tr. 2. disp. 9. dub. 9. num. 251. 252.*

§. 9. *Faciendam restitutionem*) At si reviviscit jus pristinum rebus utendi & sibi applicandi, si furtum non committitur, si benigne jus primitivum recipiendum est, quod supra asseruit Grotius, male injungitur restitutio. Hoc ergo dum bene asserit Grotius, quid de superioribus illis statuendum sit, nemo non videt. Add. Joh. Bapt. Costa *remed. 106. illat. 7.*

§. 10. *Hinc colligere est*) Liceat interim Grotio ex principiis suis speculative ita decidere, (quanquam id juri naturæ & proprietati rerum non videatur conveniens) sed in praxi tamen locum id vix inveniet, cum nec coerceri satis præsidiariorum possit petulantia, & cavere insuper oporteat, ne de domino illius loci ulla hostibus oriatur collusionis suspicio, neve exhinc periculum illi arcessatur, cum non possit non suspectum id esse negocium.

Ceperunt transeuntes) Potest Princeps naves prætereuntes ad aliquod temporis spacium cogere, ut suis usibus inserviant, non quidem jure communionis reviviscentis, sed jure ipsius imperii, dum ta-

tamen id fiat sine gravi vectorum damno. Quia enim liberum ipsis & a piratis vacuum præstat mare, non injustum erit, si pro certa mercede naves suas locare interim cogantur, dum vel hostem profligaverit, vel quid aliud, quod publicitus interest, perfecerit.

§. 12. *Commune mansit*) Unum idemque diverso respectu commune dici potest & publicum. Ita flumen, quat. ex illo haurimus aquam, recte potest dici commune, & idem tamen publicum etiam est, quatenus in eo navigamus, aut piscamur. Bachov. *in Treutl. vol. 2. disp. 20. th. 1. lit. E.* Facit igitur usus, ut diversimode de rebus judicandum sit. Alias autem certum est, intricate sæpe & perplexe de distinctione rerum communium & publicarum loqui JCtos.

§. 13. *Sic & terræ & flumina*) Imo vero ex justa causa negari potest transitus. Etsi enim quo minus gens quæque cum quavis gente seposita commercium colat, impedire non possit, impediri tamen potest transitus, si mea intersit, commercium per ditionem meam non fieri. Et quanquam aliter forte commercium exercere nequeas, non idcirco tamen propter tuum incommodum jus in meo meum tollitur. Quod enim de communi usu viarum & libertate transeundi objiciunt nonnulli, id semper ita temperandum est, ut Reip. causa potior habeatur. Plu-

rimæ autem possunt esse causæ, propter quas transitus merito denegatur, præsertim exercitui. Ita contingere potest, ut alter ille, adversus quem bellum geritur, occurrat transeunti in regione intermedia, & sic belli sedes in ea figatur: potest evenire, ut transeuntium consuetudine mores civium corrumpantur, & ejusmodi alia, per quæ communi bono metuendum sit.

Bellum intulit Emorræo) Gerhardus *in Loc. de Magistrat. n.* 411. ex alio capite justitiam ipsius belli deducit, nempe ex eo, quod Rex Amorrhæorum ipse e finibus suis cum exercitu egressus fuisset, & Israelitis injuriam intulisset.

Sed si negetur) sc. sine ratione justa & per injuriam meram. Hanc enim limitationem nisi addamus, injusta erit vindicatio transitus.

Jus enim meum metu tuo) Quale vero hoc est jus eundi per alienum Principe invito? cum nec per privatum ire possis fundum invito domino, nisi constituta servitute. Et quemadmodum minuitur libertas prædii mei, sive jure servitutis tu per id eas, ambules, sive de facto, ita & minuitur libertas territorii, quod universalitas est agrorum, sicubi tu inconsulto aut invito Principe propria autoritate transiveris. Sed posito

fito, esset ibi jus, multum tamen istud limitatur, si meæ inde securitati metuam, præsertim quando cum armis transire velis. Servile enim hoc est, & libero quovis homine indignum, ab altero ad injurias nudari, & inevitabili necessitate cogi, ut metuat. Et quas Grotius hic rationes cavendi addit, ex iis evincitur, quamdiu ita cautum non fuerit, justum esse penes me metum, & ex eo jus tuum hactenus impediri. Add. Selden. *mar. clauf. l. 1. c. 20.* Sic etiam inter privatos jus tibi esse poterit per fundum & prædium Urbanum Titii, eundi, ambulandi; si tamen tu frequenter iveris cum flammis & faculis, ut metus sit, ne damnum inferatur prædio Titii, jus quidem tuum metu Titii non tolletur, sed poterit tamen Titius prohibere, ne ita eas cum flammis & faculis, & tum tollitur jus taliter eundi.

Nam quominus gens quæq; cum quavis gente) nisi alicui populo cum gente ista seposita conventum fuerit, ut certi generis fructus sibi soli vendat, quem casum examinat Grotius §. *ult. hujus capitis.* tum enim vi hujus pacti impeditur gens ista seposita cum alio commercium colere. Et proinde uti jus est cuique paciscendi, ita per pactum commercium impediendi quoque jus erit.

§. 14.

§. 14. *Sic nec capitatio*) Intelligitur hic ea, qua capita & personæ singulæ censentur, quomodo in Syriis olim a quatuordecim annis masculi, aut duodecim fœminæ usq; ad sexagesimum quintum annum tributo capitis obligabantur. *l. 3. ff. de censib.* Alias vero capitatio id etiam dicebatur tributum, quod pro modo agrorum pendebatur, *l. 9. C. de act. emp.* sc. a numero capitum, quibus agri coluntur, *l. 2. C. de immun. nem. conced. lib. X.* quemadmodum a numero jugorum dicebatur jugatio, *l. 9. C. de agricol. & cens. l. XI.* Ant. Perez *in Cod. de Capitat. civ.* Lipsius *in l. 1. ann. Tac. p. m. 48. 49.*

Ad ea compensanda vectigal aliquod) Ut maxime igitur liberrimus sit usus commerciorum, viarum publicarum, fluminum, maris & portuum; naturali tamen æquitati & hoc consentaneum est, ut ne cui officium suum sit damnosum. Recte a. addit Grotius, modum non esse excedendum, quo facit Constitutio Caroli M. *in Capitul. quod sub Lotharii nomine circumfertur.* Conf. Petr. Gregor. *Syntagm. jur. lib. 4. cap. 9. num. 7. in fin.*

Equorum & neti) i. e. mercium confectarum & netarum, ut byssi, & aliarum, quæ ibi parabantur. Vid. Jun. & Tremell. *ad 1. Reg. X, 28.*

Ad vitandum Maleæ flexum) Eſt promontorium in Peloponneſo e regione Cretæ, quod adverſis ventorum flatibus navigationem reddit periculoſam.

Ut æquus modus non ſervetur) Animoſe & ſatis acerbe vitium hoc ſeculi perſtringit Eraſmus *chiliad.* 1. *cent.* 9. *adag.*12.

§. 15. *Dixit Pomponius*) *in l.* 50. *ff. de A. R. D.* qui textus litus a populo occupatum, ejusq; proprium factum haud obſcure probat. Quid enim alias Prætori, ejusq; decreto cum re toti humano generi communi? Vid. Franc. Stypmann. *de jure maritim. l.*2. *c.*4. *n.*184. Hug. Donell. 4. *comm.* 9. Omnino enim hic facio cum acutiſſimo Johanne Strauchio, cujus favorem & amicitiam impenſe ſemper colui, & occupata fuiſſe olim & occupari adhuc poſſe & mare & litora, cum quod privato licet per inædificationem, *l.* 10. *ff. de R. D.* abſurde populo denegetur. Litus ergo commune eſt, quoad uſum tamdiu, quam is, qui imperium illius maris poſſidet, permittit. Ut autem cuivis peregre advenienti acceſſum permittat, non erit ex commodo Reip. ſi præſertim ille integram ſecum claſſem armis virisq; probe inſtructam advexerit. Quam periculoſe enim hic erratum ſæpe ſit, frequentiſſimæ & ſupe-

ſuperioris & hujus ſeculi docuerunt invaſiones navales.

§. 16. *Sed & perpetua habitatio)* Adde hic, dum nec diſſentientes fuerint in religione. Ut enim Judæis, Mahumedanis & Gentilibus jus civitatis detur, forte non eſt ex bono Reip. Quod ſi autem recepti illi jam fuerint, & quiete per longum aliquod tempus egerint, dum tamen alias cautum fuerit civitati, expelli forte citra injuriam & maximam boni publici concuſſionem nequeunt. Quo argumento Rerum politicarum Commentatores peccaſſe ajunt tum Ferdinandum Hiſp. Regem, quod octingenta millia Judæorum Regno ſuo ejecerit, tum ipſum etiam Philippum III. quod Maurorum nongenta millia abire per edictum ſuum fecerit. Hinc enim factum, ut plurimæ Hiſpaniarum provinciæ inopia incolarum jam ante laborantes tantum non totæ exhaurirentur. Add. Chriſtoph. Forſtner. *not. polit. ad l. XI. ann. Tacit. p. m.* 64. Dav. Mevius *ad Jus Lubecenſ. l.* 1. *tit.* 2. *a.* 2. *n.* 61. *ſeqq.* ubi in recipiendo cive diligentem originis, vitæ, morum & fortunæ inquiſitionem præcedere debere monet.

§. 17. *Quia occupatum cenſeri)* Rationem hanc claudicare, belli Germanici docuit calamitas & quotidiana experientia.

entia. Quin si imperium populo veteri salvum manet, interest certe, ne ipsi invito civis agnascatur. Dum ergo ejus requiritur consensus, non tam occupatio, quam assignatio locum habebit.

§. 19. *Ad hæc igitur æquo pretio comparanda*) Ita ut qui rem exposuit venalem, quæ ad victum & vestitum hominis faciat, cogi possit, ut vendat. Didac. Covarruv. *tom.* 2.*resol.l.*3. *c.*14. *n.*1. Mozzius *de empt. tit. de reb: quæ emi & vend. poss. n.* 58. Sig. Scaccia *de sentent. gloss.* 14. *quæst.* 29. *n.* 32. Sed ut cuivis licitanti vendat, forte cogi non potest, qua ratione nec injuriarum tenetur. Carpz. *l.*1.*Respons.*58.*n.*14. nec cogi possunt subditi, ut nobilibus suis prius offerant, quam extraneis vendant, nisi ita consuetudine receptum aut conventione firmatum fuerit. Carpz. *l.*6. *resp.* 103. Rauchb. *p.*2.*quæst.*22. Berlich. *p.*2.*concl.*39. *n.*39.40.41. Rheinking. *de retract. q.*3. *n.*121. Videtur autem hic Grotius libertatem commerciorum ita adstruere, ut nemo prohiberi queat, qui negociandi causa advenerit, quam sententiam etiam tuetur Franciscus a Victoria *relect.* 5. *sect.* 3. *prop.* 2. Sed contrarium statuit Ludovicus Molina *de just. & jur. tr.* 2. *disp.* 145. de qua re mox plenius. Quanquam vero commercia eum inprimis finem habeant, ut alterius indigentiæ succurratur; nemo tamen, qui indiget,

jus

jus exigendi inde accipit. Possunt etiam prohibere Principes & limitare commercia pro ratione copiæ aut inopiæ, damni aut incommodi in Remp. redundantis.

Quomodo in summa penuria) Sic & prohibere potest Magistratus ad vitandam annonæ caritatem, ne quis ultra proprium usum frumentum emat, ut id lucri causa revendat. Gomez *tom.* 2. *resol. cap.* 2. *num. ult.*

§. 20. *Cuilibet liberum est statuere)* Regulariter nemo invitus emere tenetur, *l.* 16. *C. de jur. delib.* Magistratus tamen pro evitanda caristia mandare subditis potest, ut in tempore frumentum & alias res necessarias etiam in locis remotis emant. Joh. Köppen *decis.* 59. *num.* 18.

§. 21. *Sed de iis, quæ justa sunt)* Nuptiæ aliæ dicuntur justæ, aliæ injustæ. Sic & uxor alia justa, alia injusta. Petr. Perrenon. *l.* 1. *V. L. c.* 9. Justæ autem dicuntur i. e. legitimæ, quæ secundum jura civitatis contrahuntur, quomodo apud Romanos non erant justæ nuptiæ inter peregrinum & civem Romanam. Cumque alias eorum jure partus sequeretur ventrem, ex peregrino tamen & cive Romana natus pro peregrino habebatur. Ulpianus *tit.* 5. §. 8.

§. 22.

§. 22. *Uni populo id negari non potest*) Si licitanti uni privato citra injuriam negari potest a venditore merces, quod nuper *ad §.* 19. notavimus, quidni liceat id integro populo? Utut enim rem suam vendere quis destinavit, non tamen destinavit vendere præcise huic vel illi aut primo licitanti. præsertim quando ex parte emptoris nulla datur pecunia parata, sed fidem ejus sequi oportet venditorem. Pari modo licet privato prohibere, ne filia sua nubat Titio, *l. 63. l. 64. ff. de condit. & demonstr.* Ex quo colligunt Dd. licere etiam prohibere, ne nubat Doctori, aut Mercatori, Galganet. *de condit. p. 1. c. 10. n. 6.* quanquam, ut omnino non nubat, prohibere cum effectu integrum non sit, *l. 22. l. 62. §. ult. l. 72. §. 5. ff. de cond. & dem. l. 65. §. 1. ad SCt. Trebell.* Privato igitur quod licet, cur integræ nationi non liceat, causæ nihil video. Neque enim id juri naturæ adversatur, cum naturæ generica sufficiat provisio, nec ad speciem ea facile descendat. jus gentium autem, quin & ipsum jus naturæ, per jus civile positivum limitari posse axioma est quotidianum.

§. 23. *Atque ita arbitramur conciliari posse*) Franciscus a Victoria *relect. 5. sect. 3.* agit de legitimis & idoneis titulis, quibus adducti Hispani Indos debellare potuerint.

tuerint. Primum titulum facit naturalem ſocietatem & communicationem, circa quam iſtas decernit propoſitiones. 1. Hiſpanos habere jus peregrinandi in illas provincias & illic degendi, ſine tamen aliquo nocumento barbarorum, nec poſſe ab illis prohiberi. 2. licere Hiſpanis negociari apud illos, nec vel hos vel illos a Principibus ſuis poſſe prohiberi. 3. Si quæ ſint apud Barbaros communia tam civibus quam hoſpitibus, non licere barbaris prohibere Hiſpanos a communicatione & participatione illorum, e. g. ſi licet aliis peregrinis effodere aurum, etiam Hiſpanis licere. 4. Si ex aliquo Hiſpano naſcantur ibi liberi, & velint eſſe cives, non videri, quod posſint prohiberi vel a civitate vel commodis aliorum civium, &c. E contrario Ludovicus Molina nullam gentem ſeu Rempublicam teneri vult ſive cum periculo ſui, ſive ſine periculo, commercia aut hoſpites exteros admittere, niſi gravi imminente necesſitate aut fœdere, aliove jure ſingulari interveniente. Has lites num compoſuerit Grotius ſua iſta diſtinctione permiſſorum, judicet benivolus Lector. Mihi id non videtur.

§. 24. *Licere cenſeo, ſi is qui emit, &c*) breviter, ſi pactum iſtud ad vitioſum non declinet monopolium. Præter æquum precium enim requiritur etiam, ut ne

ne protritas & corruptas quis protrudat merces, quod solenne alias est illis, qui soli in civitate negotiationibus dant operam. Nec tamen principia Grotii hactenus posita pactum tale admittunt, quandoquidem populus venditor vi pacti conventi excludere debet populos alios omnes, illisque in universum omne commercium circa istos fructus denegare. Sed hoc pugnat cum commerciorum libertate, quam hactenus asseruit Grotius.

CAPUT III.

§. 1.

N*Unc per occupationem tantum*) Imo & per divisionem, quat. sc. novæ possunt occupari terræ, & singulis eæ deinceps dividi per assignationem. Etsi enim divisio ista ab occupatione prævia dependere videatur, quatenus dominium jam occupatum in singulos transfertur; est tamen ea saltem istorum singulorum & dominii privati respectu modus originarius.

§. 2. *Nam virtute ipsa*) Non formaliter quidem, sed radicaliter & causative, quatenus scilicet, qui dominium habet, jus habet alienandi, alias vero nemini res sua servit, nemo in re propria potest habere hypothecam.

§. 3. *Infra apparebit*) *Cap.* 8. §. 18. & 19. ubi plenius de ſpecificatione, quæ hic innuitur, agetur.

§. 4. *Duo ſunt occupabilia, imperium & dominium*) Quomodo imperium hodie jure occupari queat, non ſatis apparet, niſi forte de eo caſu loquatur Grotius, quando quis novam ducens coloniam civibus ſuis haud invitis imperare incipit.

Manente penes quem fuit imperio) Imo ex principiis Grotii etiam dominio aliquo ſcilicet eminente, ſed quod, ſi penitius examinetur, licentioris Politicæ videtur eſſe commentum.

§. 5. *Sed eſſe jus civile plurium Gentium*) Domeſticum hoc jus gentium eleganter vocat Seldenus *de mar. clauſ. l.* 1. *c.* 3. propter obligationem ſcil. qua tenentur, tantum domeſticam, atque ſibi ſingulis, ſine obligationis communione civilem.

§. 6. Num infans & furioſus revera & naturali jure dominium rerum ſuarum habeant, decidendum venit ex definitione dominii. Grotio videtur dominium dici jus de re corporea libere diſponendi, cum Bartolo *in l.* 17. §. 1. *ff. de acquir. poſſ. num.* 4. Coraſio *l.* 6.

mi-

miscell. cap. 20. Wesenbec. *parat. de A. R. D. n.* 3. & aliis, ita scil. ut ille demum revera dominus sit, qui jus habet re sua utendi, abutendi & alienandi, nisi lege prohibeatur. At vero disponere ita de re sua sive libere sive minus libere, ea uti item & abuti, eam alienare & vindicare, omnia hæc ad effectum dominii pertinent, non vero ad ipsius formam, & sequeretur alias, quod qui disponere possint de re aliqua, & eam alienare, ut procuratores, tutores, administratores, veri censendi forent domini. Ideoque rectius videtur definiri dominium, quod sit jus constitutum in re corporali, quo res propria est. Sic igitur infantes & furiosi dominium rerum suarum revera & in actu secundo habent, etsi effectibus quibusdam non lege tantum, sed & natura prohibeantur.

§. 8. *Ad hoc exemplum*) Non ad hoc tantum exemplum, sed simpliciter & absolute mare occupari potest, quousque populus vult & decernit. Et ut maxime termini aliqui in ipso mari non inveniantur, possunt tamen illi ex cœlo & ejus circulis definiri, qui non magis fallere possunt, quam limites alii in terra aut insulæ & promontoria ad mare. Qua ratione pactum etiam iniri potest, ut non liceat alteri populo ultra lineam æquinoctialem, tropicum cancri, aut capricorni, navigationes instituere. Add. Selden *lib.* 1. *de mar. clauf. cap.* 22.

§. 9. *Ne mare a populis occuparetur*) Non fuit id juris gentium præceptivi; commune enim fuit relictum mare, non ideo, quod injustum esset mare occupare, sed quod populi non fuerint ea potentia, & illo navigandi usu instructi, ut potuerint occupare id, quod juste occupare licuit.

Etiam quod jus piscandi attinet) facit huc *l.2. §. 9. ff. ne quid in loc. publ.* item *l.13. §. 7. ff. de injur.*

Sed de litoribus) Diximus nonnulla ad cap. anteced. §. 15. Videndus omnino est JCtus solidus Joh. Strauch. *elegant. differt. de imp. mar. c.* 3. Sane tam diversæ JCtorum Romanorum circumferuntur sententiæ, ut hodie, qui maritima tuentur commercia, Scriptores, pro cujusque populi commodis easdem interpretentur.

§. 10. *Quod si privatorum fundis*) Colligo ex verbis Grotii, mare jure accessionis cedere fundo, quod etsi Grotius de mari incluso afferat, JCti tamen de quovis mari adjacente intellectum volunt, dominum scil. vicinæ continentis maris alluentis imperium habere *per l. 9. de judic.* Sed quousque istud accessionis jus sit extendendum, multum variant, aliis in quantum telum ab arcu

arcu mitti possit, aliis unde vox clamantis exaudiri queat, aliis ad sexaginta, aliis ad centum usque milliaria id definientibus.

§. 11. *Verum notandum etiam*) At si mare inclusum jure accessionis ad fundum pertinet, quod velle Grotium nuper diximus, haud magis ad occupationem ejus actu aliquo singulari externo opus erit, quam ad occupationem horti prædio accedentis, quin sequitur potius ex sola occupatione fundi præsumpta occupatio maris inclusi. Eadem est ratio maris adjacentis, quanquam de finibus ejus nihil adhuc definitum sit, quippe quorum determinatio arbitrio cujusque populi deinceps videtur committenda.

§. 12. *Illud certum est*) Neque hoc neque illud certum esse diximus *ad §. 13. cap. praced.*

§. 13. *Ut autem solum imperium*) Non arbitror rerum aliquod imperium haberi posse, nisi fundamenti loco supposueris dominium, aut saltem dominii capax subjectum passivum. Nec refragatur, quod dominium rerum ab imperio esse possit separatum. Manet enim nihilominus, quod res ista sit, aut esse possit sub alicujus

dominio, ex quo ſcil. pati poſſit imperium. Res ſacræ autem, & ſi quæ aliæ dominium humanum reſpuunt, ex ſingulari Dei conceſſione & juſſu, imperio Principis ſubjectæ videntur.

Videtur autem imperium in maris portionem) At ſupra §.4. non dixit, imperium in terræ portionem ratione exercitus in iſta portione exiſtentis comparari, ſed hoc tantum, imperii ſubjectum primarium eſſe perſonas. Nec propterea quod quis in perſonas imperium habet, etiam in terræ aut maris portionem, in qua illæ inveniuntur, imperium accipit.

§.15. *Sed hæc non docent*) Quidni aliquando? præſertim ubi populus aliquis ſoli ſibi jus navigandi retinet. Privatim ſine alio uti frui ex nullius conceſſione & ad arbitrium, impedire alios jure & arcere, et facere ſuum & rei affectare dominium, nec poſſet adeo quicquam de dominio aut ſervitute rei alicujus certo definiri, niſi expreſe dominii aut ſervitutis fieret mentio, cumubiq; contractus nomen prætexi queat. Vid. Selden. *mar. clauſ. l.* 1. *cap.* 14. Ulpianus vero *in l.* 13. *ff. comm. præd.* non negat, mari ſervitutem imponi poſſe, ſed negat poſſe imponi lege privata, quod dominio non detrahit. & ſequeretur alias, nec flumen eſſe in dominio popu-

populi,quia ei a privato servitus imponi non possit.

§.16. *Divisum & assignatum*) Siculus Flaccus *de condit. agror. p.* 18. *Divisi & assignati agri unius sunt conditionis*, (non esse unius, ex ipsis his verbis colligit Nicol. Rigaltius *ad h. l.* esse tamen unius conditionis saltem, quoad effectum limitum, potest admitti.) *Nam & dividuntur sine assignatione, & redduntur sine divisione. Dividuntur ergo agri limitibus institutis per centurias, assignantur viritim nominibus.*

Et arcifinium) Julius Frontinus *de agr. qual. p.* 51. *Ager est arcifinius, qui nulla mensura continetur: finitur secundum antiquam observationem fluminibus, fossis, montibus, viis, arboribus antemissis, aquarum divergiis.* Et recte Varro, dictum ita, quod fines habeat arcendis hostibus idoneos. quales non sunt arcæ finales, sive monumenta in finibus agrorum extructa, quæ pro terminis antiquitus observabantur, præsertim cum arte vel opera hominis ejusmodi arcæ ponantur, ut proinde male deducatur inde nomen arcifinii. Et diserte Frontinus: *Limitum delineatio est per rationem arcarum.*

§.17. *Ita mutato alveo*) Qui flumen ab initio terminum constituerunt imperii, sine dubio hoc flumen, quale tum fuit, in-

tellexerunt. At poſtquam alveus mutatus eſt, non manſit hoc flumen,ſed aliud factum eſt; & hinc male, quod ab initio conventum fuit, extenditur ad novam ſpeciem.

§. 19. *In privatos ita fieret diſtributio*) Pertinent huc agri ex hoſte capti, prædia tributaria & ſtipendiaria, de quibus videri poteſt Barn. Briſſon. *antiq. l.* 4. *cap.* 1. Arn. Vinn. *ad* §. 40. *n.* 7. *Inſt. de* R. D.

Ut multæ ſunt ſpecies juris in rem) Verbis JCtorum jus *in re* dicitur, quod *in rem* dicit Grotius. Quicquid ſit, id tamen ferendum non eſt, quod eo referat Grotius jus ejus, qui ſub conditione fideicommiſſum expectat. Quale enim jus in re poterit eſſe ejus, cui ſub conditione relictum eſt fideicommiſſum? Quemadmodum namque legatum ſub conditione relictum non prius acquiritur legatario, quam conditio extiterit, & a tempore demum exiſtentis conditionis vires accipit. *l. un.* §. 7. C. *de caduc. toll.* ita ut nec creditor dicatur legatarius pendente conditione. *l.* 42. *ff. de* O. & A. quin, ſi moriatur legatarius, antequam conditio impleta fuerit, ne ſpem quidem ad ſucceſſores transmittit: ita & fideicommiſſarius pendente conditione nihil acquirit, & per conſequens ne quidem jus ad rem habet, ſed vana inte-

terim ſpe, dum conditio nondum eſt impleta, lactatur.

Per legem civilem) De bonis vacantibus diverſimode ſe habent jura civilia, de quibus videri poterit Antonius Perez *Cod. de bon. Vac.* Hodie jus bona vacantia occupandi ad regalia refertur. Camman. *de regalib. diſputat.* 8. *num.* 14. Regner. Sixtin. *de regal. lib.* 2. *cap.* 9. neque id iniquum eſt, dum tamen per proclamata primum vocati fuerint, ſi qui defuncti hereditatem ſibi deberi putent.

CAPUT IV.

§. 1.

NAmque id jus cum lege civili ſit introductum) Uſucapio juri gentium adſcribenda videtur ſaltem quoad originem & materiam, licet quoad formam externam & modum determinandi revera ex jure civili veniat. Eſt enimvero ea inventum hominum, uſu & neceſſitate exigente comparatis inter ſe rebus excogitatum, nec paucorum, aut eorum tantum, qui unius ſunt Reipublicæ, ſed civiliorum plerorumque omnium. Et voluit hoc rerum humanarum conditio, quandoquidem civitas beata ſatis nunquam exiſteret, niſi tale ſuppeteret remedium, quo & lites abbreviari & do-

dominiorum certitudo haberi posset, l. 1. *ff. de usuc. l. ult. ff. pro suo.* Quæ rationes cum in omni societate civili locum inveniant, atque adeo ex ipso Gentium jure sint, nihil est, quod obstat, quo minus ex eodem Gentium jure usucapionis materiam arcessamus. Nec refragatur, quod dominium alteri invito auferat, atque hoc ipso juri gentium repugnet. Præterquam enim, quod non omnino invitus dici possit, qui rem suam ab alio patitur usucapi, *l. 28. ff. de V. S.* probe conferenda sunt, quæ hic collidi videntur, præcepta. Unum est: *Res domino invito non est auferenda.* alterum: *Reipublicæ interest, rerum dominia non esse in incerto.* Jam ubicunque in negocio aliquo duo ejusmodi committuntur præcepta, ut inferius cedat superiori necesse est. Superius autem sine dubio est illud, quod beatitudinem totius civitatis procurat, & majus post se trahit commodum. Vid. Did. Covarruv. *ad c. possessor. 2. de Reg. Jur. in 6. part.* 3. Laymann. *l. 3. tract. 1. cap. 8. num. 3. 4.* Selden. *in mar. clauf. l. 1. c. 26.* Hahn. *ad Wesenb. de usucap. n. 9.* Conring. *de finib. imp. c. 19.* Hugo de Roy *de eo, quod justum est. l. 3. tit. 2. 3. 4.* Etsi igitur jus Gentium nihil certi de annorum numero determinet; statuit tamen in genere, sufficere tanti temporis silentium in domino, quantum ad repetendum jus suum probabiliter satis sit alii non negligenti & sufficienter ad repetendum instructo,

ſtructo, intra quod ſi tacuerit, jus ſuum pro derelicto habuiſſe cenſebitur.

Tempus enim ex ſuapte natura) Ne jure civili quidem. Nam nec uſucapio eo jure in ſolo tempore fundatur, ſed requiruntur plura, & inprimis poſſeſſio continuata.

§. 3. *Qua de cauſa etiam interni actus meri)* Recte addit, *meri*. Simulatque enim actui ejuſmodi interno actus aliquis exterior junctus fuerit, ita ut immanens amplius dici nequeat, etſi prohibitus ille a principio, ſive interno ſive externo deinceps dicatur, incipit jam habilis eſſe, ut in eum animadverti legibus poſſit. Ex quo patet, quid ſentiendum ſit de doctrina Tiberii Deciani *lib. 7. de crimin. cap. 35. num. 2.* contendentis, in crimine læſæ majeſtatis etiam ſolas cogitationes pœnis ſuccumbere; quod etſi in Galliis ita obſervatum referat Bodinus *lib. 2. de Rep. cap. 5.* naturali tamen juſtitiæ & æquitati minime videtur convenire.

Pro vero habetur) Celebris eſt locus Ariſtotelis: τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα. Unde ex verbis voluntas & mens hominum ſumi dicitur, ut non immerito Juriſconſulti, quibus de negociis ho-

hominum judicandi data est provincia, maximum circa verborum proprietatem laborem ponant, notante Quintiliano *lib. 5. cap. ult.*

§.4. *Nisi ea sit circumstantia)* Duo igitur requiruntur, ut res pro derelicta habeatur. 1. ut quis nolit amplius esse ejus rei dominus. 2. ut rem eam abjiciat, aut deserat. Alterutrum si desit, dominium non admittitur. Fac ergo rem a domino abjici aut deseri, non tamen ea mente, ut eam abdicet, aut amplius suam esse nolit, nihil hic amittitur. Fac e converso, nolle dominum amplius suam esse, nisi abjecerit, dominus esse non desinit. Arn. Vinnius *ad* §. 46. *Instit. de R. D.*

Sic Chirographi redditione) Non ideo, quod obligatio instrumento contineatur, alioquin ipso jure liberatio contingeret, cum tamen necessaria sit exceptio, sed quod Creditor tacite pactus videatur de non petendo, quod ex eo colligitur, quia Creditores non solent reddere Debitoribus chirographa, e quibus debitum petere volunt. Add. Vinn. *de pact. cap.* 12. *num.* 10. 14. 15.

Juris gentium esse acceptilationem) Dicitur juris gentium saltem ratione usus, postquam a cæteris etiam gentibus recipi

recipi cœpit, ratione vero originis & introductionis est juris civilis. Quæ tamen inest acceptilationi remissio debiti, ut materia, juris gentium esse videtur.

§. 5. *Sic qui sciens & præsens tacet*) Tacere est medium inter duo extrema, scilicet inter consensum & contradictionem, inter fateri & negare. *l.*142. *de R.J.* *l.* 1. *§.* 3.*ff. de tribut. act.* Dum ergo silentium in nudis suis terminis persistit, effectum consequitur ab extremis separatum & indifferentem, ex quo sc. neque ad assertionem, neque ad negationem argui constanter potest. Sed vix est, ut semper ita indifferens manere queat, quin plerumque ab extremorum altero aliquid participare creditur. Et hic multum faciunt conjecturæ, quatenus scilicet vel de commodo tacentis, vel de ejus præjudicio & obligatione agitur, ut scilicet illic tacens pro consentiente, hic vero pro ratione actus aliquando pro consentiente, aliquando pro dissentiente habeatur. Quandocunque enim factum a tacente potest impediri, aut fieri non potest ipso invito, tacens consensisse videtur, *l.* 63. *vers. scientibus. ff. de re jud.* e. g. fidejussor a tutore nominatus quando præsens patitur nomen suum in acta publica referri, neque contradicit, merito habetur pro consentiente, potuit enim contradicendo a fidejussione esse immunis. *l.* 4. *§. ult. ff. de fidejuss.*

de juss. tut. Sed quando factum, tacente etiam invito, expediri potest, aut facto isto non obstante, jus salvum & integrum manet tacenti, silentium pro consensu non habetur, *l. 39. & ibi Glossa. ff. de pign. act. l. 8. §. 15. quib. mod. pign. vel hyp. solv.* Fulv. Pacianus *de probat. l. 1. c.* 29. 30. Menoch. *6. præsumpt.* 99. Rosenth. *de feud. c. 9. concl. 77. n. 6. 7. 8.* Hartm. Pist. *p. 2. q. 7. n. 3. 4.* Carpz. *lib. 6. resp.* 101. Rheinkingk. *de retract. quæst. 2. n.* 201.

Sic amissum censetur id) Non illico, si spes recuperandi projecta est, animus quoque dominandi projectus esse censeri debet, cum etsi spes deficiat, nihilominus hoc animo manere possit dominus, ut quandocunque res reperta fuerit, eam vindicare velit. Sic & actus abjectionis ob naufragium imminens, non est directus in dominii amissionem, sed ad avertendum periculum. Est enim actio mixta, quæ quidem ratione causæ extrinsecus impellentis invita, sed ratione principii interni, quod est consilium evitandæ mortis, spontanea magis videtur. quæ tamen idcirco non facit, ut res dejectæ habeantur pro derelicto. Igitur verba Ulpiani *in l. 44. de A. R. D.* quando naufragio amissa non statim nostra esse desinere dicit, non hoc volunt, quod tum desinant, ubi nulla amplius retenti dominii indicia apparent, sed quod non liceat statim concludere: Hoc naufragio

gio amissum est, Ergo desiit esse domini, aut quod tum demum desinant, quando tempus præscriptioni destinatum fuerit præterlapsum.

Non est definitum) Nec etiam definiri potest, cum in facto potius, quam in jure consistat, an populus vel Princeps tacite consensisse intelligatur. Totum istud arbitrio non legislatoris, sed judicis permittitur. Nec verum igitur est, quod ait Grotius, leges civiles certo tempore consuetudinem introduci velle.

Ut silentium sit scientis) Ignorantia non aliter excusat, nisi illa sit facti alieni. Hæc unica facit, ut non possit allegari domini negligentia, dominiorum incertitudo, rerum incuria & confusio, aut præsumptus in alienationem consensus, quæ alias inter argumenta referuntur introductæ præscriptionis. At ignorantia juris & facti proprii non impedit præscriptionem. Quod pluribus exponit Hugo de Roy *de eo, quod just. est. lib. 3. tit.* 8.

§. 6. *Non aliqua via ad ejus notitiam perveniat*) Et hinc facti alieni ignorantiam alleganti quandoque juramentum deferri posse arbitror. Id quod ex judicis arbitrio pendet.

Sic & incussus semel metus) Sed ubi metus fuerit reverentialis, temporis præscriptio nullum plane habet effectum. Sic enim quando pater hereditatem conjugis ad liberos devolutam possidet, nulla impedit præscriptio, quo minus liberi bona materna a patre petere valeant. Carpz. *l.* 6. *respons.* 101. *n.* 10. 11. 12. Moller. *l.* 2. *semestr.* *c.* 6. *num.* 5. Conf. Finckelthaus *obs.* 83.

§. 7. *Nisi validissimæ sint in contrarium rationes*) Quocirca ubi subest mala fides, non procedit præscriptio, etsi per multa annorum millia continuetur possessio. Franzk. *l.* 3. *resol.* 1. *n.* 270. *seq.* quanquam difficile sit, malam possessoris aut ejus antecessorum fidem probare, ut proinde præsumptio sit pro possessore.

Non plane idem esse tempus) Immemorialis præscriptio quid differat a centenaria, optime explicat Carpzovius *p.* 2. *const.* 1. *def.* 7. Conf. Aymo Cravetta *de antiq. temp. p.* 4. *c* 3. *n.* 1. 2. 3 Zach. Vietor. *de exempt. conclus.* 17. Matth. Steph. *de jurisdict. l.* 2. *part.* 1. *c.* 7. *n.* 145. *seq.* Videtur autem ad indicium derelicti imperii perlongum istud temporis spacium non esse necessarium, eo quod omnes Respublicas & meliores præsertim, citam & sedulam postulent curationem, quæ si negligatur ab imperante, ad alium ea ut de-

vol-

volvatur, ipsa Rerump. natura exigit, uti bene observat Dn. Conring. *de finib. imp. c.* 19.

§. 8. *Ut rei caducæ causa)* Argumentum hoc nihil concludit, quandoquidem salus proximi spiritualis anteponenda est rebus meis corporalibus tum demum, quando res mea necessaria est proximo ad salutem spiritualem. Cum vero aliter se res habeat, & proximus ipse per seipsum, sine jactura rerum mearum, salutem suam procurare possit, utique lex charitatis me ad jacturam rerum non obligat. quin potius iniquum & non tolerandum videtur, neque in Ecclesia, neque in Republica, ut quis amittat res suas, ne alter persistat in peccato, qui per nequitiam ab tanta injustitia non vult desistere, & ne ille nequiter nolendo æternum incurrat interitum.

Scire debemus, magna esse onera) Neque hæc ratio aliquid facit. Ut maxime enim difficile & onerosum est imperare; quisque tamen præesse quam subesse mavult.

Qui se tutores dicerent) Sed tutela pupilli causa est suscipienda. Imperium vero in ipsorum sæpe dominantium utilitatem est constitutum.

Tum vero imperia tandem ali-

quando) Hæc vera ratio eſt totius hujus præſcriptionis. Cum enim interſit Reipubl. non tantum ut poſſeſſiones in perpetuo ſint cultu, ſed etiam ut dominia rerum certa habeantur, utique ſi quis alius bona fide poſſeſſionem nactus fuerit, & per multum tempus coluerit, ipſum jus gentium & ſalus Reipublicæ jubet, ut hic in poſſeſſione defendatur. Deſiiſſe enim priorem dominum & dereliquiſſe præſumit, quippe quem latere non potuit, ſi rerum ſuarum ſatagere voluiſſet, mutata poſſeſſionis facies. Et ſic præſumtio illa, quanquam probationem admittat in contrarium, fortiori tamen juvatur argumento a ſalute ſcil. & tranquillitate civitatis petito.

Nullam plane edere ſignificationem idoneam) Vulgata eſt Varronis ſententia, bonum & diligentem patremfamil. decere rerum immobilium quotannis inire rationem, & ſecundo anno, quod deſideratur, quærere, rerum mobilium vero ſingulis ſemeſtribus. Id attendentes leges civiles, urgente Reipublicæ ſalute & tranquillitate, certos uſucapioni conſtituerunt terminos, longiores quidem, quam Varro poſuit, ne quis re ſua inique privari clamitet. Non igitur a ſupina negligentia excuſari poterit ille, qui cum legum hanc diſpoſitionem non ignorat,

tanto

tanto tempore res ſuas non conquirit, & hinc in culpa bono publico maxime adverſa verſatur.

§. 9. *Provocatione ad arbitrum*) Aut judicem quemcunque. Ut enim præciſe ad arbitrum, qui ita de jure civili dicitur, fiat, nulla ratio cogit. Videtur autem hic Grotius eam tenere ſententiam, ad interruptionem præſcriptionis neceſſariam eſſe interpellationem judicialem, ſecutus hac in parte jus civile, quod denunciationem extrajudicialem non admittit, ſed judicialem, aut ſaltem publicam requirit. *l.* 2. C. *de ann. except.* Non exiſtimo tamen, ſi ad rationem juris naturalis res expediatur, id ſimpliciter neceſſarium eſſe, præſertim cum ad præſcriptionem non requiratur poſſeſſio judicialiter, aut teſtato cœpta & continuata. Quorſum igitur neceſſaria erit interruptio judicialis? niſi forte, ſi negetur eſſe facta, eo facilius probari queat.

§. 10. *Quare ſi populus*) Quid hic faciat voluntas populi, non video, cum & in invitum acquiri poſſit imperium. Et negavimus ſupra, a populo eſſe jus ſive poteſtatem imperandi. Sufficit igitur ſola imperantium derelictio præſumpta, quandoquidem quod ad poſteros non devolvitur, ab illis vindicari non poteſt.

Longo tempore acquiri posse receptior sententia est) Vix est, ut sententia hæc admittatur, nisi tum demum, quando præter eum, contra quem præscribitur, nullus superest agnatus. Quia enim, vi primæ investituræ, jure proprio quisque succedit agnatus, & illi, quamdiu proximior vivit, actio nata adhuc nulla est, feudum autem ipsum restitutioni subjacet, non potest utique adversus eum currere præscriptio. Vid. Rosenthal. *de feud. cap. 9. membr. 2. concl. 84. num. 12. seqq.* Hartm. Pistor. *l. 2. quæst. 8.* Franzk. 3. *resol. 1. num. 276. seqq.* Struv. *disp. Feud. 13. thes.* 18. Ludwel. *in synops. jur. feud. cap. 8. in fin.* Et hac ratione neque in fideicommissis locum invenit præscriptio, *l. ult. §. fin autem. C. commun. de legat. l. 2. C. de usucap. pro Emtor.* eo scil. quod alienari non possunt, *l. ult. C. de reb. alien. non alien.* Ant. Fab. *l. 4. Cod. t. 38. def. 9.* nisi omnes, qui ad fideicommissi petitionem adspirare possunt, consenserint, *l. 11. C. de fideicomm.* quanquam & hoc casu posteros eorum, qui consenserunt, revocare alienationem posse adserant Francisc. Card. Mantica *Lucubrat. Vatican. t. 2. lib. 23. tit. 20. n. 23.* Anton. Perez. *Cod. de fideicomm. n. 25.*

Quod uno actu alienari licite non possit) At vero quæ alienari non pos-

possunt, in iis nulla locum habet præscriptio, nisi alienatio pacto tantum vel conventione fuerit prohibita, quo casu & alienari rem posse & dominium transferri, ex *l. 61. ff. de pact. & l. 3. C. de condict. ob caus.* colligunt Sichard. *ad d. l. 3.* Donell. *l. 9. c.* 10. Bachov. *de act. disp.* 4. *n.* 19. Add. Francisc. Zoannettus *de emt. vend. n.* 87.

§. 11. *Et populo subjici*) Etsi enim subjectio ista injuste fiat, & non sine crimine perduellionis, uti libro primo expositum: Si tamen Rex in subjectione ista acquiescat, & cum populo ut superiore contrahat, ex hoc postfacto purgatur vitium, nec poterit deinceps ille jus suum pristinum urgere.

§. 12. *Nos aliter arbitramur*) Potest quidem summum imperium, uti hactenus dictum, ab extraneo aliquo per præscriptionem acquiri, sed in eam rem adduci nequit lex civilis a Principe, contra quem præscribitur, lata. Subditus autem, qua talis, etsi lege illa adversus concives uti possit, non tamen uti potest adversus imperantem, cum subditus non videatur persona habilis, cui summum imperium usucapione aut præscriptione acquiri queat. Quod si porro ex me quæras, annon ita saltem præscribere possit subditus adversus

Principem, ut non amplius ſubſit? puto, neque iſtam quidem præſcriptionem locum habere, quanquam iſte articulus inter Doctores adhuc valde ſit controverſus, uti notat Regnerus Sixtinus *de regalib. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 145. Dum enim ſubditus eſt, pugnat cum ejus conditione, non ſubeſſe velle, & ipſam quoque præſcriptionem mala cum fide inchoabit. Quo faciunt, quod plerique hodie Doctores a privato jurisdictionem præſcriptione acquiri poſſe negent, & vereantur, ne in gravisſimum majeſtatis crimen præſcripturus incidat. Vid. Arnoldum Vinn. *de jurisdict. cap.* 12. *num.* 8. Bernhard. Sutholt. *de jurisdict. num.* 410. quanquam & hic diverſum ſentiant alii, inter quos Zoeſius *ad tit. ff. de uſurpat. & uſucap. num.* 24. Cæterum dubie hic & multis cum hypotheſibus incedit Bachovius *in Treutl. diſput. de jurisdict. theſ.* 7. *lit.* C. Et certe ſi recte res æſtimetur, procedunt ea, quæ dixi, tum demum, ſi nihil aliud acceſſerit, ex quo deinceps jus naſci posſit. Privatus ſcilicet aut ſubditus, quamdiu talis eſt, per præſcriptionem acquirere imperium nequit. At contingere ſæpe ſolet, ut qui ſubditus antea fuit, publicam nunc perſonam induat, Principi ſuo ſe opponat, & omni ſeſe ejus imperio eximat. Quod ſi factum fuerit, & Princeps deinde cum eo tanquam cum pari aut ſibi æquali contrahat, nulla facta mentione juris

juris ſui, jus iſtud ſuum remiſiſſe merito cenſebitur. Et ab eo tempore præſcriptionem ille recte inchoabit. Conjecturæ igitur tales ſi acceſſerint, multum juvabit præſcriptio, imo vero nec præſcriptione quidem opus erit, ſi conjecturæ ſufficientes fuerint.

§. 13. *Ea vero, quæ de ſummi imperii natura non ſunt)* Regalia potiora ſunt illa, quæ intrinſece naturam majeſtatis conſtituunt, & alias dicuntur perſonalia, imo perſonaliſſima perſonæ & oſſibus Principis, qua talis, adhærentia, ut avelli ab eo nequeant. Sixtin. *de regalib. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 2. 3. Ab his vero diſtinguuntur ea, quæ cum ſubditis communicari poſſunt, quorum ſcilicet uſus eſſe poteſt abſque majeſtate vel ſuperioritate competente. Carol. Molinæ. *ad conſuet. Pariſ. t.* 1. §. 1. *gloſſ.* 5. *n.* 55. 56. Ea ſi communicata ſubditis fuerint, non amplius conſiderantur ut regalia, ſed ut privilegia, ſive ut emolumenta loci conceſſi, ſi loco adhæreant.

Ut appellari ab iis non poſſit) Covarruvias loco in margine notato non agit de jure non appellandi, verum de aliis reſervatis principis. Numero 10. autem diſerte contrarium ſtatuit, juriſdictionem ſupremam per præſcriptionem acquiri non

posse. Ei adstipulatur Paulus Laymannus *Theol. moral. lib. 3. tract. 1. cap. 8. num. 6.* ex nostris Bocerus *de regalib. cap. 2. num. 243.* Nec est, quod regeras ex antecedentibus, etiam jurisdictionem hodie per præscriptionem acquiri posse. Jurisdictio enim hodie patrimonialis facta territorio fere annexa est, quod de extrema provocatione, aut jure non appellandi dici non potest, quippe quod familiis tantum certis, aut officio certo concessum videtur. Nec vero video, qua ratione jus istud præscribi contra imperantem posit, nisi subditus prohibuerit imperantem recipere appellationem, quod plane videtur subditi conditionem excedere. Add. Besold. *de appellat. cap. 2. num. 15.*

§. 14 *Quod in posterum a voluntate non pendeat)* Ita e. g. qui se arrogandum dedit, non habet postea facultatem semet emancipandi, & in statum sui juris reponendi. *§ f. Inst. quib. mod. patr. pot. solv. l. 31. ff. de adopt.* Sic & qui deliberato sui commodi causa servitutem subierunt, & qui ex his nati sunt, ad libertatem proclamare non permittuntur. *l. 1. l. 3. ff. quib. ad lib. proclam. non lic.* Quod si imperium delatum a populo ad successores devolvendum est, saltem ideo abdicare id non licet, quia id cedit in præjudicium successorum. Quoties autem

tem præjudicium tertii intervenit, actus omnem excludit pœnitendi licentiam.

§. 15. *Jura libertatis*) Res facultatis duum sunt generum. Quædam enim sunt res meræ & puræ facultatis publicæ, jure gentium & jure libertatis naturalis omnibus competentes, quæ dicuntur publicæ facultatis, quales sunt ire per viam publicam, sedere, ambulare, & hæ præscriptioni non subjacent, quia etiamsi quis rebus illis uteretur, attamen ex usu & exercitio illo nullum jus, nullam actionem acquireret, adeoque licet exercitia & usum illum omitteret, non tamen aliquid perderet, consequenter hæ res a præscriptionis materia in eo statu sunt alienissimæ, nisi prohibitio accesserit, & alter acquieverit, tum enim definito tempore non locus ipse, qui prohibitus est, sed jus tantum prohibendi acquiritur. Quædam vero res facultatis terminos notissimos egrediuntur, & jura potius sunt, quam res facultatis, atq; hæ, quia continent jus formatum in judicium deducibile, omnino per præscriptionem sine alio novo actu amitti possunt, ut est e.g. jus adeundi hereditatem.



Cap.

Caput V.

§. 1.

OB *sexus præstantiam*) Alias enim in procreatione hominis plus præstare videtur mater. *Est quidem*, inquit Sidonius Apollinaris *lib.* 4. *epist.* 21. *princeps in genere monstrando partis paternæ prærogativa; sed tamen multum est, quod debemus & matribus. Pondera illarum, istorum semina sumus.* Quærit ille, num cultori, an telluri major gratia frugum habenda sit: & quidem constat, terram ipsam longe plus conferre, quam aratorem. Idem de parentibus dicendum, ut longe plus conferre censeatur mater, eique major, quam patri gratia habenda sit. Nec tamen propterea facimus cum Thoma Hobbes, qui *de cive cap.* 9. *art.* 3. *& art.* 7. imperium in liberos matri originale, patri autem non nisi derivatum adscribit. cum vel propterea patris dominium aut imperium eminere certum sit, quod ei, ut marito, in ipsam etiam uxorem, liberorum communium matrem, potestas competat.

§. 2. *Distinguenda autem sunt*) Duo an tria tempora distinguantur, parum refert. cum in omnibus, liberis incumbat obedientia, etiam tum, quando jam sacris paternis exierunt. Nec etiam distinguit hac

in

in parte lex divina, optima juris naturalis interpres. *Ephes. VI. 1. Coloss. III. v. 20.*

§. 3. *Ut parentibus placeant*) In eligendo igitur vitæ genere, quod filius posthac sequi debeat, parentes non nisi deliberative concurrere possunt, neque tum a filio repudiandum est consilium parentum. Quod si vero filius id amplecti nolit, non poterunt eum parentes cogere, aut inclinationibus naturalibus vim facere. Quo pertinet dictum Pauli *Coloss. III. v. 21.*

§. 4. *De gravioribus autem pœnis*) Si opus est graviori animadversione, ipsa etiam jura civilia ex naturali ratione hoc temperamentum invenerunt, ut pater filium magistratui offerat, qui deinceps paterni desiderii in pœna infligenda rationem habeat, *l. 3. C. de patr. potest.* Qua ratione desertorem, qui a patre suo fuerat oblatus, in deteriorem militiam D. Pius dari jussit, ne videretur Pater (quod cruentum & amori paterno minus congruum censebatur,) ad supplicium filium obtulisse. *l. 13. §. f. ff. de re milit.* Illud addo circa castigationem paternam, semper eam intelligi animo corrigendi factam. Menoch. *5. præsumpt.* 14.

§. 5. *Etiam vendere*) Non excutiemus hic ea, quæ juris civilis Doctores no-

notant ad *l. 2. Cod. de patrib. qui fil. distrax.* Potius id, quod naturaliter licet, videamus. Facio autem hic cum Grotio, famis tempore licere patri filium vendere. Quia enim venditio sui ipsius juri naturæ non repugnat, neque repugnabit venditio filii, ut partis. Eamque potestatem utrique parenti communem facio. Filium quoque etiam majorem natu, & judicio jam pollentem, in sui venditionem consentire debere, pietas suadet, propter quam etiam cum suo incommodo, ut conserventur parentes, obstrictus est.

§. 6. *Regum actus irritos dici*) Filiusfam. enim in publicis causis loco patrisfam. habetur, *l. 9. ff. de his, qui sui vel al. jur.* & quod ad jus publicum attinet, non sequitur jus potestatis, *l. 14. pr. ff. ad SCt. Trebell.* sed in publicis causis parentum jura interquiescunt. Vid. Agell. *l. 2. c. 2.*

§. 7. *Quicquid extra hæc est*) Sed quando votum, ab inferiore nuncupatum, est de illis rebus, in quibus alterius potestati subjacet, etiam ex naturali ratione superiori conceditur irritatio, non demum ex lege positiva, quandoquidem ad votum tale necessarius est consensus superioris.

Quam-

Quamdiu liberi pars erant domus paternæ) Ergone vota a parente rescissa reviviscunt, postquam vovens potestate exiit? Dissentiunt Pontificii inter se. Nobis videtur, quando sine temporis futuri determinatione votum conceptum est, videri obligationem in præsens factam, adeoque irritatum aut rescissum omnino extingui, nec unquam reviviscere posse. Secus esse, si conceptum fuerit cum determinatione temporis & status cujuscunque & quandocunque futuri.

§. 8. *Conjugium igitur)* Hoc non est de natura conjugii. sic enim & filia & pupilla essent in conjugio patris & tutoris, quia sunt sub ipsorum oculis & custodia. Et igitur ut conjugium subsistat, natura videtur requirere aliquid amplius, & inprimis consensum matrimonialem ad certum finem. Finis autem primus & potissimus est procreatio, & educatio prolis & in esse naturali & in esse rationali, id est, ad vitam & virtutem civilem, ut loquitur Franciscus a Victoria *Relect. 7. part.* 1. *num.* 2. Alter finis est, ut alter alteri per mutua officia subveniat.

Fides, qua se fœmina mari obstringit) Et vice versa mas fœminæ. Est enim

enim obligatio reciproca, ita ut falſum ſit, poſſe unum quidem virum eſſe multarum mulierum, unam autem mulierem non poſſe eſſe multiviram.

§. 9. *Natura videtur requirere*) Imo requirit, ut dixi, fidem reciprocam, quam urget Apoſtolus 1. *Corinth. VII. v.* 4. ut proinde polygamia juri naturæ repugnare videatur, præſertim cum morale ſit, & juri naturæ conveniens, quod in Decalogo hac de re diſponitur. Id omnino certum eſt, ſuaderi a natura, ut uni potius Uxori unus Vir cohabitet; & pugnare polygamiam ſaltem cum lege poſitiva Dei promulgata in natura integra. Quod autem Patres in Vet. T. attinet, communis eſt ſententia, interceſſiſſe diſpenſationem divinam non circa pœnam huic facto per ſe debitam, ſed circa factum ipſum, devians a lege divina. Poteſt enim Deus diſpenſare in iis præceptis, quorum contrarium dependet a ſola ejus voluntate, cum in cæteris, quæ cum ejus natura pugnant, diſpenſare non poſſit. Vid. Hülſeman. *Brev. Theol. cap.* 21. *num.* 8. Add. Gerhard. *Loc. de Conjugio pag.* 330. Paul. Laymann. *Theol. moral. l.* 5. *tract.* 10. *part.* 3. *c.* 5. *num.* 7. & 9. Non igitur in Novo demum Teſtam. ut vult Grotius cum Socinianis, prohibita eſt polygamia, ſed jus divinum poſitivum Salvator docuit præferendum eſſe con-

ces-

cessioni Mosaicæ, ex dispensatione divina provenienti

Et in lege præcepta quædam) Locus *Deuter. XXI. v.* 15. ad quem provocat Grotius, aut accipi potest de polygamia successiva, aut ibi tantum casus formatur, qui decidi debet, nec tamen propterea probatur, aut laudatur.

Octodecim sive Uxores) Commentum hoc Judæorum caret fundamento. Plenius id exponit Seldenus *in Uxor. Hebr. l.* 1. *cap.* 8.

Et Davidi Deus imputat) Datæ dicuntur Davidi uxores Saulis non in conjugium, sed in dominium. Et posito etiam illo, verbum dandi tamen adhuc de tolerantia accipi potest. Vid. Dn. Calovius *advers. Grot. ad Levit. XVIII. v.* 18.

Præter eum, qui dimisit) Quia scil. polluta est, & quidem, ut Junius & Tremellius explicant, facto mariti, qui eam dimisit, & ad scortationem induxit. Judæorum Magistri hanc pollutionem nudis sponsalibus contrahi contendunt, tametsi dimissa cum novo sponso nondum coiverit. Vid. Selden. *de Uxor. Hebr. lib* 1. *cap.* 11. De jure civili turpe non est, dimissam & alii interea nuptam recipere, quod ostendit *l.* 64. *ff. de jur. dot.* plane contra legem divinam, & ex

mera voluntate Legislatoris. Quicquid sit, non probat hoc exemplo Grotius, licuisse conjugato uxori suæ superinducere ab alio dimissam & repudio separatam.

At Lex de illa re nulla illis temporibus extabat) Imo extabat, ex ipsa sc. institutione conjugii. Dum enim Christus *Matth. XIX. v. 3. seqq.* quæstionem juris ventilat, ex antiquissima lege, quæ extat *Gen. 2. v. 24.* decisionem petit: *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit Uxori suæ, & erunt duo in carnem unam.* Omnia hæc vim habent imperandi, quemadmodum & innuit Salvator dicendo: *itaque non sunt duo, sed una caro*; & porro: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Hæc conclusio, si vim imperandi habet, quod concedit Grotius, etiam præmissæ vim imperandi habebunt; alias etiam de Christi verbis dici posset, quod optimum & Deo gratissimum continerent.

§. 10. *Solum autem reverentiæ officium non efficit)* Facit tamen, ut sit injustus, illicitus & punibilis, præsertim ubi filius adhuc in familia patris est constitutus, tum enim, quia partem facit familiæ & quodammodo ipsius patris, major videtur esse necessitas consensus paterni, quam quæ ex sola reverentia nascitur. Et hinc puto, graviter

viter lædi conſcientiam filii parentum conſenſum negligentis, neque in foro externo impune id eſſe debere. Quod autem conjugium non fiat nullum, inde eſt, quia conſenſus parentum inter eſſentialia conjugii ſpecifice non ponitur, ſed tantum generice, quatenus ad quosvis actus filii electitios, ut ſubſiſtant, requiritur. Nec eſt, quod ex poteſtate irritum faciendi votum, quod a filio nuncupatum eſt, poteſtatem irritas quoque faciendi nuptias colligere quis velit. Conſequentiam enim ideo negaverim, quia contractus matrimonialis non eſt pure electitius, ut eſt ſuſceptio voti, ſed naturalis quoad ſpeciem, electitius autem ſolum quoad determinationem individui. Non igitur quomodo res Deo oblata contra voluntatem patris forma ſua non erat futura verum ſacrificium: ita conjugium filiifamilias contra voluntatem patris conſummatum deſinet eſſe verum conjugium. Et peccaret utique pater, qui filio omne prorſus conjugium interdiceret, cum & cogi poſſit de jure civili nonnunquam ad conſenſum. *l. 19. ff. de rit. nupt.* quanquam non peccaret, ſi aliquod ex certa cauſa interdiceret. Vid. Hülſem. *Brev. Theol. cap. 21. num. 14. circa fin.* Franzk. *exerc. 2. q. 3.* Perez. *Cod. de nupt. n. 20.* Nic. Reuſn. *l. 1. conſ. 5. per tot.* Carpz. *Jurisprud. Conſiſtor. l. 2. tit. 3. def. 60.*

§. II. *Lege quidem naturæ*) At

repudium sive dimissio pugnat cum lege naturæ, quæ conjugium individuam vitæ societatem esse voluit. Et quod Legi Christi hic adscribitur, non minus locum habet jure naturæ. Obiter nota ἑτεροδοξίαν de Lege Christi.

Tamdiu enim durat ejus dominium) Habet quidem maritus in corpus conjugis aliquod jus, sed id dominium proprie dici nequit, & fortius tamen id est, quam jus utendi alieno horto, aut aliena vacca ad certum finem, quod vult Layman. *l.5.tract.*10.*p.*2.*cap.*1.*num.*1. Posset autem istud jus, ad analogiam juris in re, dici jus in persona. Non enim ita Uxor Viro debet corpus, vel usum corporis, sicut qui pecuniam ex aliqua stipulatione debet, quæ quidem debitoris,non creditoris est, quamvis debita sit, sed corpus uxoris non est uxoris, sed viri. Fr. Victoria *relect.*7.*p.*1.*n.*5.

Vicissim ex Christi Lege) Imo ex Lege naturæ. Fides enim, quæ hic intercedit, est reciproca ex ipsa matrimonii institutione.

§.12.*Causas certas & naturales*) Faciamus,non posse dari causas certas. sufficit, abhorrere ab ejusmodi nuptiis naturam humanam, ab aliis quidem magis, ab aliis minus. Nec enim causa certa dari potest,

quare

quare aversetur homo carnes sui generis, nisi quod naturale hoc ipsi sit & ingenitum.

Nam nec maritus) Reverentia debita quod præstari satis nequeat, non est sufficiens causa prohibitarum inter adscendentes & descendentes nuptiarum. Ea enim ratione & nobilis principem mulierem sive Reginam ducere jure naturali prohiberetur, præsertim ubi præter lectum nihil quicquam illa marito suo communicare decreverit.

Et hoc est incestum, quod jure gentium) Scil. a posteriori, quod gentibus improbetur, ratio enim prohibitionis ab objecto est ex jure naturali.

§. 13. Morale esse totum caput decimum octavum Levitici, contra Pontificios nostri tenent Theologi, quos sequuntur ex Jurisconsultis recentioribus Carpzovius *de arb. disp.* 1. *n.* 24. Arn. Vinnius ad §.6. *J. de nupt.* Valent. Guil. Forster. *de nupt. c.* 7. frustra cum Pontificiis faciente Bachovio *ad Tr. vol.* 2. *disp.* 6. *thes.* 2. *lit. E.* nec audiendus est Covarruvias, qui *tom.* 1. *part.* 2. *c.* 6. §. 6. *n.* 13. prohibitionem in linea recta ultra vigesimum gradum extendi non debere contendit; multo minus Cajetanus & Sanchez, qui inter

ſolos parentes & liberos primò gradu matrimonium illicitum & irritum dicunt. Pleriq; vero omnes & cum iis Franciſcus Victoria *relect.* 4. *p. m.* 129. aliquos gradus hic prohibitos non eſſe de jure naturali volunt. At ſi hoc, quare terra habitatores ſuos evomuiſſe dicitur ob violatos illos gradus? Evomitio enim iſta, ex conceſſione Cornelii a Lapide & aliorum eſt ſupplicium malefici contra ipſum jus terræ & naturalem inſtinctum peccantis.

Quæ omnia oſtendunt veterem famam) Non fama hic tantum eſt, ſed ipſa Lex naturæ interioribus cordis tabulis inſcripta.

§. 14. *At filiam fratris*) Capite XVIII. Levitici, non illæ tantum perſonæ prohibentur, quæ nominatim ibi exprimuntur, ſed omnes reliquæ, quæ in pari ſeu æquali ſunt gradu, eo quod reductive inter illas contineantur. De modo hoc reductionis eleganter Chemnitius *loc. de Conjugio p. m.* 224. Et ratio eſt, quia non perſonæ tantum, ſed ipſi etiam gradus prohibiti ſunt. Vid. Carpz. *pract. Crimin. part.* 2. *qu.* 73. *num.* 19. *ſeqq. & de arb. diſp.* 1. *th.* 24.

At cæteras Leges non item) Quidni? cum univerſalis ſit prohibitio & comminatio Dei: *Omnis anima, quæ fecerit de*

de abominationibus his quippiam, peribit de medio populi sui. Quemadmodum & initium capitis ostendit, velle Deum abominationes habitatorum recensere, & populo suo sub mortis supplicio eas denuo prohibere.

Certe Canonibus) Supposititios eos esse & sequioris seculi scriptum, jamdiu monstravere ex Nostris Gerhardus *l. 1. conf. Cath. p. 2. c. 6.* Centuriat. Magdeb. *cent. 1. l. 7.* Dannhauer. *Christiad. p.* 889. Ex Reformatis Sculterus *in medull. patr. pag.* 370. Rivet. *in Crit. sacr. p. 99. seq.* Baronius ipse de iis, & quidem sexto eorum agens, apocryphorum, inquit, non est tanta autoritas, ut, quæ sunt tam certa, rata atque confirmata, convellant. *ann. LVIII. num.* 23. Conf. quæ diximus ad *lib. 1. cap. 2. circa fin.*

Nec difficilis est responsio) Ut Grotius opinioni semel conceptæ inserviat, nihil non comminiscitur, quibus infringi queat, quod ex Scriptura Sacra opponi consuevit. Attendatur autem integer contextus *in Levitic. cap. XVIII.* a capite ad calcem, & apparebit, perpetuum illic contineri mandatum, uti loqui solemus, pœnale. Ab initio præmittitur generale quoddam exordium: *Ego Dominus DEUS vester, juxta consuetudinem terræ Ægypti, in qua habitastis, non facietis, &c.* postea recensentur con-

ſuetudines pravæ & juri naturali adverſæ. Tandem ſequitur ſanctio prorſus generalis, & magna cum emphaſi aliis aliisque verbis ſæpius iterata: *Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ ſunt univerſæ gentes - - & non facietis ex omnibus abominationibus iſtis, - - omnis anima, quæ fecerit de abominationibus his quippiam, peribit, &c.*

Jacobi pietas) In Jacobi exemplo multa concurrunt ſpecialia. Sororem alteram per fraudem ſibi ſuppoſitam jam cognoverat, alteri fidem dederat. illam dimittere non poterat, neque hanc etiam deſerere. Retinuit igitur utramque, accedente ſine dubio divina diſpenſatione, aut ſi quis error hic intervenit, condonatus ipſi is fuit fide in promiſſum Mesſiam. Vid. Gerhard. *Loc. de Conjug. pag.* 456.

Factum Amrami) Vocabulum, quod habetur *Exod. VI. v.* 20. ſenſu generali cognationem quidem ſignificat, ſed in gradu nonnunquam ulteriori, quemadmodum & hic a quibusdam explicatur, quod ſignificet amitæ filiam ex Patris Sorore natam. Vid. Chemnit. *Loc. de conjug. pag.* 226. Gerhard. *eod. pag.* 458. Diſſ. Selden. *de jur. natur. & gent. l.* 5. *cap.* 9.

Ni-

Nisi & hoc lex addiderit) Id non diffiteor, non illico invalida esse conjugia, quæ illicita sunt propter legem humanam positivam. Talia autem non sunt illa matrimonia, quæ apud Mosen prohibentur. Verba enim comminatoria, quæ illic extant, ostendunt, esse delicta vere atrocia, quæ singula tale supplicium mereantur, adeoque invalident & perimant ipsum contractum.

Canon Eliberinus) Autoritas Concilii Eliberini sive Eliberitani nihil facit, cum Pontificii ipsi, quorum causam haud raro agit Grotius, non satis conveniant, quid ei tribuendum sit. Francisc. Long. Coriolan. *in summa Concil. pag.* 33. & sanius hic est Concilium Antissiodorense, quod *can.* 30. nuptias ejusmodi omnino prohibet.

Si quis post obitum uxoris suæ sororem ejus) Tales nuptias olim Daniel Hofmannus, Theologus Helmstadiensis, & nuper Christophorus Joachimus Bucholtz, JCtus Rintelensis, juri divino ac naturali minime adversari docuerunt. Illi tamen mox respondit Henricus Heshusius, Superintendens cum ministris Hildesiensibus; Huic vero sese passim hodie opponunt multi, qui indigne ferunt, istiusmodi conjugium tam acriter defendi. Enucleate argumenta ista &

quasi in compendio sistit Dn. Tabor. *de legit. armor. usu. c.* 6. *n.* 9.

§.15. *Concubinatum quendam*) Qualitates concubinatus præcipue sunt hæ: 1. ut contrahatur concumbendi & libidinis explendæ causa. 2. ut consuetudo illa sit diuturna, non perpetua, cum & facultas & cupiditas concumbendi ipsa ætate tollatur. 3. ut desit maritalis affectio, cum maritaliter aut conjugaliter amare non possit, qui tantum ad tempus & propter solum concumbendi actum aut explendam libidinem amat. 4. ut sit cum persona inhonesta, & 5. ut cum persona unica. Dum ergo deflectit concubinatus a conjugio, non in eo tantum, quod sobolis procreandæ nullam habeat intentionem, sed etiam in eo, quod a maritali longius absit affectu, nec perpetuum & indissolubile vitæ consortium quærat, non poterit verum esse aut dici matrimonium. Quod si qua species reperta fuerit, quæ ita non deflectit, improprie illa dicetur concubinatus. Quæ enim maritali affectione sobolis procreandæ causa alicui in perpetuum jungitur, licet forte non ex præscripto Legum positivarum, vera quidem erit uxor, sed legitima non erit. Vid. Franc. Long. Coriol. *ad citat. a Grotio can. Concilii Toletani primi.* Claudius Espencæus *de digam. l.* 2. *c.* 7. *&* 9. Didac. Covarruv. *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 4. *n.* 9.

Sel-

Selden. *de jur. nat. l.* 5. *cap.* 7. add. Gerhard. *de conjug.* §. 555. Annæ. Robert. *rer. jud. lib.* 2. *cap.* 17. Et ex hoc, qui de jure civili permissus fuit concubinatus, conjugio proximus fuisse videtur, imo dicitur etiam conjugium, sed inæquale. *l.* 3. *Cod. de nat. lib.* quia scilicet concubina ab uxore nonnisi dignitate differt. *l.* 49. §. 4. *ff. de leg.* 3. Erant enim concubinæ plerumque vilioris conditionis mulieres, *l.* 1. *l.* 3. *ff. de concub.* quæ quidem peculiari conventione etiam ipsæ domum deducebantur, sed id fiebat sine ritu nuptiarum, & sola animi destinatione. *l.* 4. *ff. de concub. l.* 3. §. 1. *de don. int. V. & U.* Et concubinatu illi fere utebantur, quibus matronam ducere grave videbatur, propter apparatum & sumptus, quibus tum opus erat. Cujac. *in Papin. ad l.* 6. *ad L. Jul. de adult.*

§. 16. *Si in judicium res deveniat*) Hæc limitatio non extat in lege Theodosii. In genere dicendum est, actum contra legem regulariter esse nullum, nisi aliam pœnam vel remedium, quo actus ex postfacto rescindatur, lex ipsa statuat. Sic quando mulier prohibetur intra annum luctus nubere, si nubit, facit contra legem, actus vero non invalidatur, sed mulier tamen fit infamis, & alias pœnas patitur. *l.* 1. *Cod. de secund. nupt.* Pater vetatur filium immerentem exheredare, si tamen exheredaverit, subsistit qui-

quidem teſtamentum, ſed per querelam evacuari poteſt. Vid. Joh. Fab. *ad l. non dubium. C. de LL.* Illud addo, duobus modis legem dici & eſſe imperfectam, vel quia pœnam non irrogat ei, qui contra fecit, vel quæ pœnam irrogat, ſed factum non reſcindit. Poſterioris generis exemplum hic habet Grotius. Ad prius genus pertinet lex Valeria, quæ civem Romanum, qui provocaſſet a magiſtratu ad populum, virgis cædi, ſecurique necari vetuit, & ſi quis adverſus ea feciſſet, nihil ultra quam improbe factum adjecit. Vid. Cujac. *in l. 1. ff. de juſt. & jur.*

§. 17. *Pars major jus habet integri)* In cauſa Religionis admittenda non eſt votorum pluralitas, quantum ad fidem internam & cogendas conſcientias. Ne tamen lites circa doctrinam progrediantur in infinitum, ſtatui poteſt in provincia vel regno probationibus partium modus & defenſioni aliquis terminus. Competit vero tunc Principi poteſtas exequendi id, quod ita poſt legitimum ordinem & modum diſputando ab ejuſdem profeſſionis Eccleſia elicitum eſt, quodque ipſe pro vero habet, & verbo Dei conſentaneum deprehenderit. Quanquam enim magiſtratus ad credendum id, quod plurium ſuffragiis homologatum eſt, cogere non poſſit; cavere tamen poteſt, ne

ne publice doceatur contra plurium sententiam,quam ipse pro vera habet. Vid. Hülsemann. *Brev. Theol. cap.* 18. *n.* 21. 22. *& in supplem. num.* 10. Add. Pacif. Osnabrugg. §. 5. *n.* 19. In politicis vero negociis plerumque plurium standum est suffragiis. Vid. Arumæus *de jur. publ. vol.* 1. *disc.* 9. *num.* 73. Carpzov. *part.* 1. *decis.* 82. Tum enim obligantur singuli non ex jure, quod major pars in ipsos habeat,tanquam superior,sed ex illa naturæ Lege, quæ vult partem omnem,qua pars est, ordinari ad bonum totius. H.Grot. *de imp. summ. potest. circ. sac. cap.* 4. *num.* 6. De hoc tamen quæritur, num pluralitas votorum intelligi debeat de majori parte,habito respectu in idem suffragantium, an vero ratione totius Collegii? Ponunt exemplum: Ex viginti quatuor Senatoribus undecim affirmativæ, septem negativæ, sex inter utramque medii neutri adstipulantur. Communis opinio respectum haberi vult ad totum Collegium ita, ut etsi undecim affirment, septem vero tantum negent, nihilominus, quia sex reliqui itidem ut negantes undecim affirmantibus repugnent, illi pro majori numero non sint habendi. Atque hanc sententiam in electionibus fere obtinere, testis est David Mævius *ad Jus Lubecense l.* 1. *tit.* 1. *art.* 2. *num.* 35. in consiliis vero non perinde custodiri, sed in his ipsum per se consentientium numerum computari, non at-

attento, an respectu Collegii minor sit. Ut enim qui ex contrariis neutram sequuntur, neutri adstipulantur, ita nec alterutri ad minuendum vel augendum numerum, jure accenseri possunt. Cæterum pluralitas votorum tum demum attenditur, ubi res, de qua suffragia colliguntur, pertinet ad Universitatem ut universitatem. In iis vero rebus, quæ ad singulos de Universitate tanquam singulos, non ut universos spectant, non sufficiunt majora vota, sed omnium ac singulorum approbatio est necessaria. Nic. Losæus *de jur. universitat. pag. 1. cap. 3. num. 52.* Bodin. *de Republ. l. 3. cap. 7. p. m. 522. 523.* Et huc, ni fallor, tendit distinctio Jurisconsultorum, quam repetit Joh. Baptista Costa *de fact. scient. & ignor. inspect. 30. num. 7.* & Antonius Perez. *Cod. de indict. num. 15. 16.* quando discrimen faciunt inter actus necessarios, utiles, & voluntarios, ut prioribus duobus casibus valeat conclusum a majori parte factum, tertio casu uno dissentiente nihil fiat.

§. 18. *Reus absolutus intelligitur)* Quod potissimum locum habet in criminalibus. In civilibus enim in pari numero sententiarum quandoq; illa pars prævalet, cum qua Præses aut Senior Collegii facit, uti hoc in Lusitania observari testatur Antonius de Gamma *decis. 1, num. 12.* & in Senatu Pede-

demontano Antonius Tessaur. *decis.* 1. *numer.* 13.

§.19. *Conjungentur in illo decem*) Non ideo, quod formaliter consentiant omnes in minorem summam, id enim falsum est, sed interpretative & suppositive, quatenus omnes consentiunt, decem deberi, ut contenta sub majori summa. Didac. Covar. 1. *resol.* 2. *num.* 6.

Non conjungentur) Legi hac de re poterit elegantissima observatio Cujacii, quæ habetur *lib.* 12. *cap.* 16. ubi dicit, solere hodie ex tribus sententiis confici duas, auctoribus gravioris sententiæ, quotquot fuerint, compulsis eam omittere, & accedere e reliquis duabus alterurri. Atque id ipsum improbat, nec immerito; quia hac ratione perit libertas votorum, quæ tamen in istiusmodi causis maxime custodienda est & conservanda.

§. 20. *Eorum jus interim accrescere præsentibus*) Quid vero si unus tantum præsens fuerit? Manere quidem penes eum jus Collegii, sententia est communis, statuendi tamen potestatem eum non habere, si alii adhuc supersint. Losæus *d. l. n.* 77. nec opus tamen est, quod vult jus civile, ut præcise duæ universitatis tertiæ adsint, *l.* 3. *ff.* *de*

de decret. ab ord. fac. l. 3. ff. quod cujusque univerſ. nom. quia ſufficit more plerarumque civitatum & ex naturali ratione, ſi dimidia aut paulo minor pars Senatorum ſuperſtitum in civitate conveniat, ejusque major pars conſenſerit, dum tamen omnes vocati & citati fuerint. Mævius *d. l. num.* 26. add. Nicol. Reuſner. *l. 3. conſil. 3. num. 46. ſeq.* 62. 81. Ex quo puto, ſecundum naturalem rationem etiam unum illum, qui tempore Concilii aut Collegii habendi præſens eſt, de actibus Collegii decernere poſſe. Reliqui enim, qui vocati, vel nolunt vel non poſſunt venire, videntur tacite conſenſiſſe in id, quod ita ab uno præſente decretum fuerit.

§. 21. *Naturalis autem ordo*) De modo ſuffragia colligendi vid. Carpzov. *deciſ* 82. & citati ab Oſwaldo Hilliger. *Donell. enucl. lib.* 27. *cap.* 8. Faciunt autem ad hunc Grotii locum inprimis ea, quæ magna cum cura collegit Goldaſtus *in Senior. lib.* 1. *cap.* 17. Quod vero hic Grotius de ordine in Conciliis olim ſervato addit, vix amplius locum invenit. Nec enim contentus fuit in Concilio Tridentino Jeſuitarum Generalis poſtremo inter Ordinum præpoſitos loco, uti refert Petrus Suavis *in hiſt. Concil. Trid. lib.* 6. Et cum Papa inter Archi-Epiſcopos ordinem ſedendi ex promotionis tempore, non

nõn ex ſedis dignitate determinaſſet,contradixit illi decreto Bartholomæus de Martyribus, Archi-Epiſcopus Braccarenſis, notante eodem *d. l. 6. in pr.* Legatur integra hiſtoria, & ubique occurrent de proedria controverſiæ atque lites acerrimæ.

§. 22. *Sed & ſententias ad eum modum*) Ita in fœdere Belgico, Hollandiæ trium, Geldriæ, Seelandiæ, Friſiæ duorum, Trajectinæ, Transiſalanæ,Grœningiæ, ſingulis unius ſuffragiorum in ferendis ſententiis jus eſt.

§. 24. *De ſingulorum diſceſſione alia res videtur*) Dubia hæc redditur aſſertio ex eo, quod civis obligatus eſt, non concivibus tantum ſuis, ſed etiam majeſtati, cui ſe & ſua ſemel ſubjecit. Quemadmodum igitur jure naturæ pacta ſervari debent, ita hic quoque ut invita parte altera diſcedatur, non videtur debere permitti. Vid. Arniſæus *de Rep. cap. 5. ſect. 7. num. 18. & ſect. 8. per tot.* Niſi dicamus, pactum iſtud, ſi quod interceſſit, ita explicandum eſſe, ut quam minimum lædatur libertas naturalis. Uti igitur ſubdito competit libertas renunciandi iſti unioni civili, ita & ipſi imperanti, dum tamen tempeſtive id fiat,nullo ſcil. imminente periculo, propter quod ſocietatem tueri oporteat.

§. 25. *Sic in exules*) Quales apud Romanos erant deportati, qui jus civitatis amittebant. Relegati enim civitatem & forum retinebant. *l. 4. l. 7. §. 3. ff. de interdict. & relegat. l. 27. §. ult. ad municip. l. 20. ff. de minor.*

§. 27. *Qua quis se dat in servitutem perfectam*) Quæstio vulgata est apud JCtos, an per contractum quis se alteri possit facere servum. Et in negativa fere conveniunt omnes, sed aliqui tamen interim largiuntur, posse se quem per conventionem facere hominem proprium, ita ut libertate salva ad operarum præstationem teneatur, uti post alios Joh. Herm. Stamm. *de servit. pers. l. 3. c. 12.* Ex mero jure naturæ si quæstio hæc decidi debet, quia servitus juri naturæ non adversatur, nec pactum tale eidem adversari probabile videtur.

§. 28. *Jus autem vitæ ac necis*) In formata jam Republica & civitate constituta id neque dominis neque patribus est concedendum. Secus est, ubi in locis desertis & omni imperio alio exemptis Paterfam. agit. Idem enim tum poterit in familia sua, quod Princeps in civitate, & tum quoque interest familiæ, ne delicta maneant impunita. Quoad hæc enim tantum, non promiscue &

ad

ad libidinem patrisfamilias ei hoc casu jus vitæ & necis tribuo.

Sed agendi impunitas impropriejus dicitur) Omnino jus aliquod fuisse videtur, quandoquidem non tolerata tantum, sed permissa etiam fuerit talis in servos potestas, ita ut perinde atque concubinatus haberetur in genere licitorum. Et qui permittit, plus agit, quam qui tolerat. Quanquam enim in illo æque indirecte concurrat voluntas, ratione tamen principii proximi plus continet spontanei. Sic & permissio ipsa dupliciter dicitur versari circa malum, vel factum non puniendo, vel futurum non impediendo, & hoc vel physice tantum, vel physice & moraliter simul, quo ultimo modo jus aliquod concedi videtur.

§. 29. *Partus matrem sequitur)* Triplex datur hujus rei ratio. 1. quia fallere nos non possit conditio matris, cum incertus quandoque sit pater, siquidem serviles concubitus nec lege nec certa custodia erant constricti, ita ut nulla sufficiens præsumtio patrem indicaret. 2. ut magis faveretur partui, cum patris conditio uno tantum tempore spectari possit, conceptionis nimirum, eo, quod unico conceptionis instanti quis pater fiat, matris vero conditio tribus temporibus locum inveniat, & quo concepit, &

quo in utero gestavit, & quo peperit; 3. quia mater ancilla propter partum subtrahitur servitio domini, & sæpe mortis periculo exponitur; æquum igitur esse, ut pro hoc damno vel periculo damni partus ejus ad dominum ancillæ spectet, quod qui sentit onus, sentire etiam debeat commodum. Ultima hæc, quæ Pauli Laymanni est *l.* 3. *theol. mor. tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 9. nullius videtur esse momenti. Secunda, quam tuetur Sichardus *ad lib.* 7. *Cod. de R. V.* ex benigno jure provenit. Prima uti receptior est, ita verior, & videtur utique naturali rationi convenientius esse, ut matris hic tempore partus attendatur conditio, cum ex naturali jure meum sit id, quod ex re mea nascitur. Add. Arnold. Vinn. *in §.* 19. *J. de R. D.*

Et sequentes operæ sui temporis alimentis respondeant) Imo vero arbitror ego, laborem alimenta facile superare posse, præsertim ubi victus præstatur tenuior. Quod autem hi, qui ex servis nostris nascuntur, itidem in dominio nostro sint, ejus rei istam ego subesse causam existimo, quod sequela sint, & quasi accessio quædam corporis parentum.

Nam quod Apostoli) Imo diserte & in specie ait Petrus 1. *epist. cap.* 2. *v.* 18. *seq. Servi, subditi estote dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam pravis. Hac est enim*

enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniuste. Quæ enim est gloria, si peccantes & colaphizati, suffertis? &c. Tantum abest, ut fugere jubeat aut permittat servum Apostolus, & subducere se domino sævienti.

§. 32. *Singulorum servitus pœnalis*) At si fœmina in servitutem redacta fuerit, non potest liber esse, qui ex ea nascitur. Quanquam enim pœna suos teneat autores, servitus tamen, quæ infantis est, non ex pœna infanti infligenda, sed ex necessitate naturæ proficiscitur.

Caput VI.

§. 1.

Ut *vero traditio etiam requiratur*) Traditio est naturalissimus, ut sic dicam, transferendi dominii modus, sed ea tamen præcise necessaria non est, quemadmodum nec ad acquirendum dominium adeptio possessionis. Difficulter quidem id persuadetur juris civilis Doctoribus, uti videre licet apud Hottomann. *quæst. illustr.* 11. Arnold. Vinn. *ad* §. 40. *J. de R. D.* Sed illis tamen credendum est, docente ita Justiniano, rei hereditariæ & legatæ dominium ad hære-

dem & legatarium ipso jure transferri, quamvis ejus possessionem nacti non sint, certissimo argumento, traditionem aut adeptionem possessionis ad dominium transferendum præcise non requiri. Quod autem hoc casu traditio non requiratur, non est principaliter ex beneficio legis civilis, sed ex simplici jure naturæ, quod Lex civilis in usum revocat.

§. 3. *Quia is quoque jus aliquod habet, quale usufructuarius*) Tale jus Regem habere, negavimus jam libro primo. Et imo multo fortius jus ipsi competit, quippe qui a populo quidem eligitur, sed potestatem tamen, quod sæpe diximus, a solo Deo habet immediate. Non igitur consensus ejus tantum requiritur, sed omnimoda dispositio.

§. 4. *In partis alienatione*) In herili imperio consensus populi plane non est necessarius. nec in melioribus quidem Rebuspubl. semper, nisi in sola Democratia, & in aliis tum, quando alienatio non vergit in salutem publicam. Perpetuitas vero societatis, quam hic obvertit Grotius, intelligenda est moraliter, quando non obstat moralis aliqua impossibilitas, qualis oritur ex necessitate pereundi, nisi societate dissoluta pars populi patiatur se alienari. Vid. omnia hæc

hæc accurate expendentem Conring. *de fin. Imper. Germ. c.* 19.

§. 6. *Sicut anima est in corporibus perfectis*) Anima tota est in toto corpore, & tota in qualibet ejus parte. non ita imperium. Et vel ipsæ Respublicæ mixtæ divisibilitatem arguunt potestatis summæ.

At non alienandi jus) Introductum quidem hoc est facto humano, sed natura suadente, & interdum etiam, ubi necessitas fuerit, præcipiente.

§. 8. *At ubi manifesta est in contrarium voluntas*) Voluntas subditorum debet esse Reipublicæ scopo consentanea, & qui τὸ κύριον habet, liberam habet agendi facultatem circa omnia, quæ salus exigit publica. Quando igitur salus exigit publica, ut pars populi alienetur, pars autem alienari non vult, poterit Princeps etiam invitam eam alienare, quippe quæ præfacte Reipublicæ scopum intervertit. Nec opus est, ut partis hujus aliqua subsit utilitas, cum in societate civili & re & corpore quilibet salutem publicam procurare sit obligatus. In casu necessitatis adhuc potior est ratio totius, quam partis, cum satius sit, ut abscindi se patiatur pars, quo conservari possit cor-

pus reliquum, quam ut pereunte toto pereat & ipsa. Et quæ vero ratio dari poterit sufficiens, dum ab initio partes inter se convenerunt de mutua coalitione ad constituendum integrum, quod pars una renunciare possit coalitioni isti respectu reliquarum, reliquæ autem renunciare nequeant respectu hujus. Cur enim reliquæ partes non perinde utantur jure, quod ante societatem initam habuerunt? an quia jam constituerunt corpus? at inter constituentes etiam fuit ista pars, cui recedendi licentiam dedit Grotius. Et naturale etiam hoc est, ne quisquam cogatur in communione persistere. Nihil igitur proficit Grotius adversus Jurisconsultos, posito hoc tantum, quod pars ita alienata non tradatur in certissimam & extremam perniciem.

§. 9. *Quare videmus a pluribus populis irritas habitas*) Tum demum irritas dixerim alienationes imperiorum, quando vel divisa est majestas inter populum & unum aut multos, vel quando in melioribus Rebuspublicis ad communem utilitatem atque usum alienatio facta non est, & neutrubi populi consensus accessit. Cæterum sine dubio minus damnum infertur Reipublicæ per infeudationem, propter retentionem dominii, quam per omnimodam alienationem.

§. 10.

§. 10. *Nihil obstat*) Imo obstat illud, quod magistratuum constitutio præcipua sit pars majestatis. Ubi ergo majestas est penes unum aut plures, non potest populus, cui obsequendi tantum gloria relicta est, eam sibi amplius vindicare potestatem. Et imo interest ejus, qui τὸ κύριον habet, ad regimen suum conformari magistratus subordinatos. quomodo igitur inconsulto Principe poterit populus hereditario jure ejusmodi functiones concedere?

§. 11. *Sed in rebus modicis*) Consensus populi ut interveniat, opus non est, ubi necessitas alienationem jubet, etsi res non sit modica, quandoquidem cui publicæ salutis cura in solidum commissa est, si ita salus publica exigat, nihil facit contra aut præter voluntatem populi. Et ex hoc Reges jus majus fructuario habent.

§. 13. *Partes autem patrimonii*) Patrimonium ipsum dixit esse inalienabile, §. 11. at si partes alienari possunt, per partes subinde alienatas ipsum totum tandem peribit. alienatio enim per partes toties fieri poterit, ut nihil amplius restet. Quocirca rectius videntur sentire illi, qui extra casum necessitatis & utilitatis publicæ ne quidem in partibus patrimonii Principi largiuntur fa-

T 5 cul-

cultatem alienandi. Vid. Car. Molinæ. *ad consuet. Paris. tit.* 1. §. 3. Petr. Anton. de Petr. *de potest. princ. c.* 32. *n.* 199. Castrens *cons.* 70. *n.* 7. posito scilicet patrimonium esse a populo imperantibus constitutum.

Est autem populi patrimonium Regi pro debitis populi) Quomodo vero pignoris jure? cum neque expressum id sit, neque tacitum. Et competit facultas hæc alienandi Principi ex potestate ipsi concessa.

§. 14. *Alienatio autem in mortis eventum*) Testamentum ante mortem nullas adhuc dum habet vires, nec igitur alienatio vere potest dici revocabilis, cum præsertim præter voluntatem testatoris nihil desideret, & in occulto plerumque habeantur voluntates ultimæ. Unde non jus tantum possidendi & fruendi, sed totum & integrum dominium etiam post factum testamentum retinet testator. quanquam non negem, habere eum eo ipso, dum condit testamentum, intentionem alienandi.

Cap.

CAPUT VII.

§. I.

UT *quæ bona naufragorum fisco addicunt*) Vere barbarus hic est mos & omnis rationis expers, qui nunquam satis propter avaritiam hominum & habendi libidinem compesci potuit. Vid. Andr. Gail. *l.* 1. *observ.* 18. Fr. Stypmann. *de jur. marit. part.* 5. *cap.* 5. Cæterum in annotatis injuriam facit Grotius Bodino, dum ei imputat, quod barbarum hunc morem defenderit. Utique enim totus in diversa videtur esse sententia Bodinus, si verba hæc ejus *ex lib.* 1. *cap.* 10. recte attendantur: *Barbarum*, inquit, *id quidem & antiquis inusitatum, ut cujus opes ac fortunæ naufragio misere perierint, & quem nostris opibus sublevare debeamus, ejus reliquias, quas ad littus ejectas bona fide restitui oportebat, diripi patiamur. Sic tamen vivitur, ut qui portus habent, eam crudelitatem tum in cives, tum in peregrinos exequantur. Jus quæris? error jus facit. at si non peccatur errore, sed scientia, scelus est, quod erroris specie prætenditur.*

§. 2. *Expletione juris*) Agit hic Grotius de acquirendo rerum dominio. Alias autem etiam in eo casu, quo dominium non est transferendum, locum habet expletio

tio juris. Qua ratione creditor adversus debitorem contraria actione pignoratitia experiri potest, ut indemnis præstetur. *l.* 9. *l.* 16. *l.* 32. *l.* 36. *§.* 2. *ff. de pign. act.*

Quod si jus quidem certum sit) Sed vel hoc non facile concedendum est, cum ita unusquisque juri suo confisus vim potius, quam judicium sit electurus, vel etiam vix erit, ut diuturnum acceptio hæc habeat effectum, quandoquidem si ille, cui vis facta est, judicem imploraverit, & qui vim fecit, defecerit probationibus, utique vel manu militari huic res auferenda,& restituenda erit illi.

§. 3. *Creditur autem in dubio)* qua ratione prudenter fecerit Legislator, si proximum cognatum ad successionem vocaverit, ut maxime erga ipsum defunctus iniquiore fuerit animo.

§. 4. *Ut significet id, quod nisi inhoneste)* At talis quoque est obligatio ad ἀντίδωρα, & tamen non negabit Grotius, arctius obligari parentes ad alendos liberos, quam beneficiarium ad ἀντίδωρα. Proinde non ex honestate tantum, sed ex ipsa quoque necessitate naturæ parentes liberis suis debent alimenta, & contra naturales stimulos, contra jus naturale, contra pietatem facit, qui denegat. Paul. Laymann. *Theol. mor.* *lib.*

lib. 5. tract. 10. p. 3. cap. 5. num. 8. Oswald Hillig. *in Donell. enucl. lib. 12. cap. 4.* Id vero plane impium est, quod Thomas Hobbes *cap. 9. de civ. art. 2.* integrum relinquit matri, num infantem recens natum exponere velit suo arbitrio & jure, an vero educare. Quorsum enim ubera concessisset puerperis natura, nisi ut officii sui eas admoneret, omnino alendum esse infantem, neque hoc eis liberum esse. Clem. Alexandr. *lib. 1. pædag. cap. 6.* Imo vero etsi istam alimoniæ officinam non haberent matres, ipse tamen naturalis affectus & instinctus eas id præstare juberet, ad quod bruta suo quodam ejusdem naturæ impetu feruntur. *Nam & aves*, inquit Lactantius *de opif. Dei cap. 3. quoniam fœtus de suis corporibus alere datum non est, cibos convehunt, & totos dies in hujusmodi discursatione consumunt, &c.* Si qua igitur mulier officium id suum aut prorsus negligit, aut infantem alienæ misericordiæ exponit, in ipsum jus naturæ peccat, & homicidii ream se facit. Eleganter Paulus noster *l. 4. ff. de agn. & al. lib. Necare videtur non tantum is, qui partum præfocat, sed & is, qui abjicit, & qui alimonia denegat, & is, qui publicis locis misericordiæ causa exponit, quam ipse non habet.* Similia habet Lactantius *lib. 6. cap. 20.* Quod si vero ad matres ejusmodi officium ex naturæ jussu non spectat, non spectabit sane id ad alios, atque hinc, si omnes eodem modo infantes

suos

ſuos exponere & omnem curam abjicere vellent, toti humano generi miſere eſſet pereundum.

Id eſt, naturalem & ſocialem) Recte addit, *ſocialem.* Alimentorum enim nomine non ſolum cibaria,ſeu eſus & potus, ſed & veſtitus & habitatio continetur, quin & bona inſtitutio, ut civitati aliquando inſervire queat alumnus. Perez. *Cod. de al. lib. num.*20. Roland. a Valle *conſ.*22. Camill.Borell. *conſ.* 71. Aymo Cravetta *conſ.* 199. *n.* 3.

Et quanquam ex damnato) Textus habentur in *auth. licet.C. de nat. libb. auth. ex complexu. C. de inceſt. & inut. nupt. Novell.* 12. *cap.* 1. *Novell.* 74. *cap. ult.* quos rigide examinat, & legislationis Juſtinianeæ nævum notat Ant. Matthæus *de crim. tit. quib. mod. crim. extingu. c.*3.*n.*7.

Legitimam humanis legibus tolli non poſſe) Maxima pars Doctorũ vult, legitimam materialiter,non ſub certæ quantitatis modo, ſed quoad ipſum ſucceſſionis jus ſpectatam eſſe juris naturæ. Legem igitur civilem efficere non poſſe, ut liberi in totum & ſimpliciter ſine ſuo merito a ſucceſſione parentum excludantur. Sed mihi tamen oppido placet ſententia Grotii, non aliter id admittendum eſſe, quam quatenus in legitima inſunt alimenta neceſſaria. Conveniens qui-

quidem est naturali rationi, ut liberi potius, quam alii in parentum hereditate succedant, id tamen, ubi alimentorum ratio habenda non est, ex jure naturali præceptivo non provenit. Et hinc est, quod miles non teneatur liberis in testamento relinquere legitimam, neque liberis præteritis querela competat, *l. 9. & l. 24. C. de inoffic. testam.* Sed interim tamen alimenta eis præstanda esse, ipsa ratio jubet. Vid. Zoes. *tit. de inoff. testam. num.* 109. *seq.* Perez. *Cod. eod. n.* 43. Add. Ant. Fab. *decad.* 15. *err.* 3.

§. 5. *Debentur quidem & parentibus alimenta*) Athenienses illos tantum parentes ali volebant a liberis suis, qui artibus eos erudiissent. Plutarch. *in Solon.* Ægyptii solas hic obligari volebant filias, filiis ab hoc onere prorsus immunibus redditis. Sed sine dubio jus naturæ nullum plane facit discrimen, quin tenetur unusquisque liberorum qualicunque parenti inopi & famelico alimenta dare; siquidem ut ingrediamur in hanc vitam, & hac luce fruamur, parentes scimus esse autores. Disputant quidem Azorius, Filliuccius & alii, num ex gentium jure liberi ita parentibus obligentur, an vero jure naturali? Et ex illo obligationem hanc deducunt. Sed magis est, ut posterius statuamus propter νόμον πελαργικὸν, quem explicat

cat Ariſtophanes *in Avib.* Nicol. Fuller. *l. 6. miſc. cap.* 10.

§. 6. *Repræſentationem*) Quatenus ſcil. loci occupatione defunctæ perſonæ quis ſuccedit, & ſic ejus præſentiam denuo exhibet. Hac ratione filius aſſumit gradum ſuccedendi, qui patri competebat, & ſimul omnia jura gradui cohærentia, quæ ſcil. competerent patri, ſi viveret. Joh. del Caſtill. *l. 3. controv. quot. c.* 19. *n.* 8. 9.

§. 8. *Qui quæve partui*) Pertinet huc curioſa cuſtodiendi & explorandi partus ratio a Prætore Romano præſcripta *l.* 1. *§.* 10. *ff. de inſpic. ventr.* Et refert Thomas Fazell. *de reb. Sicul. decad.* 2. *l.* 8. *cap.* 1. Conſtantiam uxorem Henrici VI. ne ſuſpicio eſſet, eam, utpote annoſam, uterum mentitam, partum marito ſuppoſuiſſe, in medio Panormitanæ Eccleſiæ veſtibulo, vel, ut alii volunt, in Apuliæ quadam urbe, tabernaculum ſibi tendi juſſiſſe, ibique ventre cuſtodito, nulla matronarum excluſa, palam & populo ſpectante Fridericum II. Cæſarem enixam eſſe.

Et ratio eſt conjugium) Fundamentum filiationis ex parte patris eſt legitima & juſta per nuptias cum uxore conjunctio. *l.* 3. *l.* 6. *ff. de his, qui ſui vel al. jur.* ex parte filii, nativitas in domo ex uxore ejus, *d. l.* 6.

d. l. 6. Ratio fundandi ex parte patris est tum potentia generandi, tum cohabitatio viri cum uxore, *d. l. 6. & l. 1. ff. de agn. & al. libb.* ex parte filii, naturale & non inusitatum partionis tempus, *d. l. 6, l. 12. ff. de stat. hom.* Nisi autem fundamento respondeat ratio fundandi, neque hæc cum illo satis cohæreat, non sufficiens erit illud ad probandam filiationem, *d. l. 6.* Quia tamen hic præsumptionibus utplurimum locus est, maluerunt Doctores semper in bonam partem de filii nativitate judicare, ut filius præsumatur natus ex marito, & legitimus, etsi mater adulterii convicta sit, *l. 11. §. 9. ff. ad L. Jul. de adult.* Anton. Gabriel. *l. 1. tit. de prob. concl. 14.* Nevizan. *in sylv. nupt. l. 1. n. 51.* etsi ultro fateatur, se filium ex adultero concepisse, *l. 29. §. 1. ff. de prob.* Petr. Costal. *ad d. l. 6.* Menoch. *de A. J. Q. l. 2. cas. 50.* Colleg. Argent. *tit. de inspiciend. vent. n. 6.* nisi contrarium evidenter probetur. De probatione filiationis ex professo agunt Fulv. Pacian. *de prob. l. 2. cap. 5. 6. 7.* Barnab. Cornazzan. *decis. 45.* Tessaur. *decis. 3.* Trentacinqu. 1. *resolut. tit. de filiat.* Gail. 2. *obs. 97.*

Possunt tamen adoptari) Quod de adoptione hic agit, plane ἄτοπον est, cum ex ea filiatio, quatenus secundum rationem naturalem in successione respicienda est, non probetur. Quod enim adoptati, qua tales, ad successionem admittantur, id juris civilis

U in-

inventum eſt, quemadmodum tota adoptionis materia.

Tale eſt matrimonium ad morgengabicam) Dicitur alias ad morganaticam. 2. *F.* 29. Utrumque vocabulum quia Germanicum eſt, ipſius negotii originem Germanicam non obſcure docet. Morganatica enim dicitur quaſi morgaganatica, a Germanico *Morgengnade*, & ſignificat donum matutinum, quomodo vocabulum *Gnade* ſæpe donum ſeu beneficium denotat. Morgengaba autem clarius id exprimit, & eſt ipſum vocabulum Germanicum *Morgengabe*, denotatq; interdum donum iſtud, quod maritus novæ nuptæ in precium interfectæ virginitatis altera nuptiarum die mane & ante prandium offert, inter Nobiles Germanos etiamnum uſitatum. Eſt inſuper alia adhuc ſpecies morgengabæ, quam uxor jure peculiari ex defuncti mariti bonis capit, de qua agit Hartm. Piſtor. *l.* 1. *quæſt.* 44. *num.* 2. Hinc vero videtur fluxiſſe, aut ſaltem ei cognata eſſe ſpecies tertia, Longobardorum moribus recepta, qua ipſis diebus nuptialibus conſtituitur & deſignatur certa bonorum mariti pars poſt obitum uxori danda. *l.* 2. *LL. Longobard. tit.* 4. *c.* 1. Huic reſpondet apud Franco-Gallos dotarium, noſtratibus *das Leibgedinge, oder die Leibzucht*; idque illis eſt veluti legitima & patrimonium liberorum ex

iſto

isto matrimonio natorum, quod si acciperent, contentos esse oportebat, nec hereditatem paternam cernere licebat. Est igitur ad morganaticam ducere uxorem nihil aliud, quam desponsare uxorem Lege Salica. 2. F. 29. id est, secundum consuetudines & jura Franco-Gallorum dotario ei constituto, quod liberi ex isto matrimonio nati, omissa hereditate patris, post mortem matris accipiunt. Add. 2. F. 26. §. 5. Et sub hac conditione inprimis matrimonia secunda, extantibus ex primo liberis, inita, aut mulierem ignobiliorem a marito nobili ductam ex *d.* 2. F. 29. colligere licet. Id vero etsi jure Justinianeo reprobetur *arg. l. ult. ff. de suis & leg. l.* 3. C. *de collat.* usu tamen invaluit. *d. tit.* 26. §. 5. *l.* 2. F. nec naturali juri adversari videtur, quia, etsi æqualitas ut servetur inter liberos, maxime sit naturali rationi conveniens, nequaquam tamen est ex jure naturæ præceptivo, sed in ἀδιαφορίᾳ relictum, & per consequens mutari pro lubitu potest.

Quale erat Abrahami cum Cethura) Non videtur tale pactum fecisse Abrahamus cum Kethura, quale initur per matrimonium ad morganaticam; sed longe post contractum conjugium liberis ex ea susceptis munera distribuit, & quidem eo tempore, quo de morte imminente cogitare cœpit.

§. 9. *In formula qua prodigo)* Formula talis erat: QUANDO TUA BONA PATERNA AVITAQUE NEQUITIA TUA DISPERDIS, LIBEROSQUE TUOS AD EGESTATEM PERDUCIS, OB EAM REM TIBI EA RE COMMERCIOQUE INTERDICO. Paul. 3. *sent. cap.* 4. & ibi Cujacius.

§.10. *At in bonis noviter quæsitis)* Possunt inter hæc aliqua titulo lucrativo esse acquisita, ut si quis ab extraneo forte legati nomine aut donationis causa aliquid accepit; quidni igitur ex principiis Grotii propter beneficii memoriam res legata aut donata ad heredes donantis potius & legantis, quam ad eos, qui defuncto charissimi fuerunt, perveniri debet? Nisi igitur ad beneficii materiam vel naturalis ratio, vel aliud quid, ex quo præsumptive de voluntate defuncti constare possit, accesserit, non videtur ea sufficiens transferendæ hereditatis ratio.

Quam tacitum testamentum) Sed hoc admodum improprie & tantum per interpretationem aliquam, quatenus qui adimere potuit hereditatem, non adimit. *l.* 1. *§.* 6. *ff. de leg.* 3.

§. 12. *Prioris generis regna)* Non a primo tantum acquirente, sed etiam quo-

quovis successore, ad quem imperium jure hereditario devolutum est. Ubi vero jure sanguinis, legis aut consuetudinis successio defertur, usque adeo disponi de ea per testamentum aut alias nihil potest, ut ne quidem primogenitus Regis aut alius proximior, cui regnum patrimoniale debetur, id vi testamenti vel alterius dispositionis capiat. Reinkingk. *de regim. sec. & eccles. l. 1. cl. 4. cap. 17. num. 36.*

§. 20. *Etiamsi postea hominium)* At ex præstito fidelitatis juramento res haud frustra arguitur feudalis. Vid. quos allegat Dn. Carpzov. *l. 1. respons.* 81. *num.* 12. circumstantiis scil. aliis concurrentibus. Vultejus *l. 1. de feud. c. 6. n. 8.*

§. 21. *Nam Gothi, Vandali)* De Gothis dissentit Giphanius *de jur. feud. c. 2.* tum quia Gothi non fuerunt Germani, tum quia in Gothorum Legibus, quæ supersunt, feudorum nulla fit mentio. Quicquid hujus sit, receptum nihilominus est, ut in decidendis feudorum controversiis passim ad libros Feudorum Longobardicos recurratur. Ut maxime enim illi nullo Germaniæ publico decreto vim legis acceperint, & etiamnum consuetudinum nomen & naturam retineant, nec proinde reliquo aliarum nationum juri feudali derogare possint. Limn. *ad cap. Carol. V. art.* 24. *n.* 35. ita tamen ho-

die obſervatur, ut ibi cauſa ex ſpecialibus inveſtituræ pactis aut ex jure ſingulorum locorum, familiarum & perſonarum ſpeciali aut ex conſuetudine provinciæ decidi nequeat, ex his libris deciſio petatur. Gothofr. Ant. *diſp. feud.* 1. *th.* 1. *lit. M.* neque id fit invitis Germaniæ Principibus, qui Fridericum Imper. imitati in Academiis ſuis publice libros iſtos doceri & permittunt & jubent. Arthur. Duck. *de autor. jur. civ. l.* 1. *c.* 6. *num.* 7. Ex quo fit, ut non amplius pro ſpecialibus Longobardorum conſuetudinibus habeantur, ſed pro jure communi, quippe quod & juris communis corpori inſerti ſint. Schrader. *de feud. p.* 2. *p.* 9. *pr. ſect.* 3. *n.* 123. *ſeq.*

§. 22. *Sed quæ linealis dicitur*) Ex legibus Romanorum non admittitur nepos jure repræſentationis, qui avo vivo non eſt conceptus. *arg. §.* 8. *Inſt. de her. quæ ab int. deſ. l.* 1. *§.* 8. *ff. unde cogn.* Id cum iniquum viſum fuiſſet, excogitata fuit alia ſucceſſionis ſpecies, quæ jure transmisſionis fieri dicitur, per quod ſcil. futura ſucceſſio quaſi delata filio transmittitur ad nepotem. Et cum ea de re ſæpe circa ſucceſſionem in principatibus quæſtio mota fuiſſet, principatus autem ut indiviſi permanerent, maxime utile videretur, iſtiusmodi jus transmisſionis alicubi ita obtinuit, ut reliqui agnati, etſi proximiores, plane excluderentur. Hac enim ratione primoge-

mogeniti filius præfertur patruo, ut maxime patruus eo tempore, quo pater ejus decessit, proximior fuerit. Inter recentiores omisso jure civili pristino jus hoc transmissionis etiam jus repræsentationis dici consuevit.

Hæc est successio Regni Castellæ) Legem Taurinam XL. repræsentationem collateralium contra jus commune, contra gentium omnium consuetudinem, contra statuta regnorum & pacta familiarum illustrium introduxisse, & hinc legem esse plane injustam, iniquam & minime approbandam, dixit olim Johannes Lupus, JCtus Hispanus & Consiliarius Regius, referente Menochio *lib. 3. Consil. 250. num.* 113. neque alibi quam in Castilia & Legione receptam & non modo a Lusitania, sed Arragonia quoque, Navarra & Sicilia repulsam scribit Autor *Disc. Exoter. de jur. repræsentat.* Atque hinc cum de Lusitaniæ regno inter Philippum Hispaniarum regem, & Catharinam uxorem Johannis Ducis Brigantiæ, qui duo ex consobrinis soli tum supererant, lis moveretur circa successionem, Philippus solum senioratus jus, Catharina vero jus repræsentationis urgebant. Iste casus superiore seculo valde agitatus fuit inter JCtos, & jus lineale accurate disceptatum. Qua de re videri possunt Jacobus a Saa *de primogenit.* Ludov. Molina *de just. & jur. tom. 3. part. prior. tract. 2. disp. 624. usq; 634.* Mich. ab Aguirra *consil. de success. regn. Portugall.*

tugall. Joh. del Castill. *controv. quot. part.* 3. *c.* 19. Goldast. *in Senior.*

§. 23. *Successio juris Francici)* propter Legem Salicam, quæ non fœminas tantum ipsas, sed etiam ex eis natos in perpetuum a successione regni arcet. Ad exempla, quæ proferri possunt in contrarium, respondet Carolus Annibal Fabrottus *in Epist. dedicat. quam præmisit libris* Βασιλικῶν *ad Franciæ Cancellarium Petrum Seguierium*, in defectu masculorum regni proceres æquius censuisse, ut ad regni successionem nati ex fœminis potius admitterentur quam exteri, non jure successionis aut cognationis sed liberæ electionis.

§. 25. *Imo etiam pro tacite exheredato)* Non videtur. Etsi enim ratio naturalis hoc casu jus det patri exheredandi filium, non tamen supplet id, quod in facto consistit.

§. 26. *Non potest liberis natis)* Qua ratione nec refutatio feudi antiqui nocere potest liberis. Zas. *de feud. part.* 10. *num.* 88. Ludwel. *synops. jur. feud. cap.* 15. *p.* 392. In hoc tamen videtur inter feuda vulgaria & principatus esse differentia, quod illic liberi ad feuda non admittantur, quamdiu in vivis est pater refutans, nisi ipsis liberis refutatum

id

id fuerit. At in regnis & principatibus, quia perpetua indigent cura, & per qualemcunque moram aut cessationem facile detrimentum patiuntur, illico admitti debent, quibus per linealem successionem deferuntur.

§. 27. *De judicio jurisdictionis)* Hoc ita intelligo, præsentem regem non posse cogere eum, quem sibi succedere vult, ut succedat, neque prohibere posse alios, quo minus aliquando succedant, ac proinde vanum esse tale judicium. Id vero etsi negari nequeat, observatum tamen est, salutare esse Reipubl. sicubi rex certum sibi successorem nominaverit. Hinc enim reprehenditur Alexander M. quod rogatus, quem imperii heredem faceret, non nominatim aliquem pronunciaverit, sed dignissimum sibi succedere debere dixerit.

§. 28. *Qui autem partem ferret in dividuo)* Argumentum hoc non concludit firmiter, Potest enim justior esse alterius successio in re singulari, ut maxime in rebus aliis partem ferat. Et sunt, qui talem filium regni successorem admittere nolunt, quos refert & sequitur Schraderus *tract. feud. p. 7. cap. 5. n.* 37. Nos tamen in thesi a Grotio non dissentimus.

Sed & in lineali succeßione) Hic tamen claudicat ratio, quam Grotius supra §. 22. *in fin.* adduxit, fundamentum successionis linealis esse spem populi de optima educatione eorum, qui spem regni habent justissimam. Quid enim sperare poterit de educatione ejus, qui spem regni nondum habuit?

§. 30. *Rationes, quæ ex Legibus Romanis)* Intelligit forte eas, quibus dicitur, quod proximior gradu excludat ulteriorem, per *l.* 1. §. 6. 8. 10. *ff. unde cogn. l.*4. §. 2. 4. *& 6. ff. de suis & legit.* Sed hoc tantum intelligendum est de linea collaterali. In linea enim descendentium, de qua hic agit Grotius, ne quidem jure civili, proximior remotiorem excludit. Vultejus *ad* §. 2. *n.* 5. *Instit. de legit. agnat. success.*

§. 31. *Pari distinctione)* Vid. Hottomann. *quæst. illustrium* 4.

Caput VIII.

§. 1.

Sed aut referendos ad jus naturæ) Hoc non prorsus negabit JCtus, sed

ſed hoc tantum reſpondebit, æquivoce dici tum jus naturæ, tum jus gentium, ut ipſe innuit Imperator *§.9. J. de R. D.* Vid. Hahn. *obſ. in Weſenb. tit. de A. R. D. n.* 8. Et alias dixi, jus gentium primævum coincidere cum jure naturæ ſecundario. Cæterum etſi negavimus ſupra feram dominii introductionem, & antecedentem hanc rerum omnium communionem, æque tamen cum autore nunc aſſerimus, occupationem & inventionem rerum, quæ nullius ſunt, eſſe naturalem. idcirco tamen eas nullius eſſe diximus, non quod nunquam alicujus fuerint, ſed quod eſſe alicujus deſierint, quemadmodum & alia pro derelictis habita.

A Græcis venerat) Romani enim olim per legatos, a Græciæ civitatibus leges petierunt, ex quibus deinceps ortæ ſunt leges XII. tabularum. *l.2. §.4. ff. de O. J.*

§. 2. *Sylvæ bene circumſeptæ*) At de his non capiendum eſt, quod dicit Nerva. quanquam enim agat de ſylva circumſepta & de ſtagno, non intelligit tamen id de prorſus præcluſis, ſed de iis, ex quibus elabendi via adhuc ſupereſt. Franzk. *ad §.10. J. de R. D. n.* 8. Et ut detur, ubique præcluſos eſſe exitus, ipſa tamen hæc cuſtodiæ differentia libertatis modum continet, alibi magis, alibi minus adſtrictum. Si maxime ſylvæ

ſylvæ circumſeptæ ſint, gaudent tamen adhuc libertate ſua feræ incluſæ, nec in cujusquam adhuc manu ſunt. Sint piſces in ſtagno, nec propterea tamen capi tam facile poſſunt, & fieri poteſt, ut non capiantur, ſecus ac piſces, qui in piſcinam conjecti fuerunt. Dn. Tabor *in expoſit. artic.* 169. *Ordinat. pœnal. Caroli V. num.* 6.

§. 3. *Atqui in rebus omnibus aliis*) Sed ratio differentiæ clara eſt & perſpicua. Feræ enim per amiſſionem libertatis fiunt noſtræ. Ergo & per recuperationem libertatis noſtræ eſſe deſinunt, & per conſequens dominium earum in actuali poſſeſſione conſiſtere cenſetur. At reliquæ res non habent hanc naturalem libertatem, Harprecht *ad* §. 12. *J. de R. D.* Franzk. *d. l.* Quin quia novit Dominus feram iſtorum animalium naturam, non poteſt aliter dominium ſuum ſalvum habere, niſi per diligentem cuſtodiam, & exhinc igitur ejus animi eſſe debet, ut tamdiu dominus eſſe velit, quamdiu cuſtodit, aut ſaltem in eo eſt, ut cuſtodiat. Quod ſi intermiſerit cuſtodiam, & fera elapſa fuerit, quia in hunc eventum dominium ſuum deſinere bene novit, fera non immerito fit noviter occupantis, etiam in foro conſcientiæ, utcunque hic feram Titii aut Seji antea fuiſſe ex crepundiis aut aliundo notum habeat.

§. 4.

§. 4. *Dum duo adsint*) Quatuor ad capturam hanc requirit Donellus. 1. ut ita irretita sit fera, ut diutius luctando se expedire non possit. 2. ut laqueus in suo aut in alieno domini permissu positus sit, nam si in publico, fit cujusvis; si in alieno, domini eximentis. 3. ut locus sit clausus, ne extraneus possit accedere. 4. ut qui posuit, sciat, captum esse aprum, quia ignoranti nihil acquiritur. Tertium displicet enucleatori Hilligero *lib.* 4. *cap.* 8. *lit. D.* Quartum in nudis terminis juris naturæ itidem non videtur necessarium, quandoquidem ad acquisitionem ejusmodi sufficere videtur voluntas præcedens generalis, qua ponendo laqueum, id omne meum esse volo, quod in eo capietur. Sed nec secundum quidem satis recte se habet, quia laqueus, quem ego in publico aut alieno posui, propterea non est publicus aut alienus, & per consequens, quod in meo capietur, id meum erit.

§. 5. *Cum ad dominium producendum*) Hoc non videtur procedere in feris, quæ in naturali sunt libertate, & de quibus ipse Grotius *supr.* §. 3. dixit, quod earum dominium a possessione incipiat. Et sequeretur alias, posse feram ex territorio meo in vicini territorium vagantem a me vindicari, quod nemo Principum hactenus ad-

admisit. Ante capturam igitur nec ipse Princeps dominium habet ferarum. Vid. quæ notavi *supr. l. 2. c. 2. §. 5.*

§. 7. *Naturaliter fiunt inventoris*) Vult tamen naturalis æquitas, ut ad dominum fundi aliquid ex thesauro invento perveniat. Si enim avitus fuerit fundus, a majoribus repositam fuisse pecuniam verisimile est; sin noviter comparatus, uti in ipsam rei substantiam, dominium quod quis habet, fertur, ita non minus in omnia ea, quæ, licet ignorata, contenta tamen hactenus in re ista fuere, ita ut fundi beneficia haud immerito dicantur.

Romanorum Imperatorum leges) Vid. Ægid. Hortens. *ad §. Thesauros. Instit. de R. D.* Elbert. Leonin. *lib. 1. emendat. cap. 11.*

Nam & in Germania) Locus, quem hic in notis allegat Grotius *ex art. 35. l. 1. Speculi Saxonici sive Landrechts*, aliter jam diu & ab ipso Augustissimo Saxon. juris interprete Electore Saxoniæ *l. 2. const. 53.* explicatus est, licet id parum modeste reprehendat Bachovius in Treutl. *vol. 2. disp. 20. thes. 2. lit. G.* notatus Carpzovio *ad dict. constitut. def. 4.* add. Berlich. *p. 2. conclus. 66. num. 20.*

§. 8.

§. 8. *Tum vero in fluminis inundatione)* Quos hic notet auctor Jurisconsultos, quique simul eam, quam §. 10. refutat, sententiam tueantur, non opus est, ut curiose inquiramus. Diserte enim eorum opinioni repugnat *l.* 24. §. *ult. ff. quib. mod. ususfr. amitt.* Dicitur autem in *l.* 23. *ff. eod.* proprietas amissa hoc sensu, quod, quatenus aqua nondum recessit, incertum sit, cuinam addictura sit, num recedendo domino priori, an vero manendo & alveum faciendo publicum sit factura, quo sensu ager etiam restitui *d. l.* 24. *& l.* 30. *de A. R. D.* non possideri interim *l.* 12. *ff. de reb. aut. jud. poss.* ususfructus ejusdem amitti & restitui *d. l.* 23. dicitur. Amittitur ergo tali casu proprietas propter metum plenariæ ademptionis, & restituitur deinceps propter metum istum sublatum, quanquam revera nondum fuerit adempta. Nec infrequens est in jure nostro, ut potentia habeat nomen actus, & ut restitui dicatur illud, cujus saltem usus ademptus est, quomodo res etiam furtiva restituitur, quanquam dominium nunquam fuerit ademptũ. Add. Bachov. in *Tr. vol.* 2. *disp.* 20. *thes.* 5. *lit. G.* Cæterum neque ex occupatione, neque ex reversione fluminis, sive paulatim sive repente facta, statui certi quid potest, sed totum id ex circumstantiis est judicandum. Probabile tamen est, si flumen uno impetu occupa-

pa-

paverit agrum, non protinus amissum censeri dominium, sed amissum censeri, si sensim & paulatim occupaverit. illo enim casu vera præsumitur inundatio, post quam flumen paulo post regredi, & intra alveum suum recipi atque contineri deinceps solet. hoc vero non exundatio amplius est, sed novi alvei occupatio. Quod si vero etiam in repentina effusione alveum novum fecerit, etiam tum dominium amitti, verior est JCtorum sententia. Vid. Bachov. *d. l.*

§. 9. *Utrumque est populi*) Respondet Vinnius *ad* §. 22. *n.* 6. *J. de R. D.* alveum non simpliciter publicum esse, sed quatenus a flumine tenetur, eoque per flumen populus utitur. Quia igitur propter flumen demum alveus publicus est, sequitur, recedente flumine, nullum amplius esse alvei usum publicum. *l.* 30. §. 1. *ff. de A. R. D.* sed ex præsumpta populi voluntate pertinere ad prædia vicina. Nisi diversum quid lege civili fuerit introductum, quod de insulis testatur Gryphiander *cap.* 11.

§. 10. *Quod Romani rejiciunt*) In citata ad marginem *l.* 23. *ff. quib. mod. ususfr. amitt.* non agitur de retentione possessionis, sed ususfructus. Et ratio est, quia ususfructus agri non consistit in piscatione. Alibi autem dicitur etiam ipsa possessio amitti, *l.* 3. §. 17.

§. 17. de acquir. poss. & l. 12. §. ult. ff. de reb. aut. jud. poss. Verum quia etiam in piscinis, stagnis, fossis & lacubus possessio locum habet, quo minus ager inundatus, si non ut ager amplius, saltem ut stagnum aut lacus possideri, & possessio per piscationem retineri queat, ratio naturalis nulla repugnat. Atque hinc puto, nec a Principe quidem occupari talem agrum inundatum posse, nisi intersit Reip. agrum siccari, & hoc facere nolit ejus dominus.

§. 12. *Jus illud concedere potest*) Quando agri sunt arcifinii, non videtur opus esse concessione aliqua speciali, sive expressa sive præsumpta. siquidem ad flumen, quod populi est, continendum sufficit extremum Terræ adjacentis aut alvei labrum, neque fluminis nomine amplius venit terra adjecta, relicta ripa aut siccatus alveus. ut ita acquisitio talis ex prima potius assignatione, qua scilicet ad flumen usque ager alicui concessus fuit, proveniat.

Dum tamen vendantur non admensuram) Scilicet, ut nostri loquuntur, ubi non taxationis aut restrictionis, sed demonstrationis causa modus aut mensura agri adjicitur. De quo juris articulo, & quousque venditor emptori teneatur. vid. Franzk. *in ff. de act. empt. n. 104. seqq.*

§. 14. *Ut discretum videatur*) Discretum quidem est, sed non ita, ut ex dominio statim exeat, cum causa proprietatis non mutetur, sicubi agrum alicujus, qui alvei non fuit, amnis circumfluat, *l.* 30. §. 2. *ff. de A. R. D.*

§. 16. *Nisi ubi ex re nostra commoda existunt*) Imo sufficit, commodum & incommodum ex eodem fonte promanare. Aug. Barbosa *in axiom. l.* 3. *cap.* 31. Quia igitur incommodum ex amne ferendum est, etiam commodum, quod ex ejus beneficio nascitur, ad dominum agri pertinebit.

§. 17. *Sed & quod ajunt*) Solicitat hic Grotius *l.* 38. *ff. de A. R. D.* Sed ibi perspicua ratio datur a JCto, quod & ipsa via pars fundi sit, videlicet initio ex privatorum possessionibus decisa, ut proinde vicinis ea, quæ trans viam a flumine destituuntur, acquiri æquum sit. Bachov. *ad Treutl. vol.* 2. *disp.* 20. *th.* 5. *lit. G.*

§. 18. *At si probabili ratione*) Grotii hæc sententia non probatur Vinnio in §. 19. *J. de R. D.* Sed competere tamen partem aliquam geniti animalis licet minimam genitori masculo aut domino maris, non videtur naturali rationi adversū, quanquam

quam ut dimidia debeatur, ei quodammodo repugnet. Et ex hoc utplurimum domino equi, aut bovis admissarii nonnihil pro impraegnatione rependitur, ut scilicet quod deinceps natum fuerit, in solidum cedat domino ventris, quemadmodum & illi, cujus frumento agrum meum consevi, satisfaciendum est. Id vero notandum, agere hic Grotium de acquisitione, quae fit per genituram animalium, quo referuntur etiam jure Romano partus ancillarum. Alias si de statu quaestio est, ita rem definiunt leges Romanae, quod matrem sequatur, qui nascitur sine legitimo matrimonio, *l. 24. ff. de stat. hom.* patrem vero, qui legitimis nuptiis praecedentibus nascitur, *l. 19. ff. eod.* inprimis vero si de familia & dignitate quaestio fuerit.

§.19. *Naturaliter rem communem fieri*) Neque haec Grotii sententia placet Vinnio *in §. 25. J. de R. D.* Sed videtur tamen ea naturali rationi convenientior, quandoquidem extincta vere dici nequit materia, quae adhuc extat, utcunque ea in pristinum statum redigi amplius non potest. Nec vero sufficit consideratio & distinctio communiter recepta, utrum in priorem rudem materiam species reduci possit, aut non possit. Quid enim, si ab insigni artifice, qui parem non habet, ex auro vas conflatum fu-

erit, cujus precium ex ſolo artificio æſtimatur, quis erit tam inconſideratus, qui vas iſtud ad priorem rudem materiam reduci velit? Et quis ergo hic non plus artifici tribuet, quam auri domino.

§. 21. *Alterum ab altero diduci non poſſe, quod ſcripſit Ulpian9)* At ſi credimus Carolo Molinæo *tract. de mutat. monet. quæſt.* 100. *n.* 44. Ulpianus hoc non de diviſione vel ſeparatione phyſica & naturali, ſed civili & utili intellectum voluit, quatenus ſcilicet in judicio communi dividundo diviſio commode fieri non poſſit, cum ſive æs abſumatur, non ſit diviſio, ſed peremptio; ſive æs reſervetur, non commoda, ſed damnoſa ſit diviſio. Nec igitur faciendum cum iis, qui Ulpiani ſententiam corrigi debere contendunt, quod chryſulcæ aquæ vi aurum a quovis metallo ſeparari poſſit. Alciat. *l. 6. parer. c.* 11. Lud. Ruſſard. *ad l.* 5. *ff. de R. V.* Æs enim tum perit & extinguitur. Borcholt & Heig. *ad §.* 27. *J. de R. D.*

Aut ferruminatione confuſionẽ fieri) Dicitur confuſio eo, quod hujuſmodi juncturâ ſeu ligatura ex ejuſdem generis materia fit, ut quando ferrum ferro mediante ferro, aut argentum argento mediante argento jungitur. Non autem omnes

partes

partes ferri aut argenti inter se confunduntur, ut intelligit Grotius, sed quod ita acquiritur, non tam propter confusionem, quam jure accessionis acquiritur. *l. 23. §. 5. de R.V.* Si enim neutra alteri accessioni est, sua cujusque res manet, *l. 27. de A. R. D.*

Ut huic tabula cedat) Non agam jam de dissensu, qui fuit inter Cajum & Paulum JCtos. Id tamen pro Cajo facit, quod scriptura non æque æstimetur, atque pictura, & hinc potior picturæ habeatur ratio. Nec vero tam iniqui sunt Jurisconsulti, ut propter picturam pictori tabulam omnino acquisitam, & priori domino prorsus ademptam velint, sed hæc est ipsorum sententia, in contentione domini tabulæ & pictoris, potiores hujus esse partes, ut tamen si pictor tabulam possideat, dominus tabulæ utilem rei vindicationem adhuc habeat, ut vel tabulam restituat pictor, vel precium ejus solvat. Non aliter ergo cedit tabula picturæ, nisi quatenus æquitas suadet, ut pictor potius eam habeat propter artificium, quam verus ejus dominus, ut tamen hic indemnis servetur.

§. 22. *Atqui alimentum*) Non in solo alimento rationem decidendi quærunt Jurisconsulti, sed simul in coalitione, *l. 9. §. 2. ff. de damn. infect.* quod tum quasi alia planta aut alia arbor credatur. Nec enim

meá dici poteſt, quæ nec terræ aut ſolo meo amplius cohæret, nec ſuccum aut alimenta ex eo petit. Vid. Dn. Tabor. *in racemat. crim. ad tit. ff. arb. furt. cæſ. n. 26. 27.*

§. 25. *Quod & ipſi Juriſconſulti)* In plerisque his fictionem aliquam inferunt Juriſconſulti, ne nimium decedat traditioni, quam naturaliſſimum transferendi dominii modum credunt. Sed tamen ex ſolo jure civili eſt diſtinctio illa emtionis & permutationis, quod ſcil. in emtione nudo conſenſu obligatio contrahatur; in permutatione vero tum demum, quando res tradita eſt.

§. 26. *Jam inde quoque exteris jus naſci)* Non naſcitur. Diximus ea de re ſupra *ad lib. 2. c. 2. §. 19. ſeqq.*

Caput IX.

§. 1.

Quia voluntate ceſſante non manet dominium) Contrarium dicitur in *l. 17. §. 1. ff. de acquir. vel am. poſſ.* contrarium etiam ab ipſo autore ſupra *c. 4. num. 3.* ubi nudis animi actibus, per ſigna non indicatis efficientiam juris tribuere veretur. Et certe duo requiruntur, ut res pro derelicto habita cenſeatur, 1. voluntas, ut quis rem am-

amplius suam esse nolit. 2. voluntatis declaratio, ut rem, quam suam esse amplius non vult, abjiciat aut deserat.

§. 3. *Spiritum unum, ut Paulus Jurisconsultꝰ loquitur*) Tota ista distinctio, quæ extat *l.30. ff. de usucap.* est ex Scholis Stoicorum. Cujac. *l. 26. observ. ult.* qui bimembrem eam facit, *l. 15. obs.* 33. Dicitur autem spiritus Stoicis vis cujusque rei continuatrix, seu vis ipsa naturæ, quæ rem coadunat & devincit, ut unam efficiat, veluti spiritu quodam eam permeante aut per eam diffuso, atque exhinc cohærens corpus & continuatum diciturCiceroni. Talem autem spiritum Jurisconsulti cōntinuis tantum corporibus, & quæ perpetuo opere unum quid sunt, tribuunt, non iis, quæ ex distantibus constant, ut hic Grotius, quippe quorum partes propriis extremitatibus terminantur, & uni tantum nomini subjecta dicuntur. Ipse Jurisconsultus Paulus, ad cujus autoritatem hic provocat Grotius *in l.23.§.5. de R.V.* de statua loquitur, quæ utique ex distantibus non constat. Quanquam absurdum non sit, extra Jurisprudentiam etiam in populo & quavis universitate talem spiritum ἀναλογικῶς fingere.

§. 4. *Qui populum facere nequeant*) Quot vero requirit Grotius homi-

mines ad faciendum populum? Num decem cum Althusio *l. 1. dicæol. c. 8. n. 15.* an plures cum Alciato in *l. 40. in f. ff. de V. S.* imo vero etsi multitudo populum ab initio constituat, conservari tamen potest idem in paucioribus, tum enim totum jus saltem quoad habitum ad residuos illos recidit, *l. 7. ff. quod cujusque univ. nom.* Add. Losæus *de jur. universit. p. 1. c. 1. n. 30. & 35.*

§. 8. *Idem enim est populus*) scilicet quod effectus quosdam juris attinet. Physice enim si rem æstimes, vix dici poterit idem populus nunc existens cum eo, qui abhinc centum annis fuit. Alexand. ab Alex. *l. 3. gen. dier. cap. 1.* imo etiam in qualitate morali diversitas subest, mutata scilicet conditione, ubi ex libero populo servus factus est, &c.

§. 11. *De his quæ Romani Imperii fuerunt*) Sed quænam sunt illa, num omnia illa, quæ Romani habuerunt imperio adhuc florente? At de his frustra instituitur quæstio. Potuerunt enim Romani occupata & possessa iisdem titulis, quibus acquisiverant ante, & quibus vulgo acquiri res solet, vicissim amittere. Et amiserunt etiam pleraque omnia, quandoquidem eo tempore, quo Carolus Magnus regnum Italiæ devictis Longobardis occupavit, in Imperio Occi-

den-

dentali amplius Romanæ possessionis fuit nihil, præter duas Urbes, Romam & Venetias.

Mihi non præsumenda videtur mutatio & translatio) Translatio revera facta fuit tum Caroli Magni, tum vero Ottonis I. tempore; & documenta in hanc rem certa exhibet Cl. Conringius *de Germ. Imp. Rom. c.* 7 *&* 10.

Et imperium penes eum mansisse) Non mansit. Erroneum enim est, quod vult Grotius, imperium radicaliter & fundamentaliter esse in populo, formaliter in Rege; aut, ut loquitur ipse *§. præced.* 8. imperium in Rege esse, ut in capite, in populo manere, ut in toto. Jamdiu enim explosa est divisio majestatis in realem & personalem. Vid. quæ notavimus *lib.* 1, *cap.* 3. §. 7.

Idem jus faciendi habuit) Habuerit, an non habuerit, incertum est; idque si habuit, exequendi tamen potestate ut plurimum caruit, vel quia successor illico existens id prohibuit, vel quia exercitus rerum summam & jus faciendi imperatorem ad se rapuit. Quo casu sive approbasset populus factam ab legionibus electionem, sive minus, gerebat electus personam imperantis. Nec enim libera semper erat approbatio, sed ple-

rumque coacta. Tempore Ottonis contulit populus Rom. interprete Leone Papa Imperatori facultatem eligendi successorem, *can.* 23. *dist.* 63. Et sic liberum jus faciendi omnino abdicavit.

Imo & electio Imperatoris ad populum) Varia fuit Imperatorum Romanorum successio, & ab initio usque ad Cajum ex adoptione fere hereditaria. Postea in electionibus plerumque prævaluerunt exercitus, qui quandoque palam venale exposuerunt imperium, ita ut assensum tantum suum præbere, & vel invitus electum approbare cogeretur populus reliquus. nec nisi ter ante militum suffragia a Senatu creati leguntur Imperatores, Nerva scil. Balbinus & Pupienus & denique Tacitus.

Sed tunc quoque electionem factam) Atqui divisa ista Orientis & Occidentis imperia modo a pluribus, modo ab uno regebantur, & ea lege divisa erant, ut sibi mutuo succederent imperantes. Non igitur electione, sed hereditario jure deferebatur imperium.

In Urbis suæ prærogativa) Eo quod omnia illa Orientalia Romanis auspiciis essent parta, & veteri Romano imperio accessissent.

Fæ-

Fœminæ Irenes ſubiiſſent imperium) Imo potior & prima cauſa fuit, quod urbs Roma liberam ſe a jure Cæſaris Conſtantinopolitani, deſperato ſcil. contra Longobardos ipſius auxilio, credidit. Et defectionis hujus jam ante factum fuerat initium per rebellionem illam ſolemnem adverſus Leonem Iſaurum, poſtquam Pontificum nequitia, qui reliquias imperii Occidentalis ad ſe trahere diſcupiebant, haud parum eam rem promovit.

Ac voce primi civis) Dicitur tamen ab Anaſtaſio in vita Leonis, quod Carolus ab omnibus, tum ſcil. in Baſilica præſentibus, conſtitutus fuerit Imperator, & quod univerſi fideles Romani unanimiter altiſona voce acclamaverint.

Ita tamen ut jus ſibi aliquod retineret probandæ vel improbãdæ) Imo vero imperium ad Carolum & ejus ſucceſſores pertinuiſſe videtur jure hereditario, quandoquidem & hoc modo id antea tenuerunt Cæſares Conſtantinopolitani, in quorum jura ſucceſſit Karolus. Ipſe Karolus, tum & filius Ludovicus & porro Lotharius atque Ludovicus II. ſucceſſores ſibi in imperio conſtituerunt plane inconſulto Ponti-

fice

fice & populo Romano. Et Ludovicus I. etiam ante coronationem tum imperatorium nomen gessit, tum potestatem exercuit in urbem Romam & ipsum in ea Pontificem. Vid. Conring. *de German. imper. Rom. cap.* 7. Tempore vero Ottonis Magni potestas eligendi urbis Romæ Imperatorem ab ipso toto populo Romano in perpetuum ad Germaniæ Rempubl. denuo est translata, quod clarissime docet can. *in synodo.* 23. *dist.* 63. Vid. Conring. *c.* 10. *pag.* 79.

Hæc quoque approbatio per Episcopum edici) Falsum hoc est, approbatione Papali opus esse, ut Rex Germaniæ sit Imperator Romanus. & coronatio nuda est ceremonia, nullam vel confirmandi vel approbandi facultatem involvens, cum præsertim ostendi possit, tum Karolinæ familiæ, tum Ottonis Magni successoribus jura Cæsarea competiisse ante omnem coronationem.

Rex regni Italiæ) Regnum Italiæ & Romanum imperium temporibus Karolinis prorsus erant distincta, & regnum Italiæ habuit Carolus, antequam titulum imperatorium acciperet. Male igitur habentur hic pro æquipollentibus.

Quo

Quo jure Episcopus Romanus vacante imperio) Cum regnum Italiæ nullo nunc jure ad urbem Romam pertineat, neque Papæ in regno illo jus competet Vicariatus. Neque de tali vicariatu quicquam invenies in annalibus.

Posse ei vicarium dari ab ipso populo Romano) Falsum & hoc est, cum in Germaniam & Longobardiam, imo neque in suam urbem quicquam amplius competat majestatis populo Romano. quin totum id ad Germaniam hodie spectat, & Imperatorem dare & Vicarium. Totum hunc Grotii discursum prolixe examinat Limnæus *in addit. ad jus publ. tom. 5. ad lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 24.

CAPUT X.

§. 1.

NEque enim obligatur ad impossibile) Præsupposuit, habere eum rem nostram in sua potestate. Non igitur tali impossibile erit rem restituere.

Ita introducto dominio hæc quasi societas) Non ex jure societatis hoc provenit, sed ex ipsa natura dominii, quate-

quatenus ego rem, quæ mea non eſt, pro mea habere prohibeor. At ſi prohibeor, neceſſe eſt, ut eam alteri relinquam. Cui autem potius relinquenda aut reſtituenda erit, quam vero ejus domino.

Neque hic conſideratur, bona quis, an mala fide) Malæ tamen fidei poſſeſſor non ex delicto, ſed ex re ipſa videtur teneri ad id, ut rem ſuis impenſis reddat, quia ſcilicet rem reſtituere tenetur cum omni cauſa, ad quam cauſam etiam pertinet id, quod impenſarum nomine abeſſe poterit domino.

Juſtior nimirum eſt repetitio domini) Interdum juſtior non eſt, & fieri poteſt, ut contractus poſterior ex dominio exceptionem non accipiat, quomodo nauta creditori potius rem oppignoratam inferenti, quam debitori domino de recepto tenetur, *l.* 1. *§. ult. ff. naut. caup. & ſtab.* Vid. Duaren. *ad l.* 11. *ff. ſol. mat.*

Et hoc eſt, quod ait Marcianus) Condictio, quæ datur domino adverſus non-dominum, eſt extraordinaria, irregularis & degenerans. Et licet de tali pro materia ſubſtrata loquatur Marcianus, ſimul tamen & ordinarias comprehendit, quæ non

non domino dantur adversus dominum.

§. 2. *Ex actu servi institoris*) At æquitas hæc, si qua est, non oritur ex dominio, ut promittit Rubrica hujus capitis, sed ex alio fonte, videlicet ex ipsa natura contractus. Et talia sunt hic adducta exempla plura. Nec æquitas proprie dici potest. Post factam enim denunciationem non institoria amplius datur actio, sed vel de peculio, vel de in rem verso, quæ utraque non tam ex æquitate & benigno jure, quam ex ipsa negocii natura proficiscitur.

Utilis ni fallor) Cur vero utilis? Negocium enim gestum est ipsius defensoris, qui fidejussoris pecunia liberatur, & hoc sufficit ad negociorum gestorum actionem. Nec obstat, contemplatione matris fidejussionem interpositam fuisse, quia non ipsius matris, sed defensoris negocium gestum est, quod ex intentione gerentis actionem non mutat. Alias enim nec contra pupillum actionem haberet, qui contemplatione tutoris pupilli negocium gessit, nec ille adversus me, qui non mei contemplatione, sed sui lucri causa negocium meum gessit. Et utrobique tamen actio datur. *l. 6. pr. & §. 3. ff. de negoc. gest.* Sed etiam tum locum habet actio negociorum gestorum, quando mandatum interpositum non consistit, ut in *l. 19. §. 2. l. 36. ff. eod.*

Utilis

Utilis vindicatio in rem) Non ultra tamen, quam pecunia ejus fuit, quia non agere poteſt, niſi ad id, quo pauperior facta eſt, non ad id, quo vir eſt magis locupletatus. Ut ſi dedit centum, ex quibus vir emit fundum, qui jam valet ducenta, aget uxor ad centum, utilemq; in eam rem actionem habet, non ad totum fundum. Lud. Ruſſard. *ad l. 55. ff. de Don. int. V. E. U.*

Similiter ſi cum debitore meo) Supplendum eſt ex *l. 32. ff. de R. C. quem tibi promittere juſſi*, ut ſcilicet hoc meo facto pecunia mea, hoc eſt, a debitore meo mihi debita, ad te perveniat. Niſi enim factum meum iſtiusmodi præceſſerit, nulla mihi comparari poterit obligatio.

Poſteriores quoque juris Interpretes) Vid. Menoch. *de recup. poſſ. remed.* 4. Joh. Bapt. Coſta *remed. ſubſid.* 12. & *illat. adject.*

§. 3. *Non teneri ad ullam reſtitutionem)* Niſi judicium exceperit, & res poſt lit. conteſt. culpa aut dolo ipſius perierit. Quia enim poſt lit. conteſt. malæ fidei incipit eſſe poſſeſſor, *l.* 10. *C. de acquir. poſſ. l.* 25. *ſ.*

25. §. 7. *ff. de hered. pet.* culpa facit, ut in æstimationem condemnetur, ita tamen, ut ubi possessio tantum amissa fuerit, actiones ipsi cedendæ sint, si petierit, *l.* 36. *§.* 1. *l.* 63. *ff. de R. V.* dolus autem, ut condemnetur, quanti actor in litem juraverit, actiones autem ipsi cedendæ non sint. *l.* 69. *l.* 71. *de R. V.* Quod si autem sine culpa possessoris res periit, prorsus absolvendus est, sicubi contra eum actio intentetur. *l.* 27. *§.* 1. *de R. V.*

§. 4. *Nam industriæ fructus)* Imo saltem ex parte debentur rei, ex qua proveniunt, argumento ejus, quod supra voluit Grotius, partum etiam ad patrem pertinere, eo quod patris etiam pars sit, *c.* 8. *n.* 18. Et naturale magis videtur illud, ut dominus aut precium ejus, quod impensum est, solvat, aut si id nolit, patiatur sumptus & industriam cum fructib9 pro rata pensari, proq; illis partem fructuum possessorem retinere.

§. 5. *Nam in hoc locupletior censetur)* Hoc ipso enim, quo non est pauperior factus, locupletior est. *l.* 47. *ff. de solut.* Et hanc sententiam æquiorem, contrariam tamen, quæ de fructibus consumptis nō teneri b. f. possessorem etiam locupletiorem factum contendit, in puncto juris veriorem dicit Hahn. *Obs. in Wesenbec. tit. de R. V. num.* 7. Doctores plerique distinctionem faciunt

inter judicium universale hereditatis petitionis,& singulare, ita ut illic demum, non hic de consumptis teneatur b. f. possessor. A quibus tamen discedunt Hartm. Pistor. *p.* 4. *quæst.* 25. & *q.* 26. *num.* 19. & alii, quos sequitur Dn. Carpzov. *p.* 3. *const.* 32. *def.* 28. Quicquid sit de jure civili, in æquitate naturali utique prævalet sententia Grotii, quam etiam defendunt Theologi morales, Bonacin. *de restit.* D. 1. *q.* 3. *part. ult.* §. 1. *num.* 7. Joh. de Dicastill. *de just. & jur. l.* 2. *tr.* 2. *disp.* 5. *dub.* 3. *n.* 28. *seq. num.* 60. *seq.* Paul. Laymann. *l.* 3. *tr.* 2. *cap.* 3. *num.* 7. præsertim, si, ut facit Grotius, ita limitetur, *si b. f. possessor alias quoque tantundem consumpturus fuerat.*

§. 7. *Non teneri*) At si ἀντίδωρα expectat a donatario, videtur eatenus factus locupletior.

§. 8. *Non teneri*) Vid Franzk. *resol.* 8. *per tot.*

§. 9. *Septimo, rem alienam bona fide emptam*) Vid. & hic Franzk. *l.* 2. *resol.* 9.

Nullum enim habet eorum fundamentorum) Quippini? cum æquitatem, quæ subest, naturalem satis explicet Imp. §. 1. *J. de Obl. quæ ex q. contr. nasc.* scilicet, ne absentium, qui subita festinatione coacti,

coacti, nulli demandata negociorum suorum administratione, peregre profecti essent, desererentur negocia: quæ sane nemo curaturus esset, si de eo, quod quis impendisset, nullam habiturus esset actionem. Adde Ulpian. *in l. 1. ff. negoc. gest.*

Quod de funeraria) Non sequitur, funeraria actio pinguior est actione negociorum gestorum. Ergo actio negoc. gest. non habet fundamenta naturalia. Quod autem pinguior sit, hanc habet rationem, quia qui propter funus aliquid impendit, cum defuncto contrahere creditur, non cum herede. *l. 1 ff. de religios.* Utut ergo prohibeat heres, consistet nihilominus negocium cum defuncto, & exhinc dabitur actio funeraria, *l. 14. §. 13. de religios.* At ubi prohibitus fuero ab eo, cujus est, negocium gerere, non competit actio negoc. gestorum. *l. ult. C. de negoc. gest.*

Non quidem in id, quod dedit) Congruum est & hoc rationi naturali. Cur enim ego totum id restituam, quod mei tantum causa totum non fuit insumptum?

§. 10. *Ut precium servet*) Obligatio restituendi non excludit charitatem, quæ incipit a se ipsa. Ergo si per se dominum & bonæ fidei possessorem intuemur, hæc est juris ratio, ut rem suam recipiat dominus: si

totius rei æquitatem, quæ ex omnibus personis, quæ negocio isto continguntur, impletur, venditori potius res est reddenda. Quia enim nihil interest domini, a possessore, an a venditore rem vindicet, multum autem interest tum possessoris, ut precium recipiat, tum venditoris, ut ne propter exceptiones, si quas habet, beneficium possessionis amittat, æquum erit, huic potius, quam illi rem restitui.

§. 12. *Prioris Domini voluntate*) Disputari posset, an quia corrupta est Domini voluntas in causa turpi, dominium revera transeat? Sane quod turpi ex causa promissum est, non valet, *§. 24. J. de inut. stip.* numquid igitur valere debet traditio ad effectum dominii transferendi, quam nulla præcedit sufficiens & valida causa? Nec vero poterit Grotius rem simpliciter & in se considerare, sepositis circumstantiis causæ turpis. Et faciunt quidem cum Grotio nonnulli Moralistæ, sed ex alia ratione plane frivola, quod scil. turpis actus sit precio æstimabilis, non quidem ratione injustitiæ aut turpitudinis, sed ratione periculi & discriminis quoad bona, vel honorem vel vitam, cui se exponit exercens talem actum. H. Zoes. *ad tit. de cond. ob turp. caus. n. 5.* quod quam futile sit, nemo non videt.

Cap.

CAPUT XI.

§. 1.

QUæ non habent synallagma) At quocunque modo sumatur vocabulum synallagmatos, falsa hæc Connani deprehendetur sententia. Sive enim sumatur pro mutua obligatione, uti fit in *l.* 19. *ff. de V. S.* sequeretur, neque mutuum quidem ullam inducere obligationem, cum tamen non naturalem tantum, sed civilem etiam pariat: Sive accipiatur pro causa, h. e. datione aut facto actuali, sequeretur, non nasci obligationem ex contractibus consensualibus, quod utrumque est absurdum.

Aut ex rei traditione) Pactum traditione munitum facit contractum innominatum, qui ex ipsa vi sua parit obligationem. Aliud autem ab hoc est pactum adjectum traditioni, quod valet etiam de jure Rom. ut est pactum in diem addictionis, legis commissoriæ, &c.

Præcipue ubi Lex civilis impedimentum non affert) Aliquando enim obligationem per se validam infringit Lex civilis, uti in SCto Vellejano.

§. 6. *Si lex fundetur in præsumptione*) deficiente ratione Legis, deficit

cit res ipsa. Sed ratio Legis aliquando præter actū intendit etiā potentiā, quo casu cessatio actus nō sufficit, sed requiritur insuper cessatio ipsi9 potētiæ. Scaccia *de com. §. 1. q. 1. n* 512.

Si promissio fundata sit in præsumptione quadam facti) ita sc. ut præsumptio illa seu factum potius ipsum partem faciat, & quasi substantificet promissionem. alias enim fieri potest, ut si qua præsumtio causam dederit promissioni, promissio nihilominus vim suam retineat; utcunq; præsumtio fuerit falsa. Qua ratione, si quis promittit Titio 100. putans eum probum esse, & honestum Virū, non promissurus, sicubi tam improbum eum scivisset, nihilominus debetur promissum, nisi expresse sub tali conditione factum fuerit. Ratio est, quia volitio & nolitio, quæ re ipsa non fuit, sed fuisset, si hæc vel illa conditio posita fuisset, non ponit nec tollit obligationem, sed posuisset vel sustulisset, si conditio posita fuisset.

§. 7. *Vel ratione habita personæ metuentis*) In viro enim requiritur metus, qui possit cadere in virum constantem, in muliere, qui in mulierem constantem. Sic & major requiritur in muliere viragine, quam in tenera & meticulosa. Scaccia *de commerc. §. 1. quæst. 7. p. 2. amp. 19. n.* 67. Did. Covarruv. *p. 2. de matrimon. c. 3. §. 4. num.* 15.

Illa-

Illatum juste) JCti etiam istum metum justum vocant, qui in constantem virum cadit, Justus, i. e. legitimus, qualem leges attendunt, ubi quis restitutionem petit.

Ab eo, cui promittitur) Vid. Grot. *infr. l.3. c. 19. n. 9.*

Item inter actus liberales & onerosos) Vid. Hahn. *Obs. in Wesenbec. ad tit. quod met. caus. n. 5.*

Sed absolutus) Omnino enim vult ita agere vel pati, ut agit vel patitur, imo rebus sic comparatis aliter nunquam faceret. Etsi enim involuntaria hæc actio dici posset, ratione principii extranei urgentis, & objecti, in se considerati, quod voluntas alias sibi relicta extra istas circumstantias non appeteret; voluntaria tamen est & dicitur, ratione tum finis, qui est majoris mali evitatio, tum principii interni, voluntatis sc. quæ deliberat, & postea eligit obligari, & hinc porro aliis potentiis suos actus imperat.

Si promissor velit) Imo in foro conscientiæ & ex ratione juris naturalis, etiamsi promissor non velit. Nec enim propterea, quia ex promisso suo obligatur promittens; alteri, qui metum incussit, jus aliquod natum est vel exigendi vel retinendi id, quod promissum fuit.

Sed ob damnum injuria datũ) Infirmitas enim contractuum metu initorum non est desumenda ex ratione involuntarii, sed ex injuria per metum illata.

§. 8. *Ut promissum futuri matrimonii*) At si materia promissi debet esse in jure promittentis, quod recte supponit Grotius, nulla est talis promissio matrimonii futuri, quia scil. qui conjugem nunc habet, potestatem non habet aliud matrimonium ineundi, & nec promittendi quidem, quamdiu propter conjugium præsens potestatem sui non habet.

§. 9. *Quod in prodiga donatione*) Dubitare licet, utrum prodiga donatio etiam omnium bonorum vitium in se habeat, præsertim si intuitu rerum cœlestium & beatitudinis æternæ ea fiat.

Quæ cessare incipit peracto crimine) Promissum, quod ex causa vitiosa vitium contraxit, & nata inde si modo ulla subest, obligatio, vitium deponere nequit, ubi res fuerit expedita & causa peracta. Homicidium enim sive peragendum sive peractum semper malum est & jure naturali pro-

prohibitum. At uti homicidium peragendum est causa factæ promissionis, ita peractum est causa promanantis inde obligationis. Causa autem jure naturali turpis & vitiosa non potest non effectum producere vitiosum.

§. 13. *Absterrentur enim homines)* At si Grotii sententia locum invenit, absterrebuntur etiam homines a contrahendo cum magistro navis, si pro actione una tot sibi instituendas noverint, quot fuerint exercitores. Et majus utiq; hic subest periculum, cum fieri possit, ut inter plures exercitores aliqui non inveniantur solvendo. Damnum ergo hic sentiet, qui cum Magistro contraxit, cum ille potius sentire debeat, qui Magistrum præposuit, & parum idoneum sibi adjunxit socium.

§. 14. *Ut acceptari semper posit)* Pollicitatio sine assensu Reip. vel civitatis non inducit obligationem, qui tamen assensus statim intelligitur adesse, ubi justa causa subest pollicitationis, ob favorem scil. & utilitatem Reip. quanquam assensus ille pollicitationem ipsam non ingrediatur. Add. Hillig. *in Donell. enucl. l. 12. c. 5. l. B.*

§. 17. *Altero casu non poterit)* Imo poterit, si ante mortem donatoris a

mandatario jam expoſita fuerit donatio. Quia enim mandatum ante mortem non fuit revocatum,& mandatarius, poſt expoſitum vivente adhuc donatore mandatum, nihil habet, quod amplius agat, videtur ex parte donatoris totum id jam expeditum eſſe, quod ad donationem facere poteſt, ut ita integrum ſit donatario rem donatam acceptare, aut non acceptare.

§. 18. *Omiſſa inſpectione, an mea privatim interſit*) Quæ & hoc caſu jure Romano omittitur,quandoquidem non alteri, ſed mihi ipſi acquiritur obligatio, ut: dabo tibi centum, ut ea porro des Titio. Hic utique non Titio, ſed mihi acceptandi acquiritur obligatio, ſub modo tamen. Quanquam & hoc caſu ſemper dici poſſit, quod acceptantis interſit, quat. ſcil. ille deinceps actione negociorum geſtorum tenetur Titio.

Diſtinguendũ ultra non puto) Imo ſi mandatum præceſſit, propter natam inde actionem mandati illico intereſſe incipit mandatarii, dum tamen mandatum revera ſubſiſtat. Atqui hoc caſu alteri per alterum acquiri obligationem poſſe, non negant jura Romana.

CAP.

Caput XII.

§. 2.

Sed nullum juris effectum) Imo aliquem, propter actionem negociorum gestorum.

Cujus species est depositum) Atqui depositum & mandatum toto cœlo differunt. Et quanquam deponens mandet depositario custodiam, non subsistit tamen nec permanet in terminis mandati, sed in novum tandem utriusque conventio terminatur contractum, qui & re perficitur, in præstationibus tam rigidus non est, atque solet esse mandatum. Gœdd. *ad L.* 110. *ff. de V. S. n.* 3. Deinde etiam depositum est dispositio de re sine alienatione, & commodatum est de facto, ita ut aliquis effectus superfit, cum non liceat commodatario ultra id, quod concessum est, uti. Non ergo sibi satis constat distinctio Grotiana.

§. 3. *Habet enim hoc & permutatio*) Sed tale hoc nomen non est, quod non & aliis conventionibus commune esse possit. Nam & emptio venditio quædam permutatio est, & universus ob rem dati tractatus. Franzk. *ad tit. de præscript. verb. num.* 20.

Et-

Etiam re integra) Diversitatis ratio est in eo, quod emptio venditio solo consensu perficiatur, at contractus innominati sola conventione non perficiuntur. Perfecto autem contractu altera parte invita pœnitere non licet.

Ad tria, quæ diximus, genera) Sed quare omittit articulum, *do ut facias*? Nec enim referri ille potest ad articulum facio ut des, cum initium contractus attendi debeat, & quis primum ei causam dederit. Ita assecuratio quando a datione præmii initium sumit, ad articulum do ut facias pertinet; quando ab ipsius periculi susceptione, ad articulum facio ut des.

§. 5. *Ut de suo auro mihi annulos faciat*) Sed hoc magis videtur esse emtio. §.4. *J. de locat. & cond.* quia sc. in precio constituendo non materiæ solum, sed etiam artificii ratio habetur, sive jam facti fuerint annuli, sive adhuc conficiendi. Nec potest esse locatio, ubi corpus ipsum non datur ab eo, cui id fit, *l.20. ff. de contr. empt.*

§. 6. *Sin negocium, quod inter Creditorem & fidejussorem*) Sed hic respectus, vix est, ut attendi debeat in hac materia, cum non intuitu Creditoris, sed debitoris fidejussio interponatur.

§.7. *Ex-*

§. 7. *Extra mere beneficos*) Atqui etiam mere benefici dantur contractus, quomodo stipulatio & promissio potest esse mere benefica.

§. 14. *Quod vix est, ut non aliquam latitudinem habeat*) Justitia precii in emtione venditione unde petenda sit, erudite differit Franzkius *3. resolut.* 2.

§. 15. *Etiam sine traditione transferri dominium*) Diximus hac de re supra ad *cap.* 6. §. 1.

Quod res periculo est emptoris) Substantia obligationum, qualis hic ex emptione & venditione nascitur, non in eo consistit, ut aliquod corpus faciat nostrum; sed ut alterum nobis adstringat ad dandum aliquid, vel faciendum, vel præstandum. *l.* 3. *ff. de O. & A.* Non igitur propterea rei venditæ periculum ante traditionem ad emptorem spectat, quia dominus est, sed quia venditor post contractum perfectum respectu emtoris non tam ut dominus, quam ut debitor potius consideratur, & quidem certæ speciei, nimirum rei venditæ, qua absque illius dolo & culpa interempta seu perdita omnino ab obligatione liberatur, eodem modo, quo promissor speciei,

ciei, ejus interitum minime præstat, qui ad stipulatorem spectat, licet dominus non sit, *l.30.§.4.ff. ad L. Falcid.l.18. in f. ff. de dolo mal. l.33. l.83. §.7. de V. O.* Non igitur hoc est a mero jure civili, quod vult Grotius. Deinde neque id merum inventum aut commentum est juris civilis, quod venditor contractui satisfaciat, si præstet habere licere, seu vacuam illius possessionem transferat. Cum enim bonæ fidei possessor rei dominus non sit, non poterit etiam vendendo dominium transferre. Ergo aut non subsistet venditio, aut transferri præter dominium jus aliquod aliud, necesse est ut statuamus. Prius ideo non placet, quia & emptor & venditor in bona fide versantur, & ex tali contractu hoc saltem accipit emptor, ut possit rem usucapere, quod rationi naturali & juri gentium haudquaquam repugnare evicimus supra ad *cap.* 4. at usucapio non procedit, nisi titulum habeat antecedentem. Restat igitur, ut posterius admittamus, sufficere scil. translationem possessionis & cum hac conditionis usucapiendi. Nec minus congruit rationi naturali, ut fructus etiam ante traditionem rei ad emptorem pertineant. Sunt enim fructus pars rei, & naturale est, tum ut pars sequatur totum, tum ut commoda habeat, qui fert incommoda.

Sive

Sive per traditionem, sive aliter) At si ipso contractus momento transfertur dominium, quæ est hypothesis Grotii, quorsum hic faciet traditio? Sic enim potius ex mente Grotii ex duabus venditionibus semper & ubique prior erit valitura, quippe per quam dominium jam est translatum.

§. 16. *Monopolia*) Monopolia tum demum licita censentur, quando faciunt ad utilitatem Reip. Carpzov. *l.* 1. *respons.* 41. 42. *& l.* 1. *decis.* 4. Perez *tit.* C. *de monopol.* Marcell. Donat. *in Sueton. Tiber. c.* 71.

§. 17. *Eam naturaliter functionem recipere*) Functionem alias recipere dicuntur res, quando altera alterius vice fungi potest, sine ullo detrimento Creditoris, cui tantundem proficit res in genere reddita, ac si eadem numero, quæ data est, reddita fuisset, *l.*2.*§.*1.*ff. de R. C.* Sed hic laxius adhuc sumit istud vocabulum Grotius, quatenus scil. res aliæ nummo æstimantur, & quatenus vicissim ex copia & inopia rerum pecuniæ valor crescit aut decrescit. De verbi hujus *fungi* significatione videri ulterius potest Jacobus Gothofredus *in differtat. de functione & æqualitate in mutuo, pag.* 41. *& seqq.*

Fa-

Facienda erit tempore ac loco solutionis) Vulgare est JCtorum traditum, mutata bonitate monetæ extrinseca, redditionem faciendam secundum valorem, qui est tempore solutionis, ita ut commodum sit Creditoris; mutata autem bonitate intrinseca, solutionem faciendam secundum tempus contractus, de quo vid. prolixe Franzkius *exerc. 9. q. 2. & 3.*

§. 18. *Damno sunt conductoris)* Æquior est, & rationi naturali magis congruit sententia contraria. Uti enim in venditione ipsa res, ita in locatione usus rei vel facti transfertur. At uti ubi nulla adest res, quæ venditur, frustra est omnis venditio, ita frustra est locatio, ubi nullus est usus. Æquitas enim, quæ in contractibus bonæ fidei attenditur, non dictat, ut solvatur pensio pro bonis, quibus uti & frui non potuit. Don Gans. Mastrill. *decis.* 299. *n.* 91. 92. Joh. del Castillo *quotid. contr. p.* 3. *c.* 3. *n.* 19. 20. Mozzius *de locat. tit. de accidental. num.* 35. Franzk. *ad tit. locat. num.* 67.

§. 20. *Nam quod de mutuo dicitur, gratuitum esse)* Etiam de jure civili usuræ mutuum non faciunt ex gratuito non gratuitum. Veniunt enim illæ non ex mutuo, sed præter illud ex stipulatione su-

ſuperaddita, adeoque ex alia plane conventione.

Suapte natura ſterilis eſt pecunia) Uſuræ,quæ ita percipiuntur, non ſunt fructus naturales, ſed civiles, non ex nummo, ſed ex alia plane cauſa provenientes.

Sed quicquid hac de re ſentire libeat) Vid. omnino Hahn. *ad Weſenbec. tit. de Uſur.* Coler. *de proceſſ. executiv. p.* 1. *c.* 10. *n.* 37. *ſeqq.* P. Heig. *p.* 2. *qu.* 1. Franzk. *exerc.* 9. *quæſt.* 4.

Et quæ tunc officia homini Hebræo) Vid. Selden. *l.* 6. *de jur. nat. & gent. c.* 9. *&* 10.

Latiusque extenſo proximi intellectu) Judaica hæc & Sociniana eſt gloſſa. Non enim in Evangelio ſolum proximus eſt homo quilibet, ſed in ipſa etiam Lege, quod jamdiu evicerunt noſtri Theologi.

§.26. *Ante conſtitutionem Diocletiani*) Imo etiam jure Digeſtorum remedium hoc reſcindendæ venditionis non fuiſſe incognitum, *arg. l.* 2. *ff. depoſ. l.* 47. *ff. de evict.*

evict. tenent Arumæus *Exerc. Justinian.* 14. *n.* 8. Hahn. *Obs. ad Wesenbec. tit. de act. empt. & vend. in f.*

Se mutuo circumvenire) Sed eatenus tantum, etiam jure Digestorum, si fides est Arumæo *d. l.* quatenus illa deceptio ultra justi precii dimidium non procedit.

Sic idolorum cultores) Imo vero loquitur de omnibus hominibus, & rectior est interpretatio, quod omnes homines a natura vani sunt, & proclives ad idololatriam.

Non tam ex sua, quam ex Romanorum) Sequitur hic Grotius Franciscum Puccium Florentinum, qui negavit, nasci homines DEO invisos, aut Adami vitium ad singulos ejus posteros naturaliter conceptos propagari. Sed uterq; falso. Opponuntur enim uti alias, ita & hic ea, quæ naturaliter adsunt, consuetudini, adsuefactioni & imitationi. Eramus natura filii iræ, i. e. naturaliter gignimur cum peccato, in ipsa propagationis origine, quando accipimus humanam naturam, simul cum natura propagatur in nos tale vitium naturæ, propter quod sumus filii iræ. Chemnit. *Loc. de pecc. orig. c.* 3. Add. Vossius *hi-*

stor

ſtor. Pelag. l.2. part. 1. *th.* 2. Giſbert. Voet. *diſp. de propag. peccati orig. p. m.* 1096.

Cum tamen ea regula e ſolis Romanorum moribus) Ita & Arnoldus Vinnius *ad* §. 5. *J. de hered. inſt.* Diſſentit tamen ab his Jacobus Gothofredus *ad l.* 7. *ff. de* R. *J.* At ſi ita pugnant inter ſe decedere teſtatum & inteſtatum, ut in eodem ſubjecto concurrere non poſſint, quare id procedit tantum in bonis paganis, non vero in caſtrenſibus, quando miles teſtatur? Levis enim militantium ſenſus, quem cauſatur Gothofredus, non poteſt ex contrariis facere non-contraria. Si dicendum, quod res eſt, mera hæc videtur ſubtilitas juris, quam enodare quidem conatur Antonius Gomez. *l.* 1. *reſol.* 3. *n.* 3. ſed meo judicio nondum ſufficienter. Repræſentatur enim defunctus ab heredibus ſuis non ſub qualitate teſtati aut inteſtati, cum hæ qualitates tantum ſint modi transferendi aut devolvendi hereditatem, ſed propter ipſam ſucceſſionem, & quia jam ſunt, qui defuncti perſonam ſuſtinent.

CAPUT XIII.

§. 1.

AD hunc & ſequentem paragraphos videantur omnino, quæ erudite diſputat

Franzkius *l.2.resol.*1. *&* 2. Sed hoc tamen simul tenendum, etiam incautum juramentum, i. e. prolatum sine debita consideratione, verumne sit, quod juratur, perjurii nomine in judicio divino censeri, adeoque mortale peccatum esse, etsi inter se maxime disceptent Vasquez 1.2. *disp.*127.*c.* 3. & Gregor. de Valent. *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 7. *punct.* 3. it. Suarez *lib.* 3. *de juram. c.* 5. Est enim in eo usurpatio nominis divini in vanum.

§. 3. *At si quis deliberato*) Sive quis juret sine animo & intentione jurandi, sive cum intentione jurandi, sed non obligandi, sive cum intentione jurandi & obligandi, sed non implendi, tenetur nihilominus juramento. Quia enim obligatio est effectus necessarius juramenti, tenetur jurans propter actum externum præstitum, ne nomen Domini in vanum assumptum sit, id, quod juravit, præstare. Vid. Franzk. *l.* 2. *resolut.* 2.

Mutare tamen & pœnitentia duci dicitur) Natura pœnitentiæ est dolere, quod res aliter evenerit, atq; sperabatur. Ita DEUM non pœnitet, non enim dolet, nec sperat aliquid proprie loquendo. Neque DEUS alio actu voluntatis decernit, quod prius egit, & alio actu voluntatis constituit, quod postea agere desinit; sed quo decre-

creto ab æterno ſtatuit, eodem etiam vult rem eſſe, hoc ſcil. tempore, & ubi hæc vel illa conditio adeſt, ſub qua ſtatuit rem eſſe, alio autem tempore, ubi conditio illa ceſſat, rem non amplius vult eſſe. Aliud itaque eſt mutare voluntatem, & corrigere decreta ſua, aliud velle mutationem alicujus rei, mutata ſcil. conditione, ſub qua prius voluit Deus eam eſſe. Itaq; ab effectu pœnitentiæ modus iſte loquendi provenit, qui eſt, cum quis id, quod antea fecerat, deſtruit, aut quod prius agebat, agere deſinit. Nam ſimiliter Deus id, quod prius ſub certa conditione vult, poſtea ceſſante illa conditione agere deſinit.

At non inde ſequebatur) Conjectura hac nihil incertius aut inanius eſſe, putat Antonius Matthæus *de criminibus tit. de perjurio n.* 5. ſequitur tamen eam, & uberius exponit Franzkius *l.* 2. *reſol.* 4. *n.* 5. *ſeqq.* Contraria tamen ſententia, & quod Joſua pacturus non fuiſſet, ſi ſciviſſet, ex vicinis populis Gibeonitas fuiſſe, patet ex divina ſanctione, *Deut. VII,* 3. ex divina populorum diſtinctione, *Deut. XX,* 16. ex principum populi Iſraelitici dubitatione ad poſtulatũ Gibeonitarum, *Joſ. IX,* 7. quæ in genere intelligenda eſt de poteſtate feriendi fœderis, non de modo aut ſpecie fœderis, it. ex ipſa Gibeonitarum interpretatione, *Joſ. IX,* 24. & deliberata ab eis præventione. *v.* 3. *ſeqq.* Exem-

plum Rahab particulare est. Quod autem circa Cananæos Salomon constituit *1. Reg. IX. v. 20.* fecit imitatus Davidem patrem suum, cui sine dubio de relaxatione indictæ divinitus internecionis constitit.

Addicti enim sunt personali cuidam servituti) Atqui omnes illi, qui ex hostibus sese dederant Israelitis, servitutem personalem servire cogebantur, aliter enim pacem non faciebant Hebræi, Selden. *d. jur. nat. & gent. l. 6. c. 14.*

§. 5. *Benjaminitis*) Juramentum hoc, ubi de filiabus, certam hereditatem & possessionem habentibus, quæstio fuerat, frustraneum fere erat, & inutile, propter dispositionem, quæ extat *Num. XXXVI.* valere tamen poterat; quando de filiabus, possessionem non habentibus agebatur. Sed & de re illicita, extirpanda scil. tribu Benjaminitarum, videbatur conceptum. Non male igitur ita explicabatur, ut de datione tantum stricte intelligeretur, cum indulgentia, si raptæ filiæ fuissent.

§. 6. *Obligatio sit licita*) Studiose distinguendum est juramentum illicitum a juramento de re illicita. Illicitum potest esse ratione alicujus circumstantiæ & qualitatis vitiosæ, ut si sit temerarium, si prodige pro-

promiſſorium, ſi dolo aut metu extortum. De re illicita illud dicitur, quod pro objecto habet rem lege vel divina vel humana prohibitam. Hoc nunquam eſt validum: Illud validum eſſe poteſt, & propterea ſervandum eſt.

§. 7. *Sed majus bonum morale impediens*) Adverſus ea, quæ DEO & Reip. debentur, non valet obligatio, ne jurata quidem, eo, quod juramentum non debet eſſe juris divini impeditivum.

Ut ne hunc habeant menſæ aut tecti ſocium) Memini ex facto quæſitum fuiſſe, cum quis ita commotus, quod agnatus ſuus fœminam natalibus defectam ſibi deſponſaret, juramento aſſeveraſſet, nolle ſe ejus nuptiis nec conviviis intereſſe, nec ad ſua quoque hilaria invitare eum velle; num quid teneret tale juramentum? Et reſponſum fuit, temerarium quidem id eſſe, & illicitum juramentum, atque idcirco pœnæ eum ſubjiciendum, non tamen de re prorſus illicita, præſertim cum promiſiſſet, qui juraverat, in aliis vitæ & charitatis officiis agnato huic ſuo ſe deeſſe nolle, nec etiam repulſurum, ſi ſponte ille & non invitatus ad hilaria ſua veniret.

Donum DEO dicatum sit) Corban hoc ad vovendi ritus pertinuit, non ad juramenta, nisi quod juramentum superaddi potuerit. Quin multo firmius fuisse tale votum, quam præstitum de tali re solummodo juramentum, enucleate ostendit Seldenus *de jur. nat. & gent. l. 7. c. 2.* Per votum autem hoc Corban & parentes in liberos, & hi vicissim in illos summam impietatem committebant, ita ut hereditates etiam alias natura debitas & alimenta alteri alteris interverterent. Utriq; scil. facultates suas DEO dicabant, ita ut cum juvandi essent parens aut filius, votum prætenderent oblationis, eoque se excusarent, quasi jam omni pietatis officio ex asse defuncti, dicentes: Corban (quo nempe vesci, vel quod tangere nefas erat) mihi esto, quomodocunque commodis tuis velificari possim, sive: illud, quo juvari petis ac posses, DEO jam cessit. Non igitur confundendum est hoc votum aut formula vovendi, quæ habetur *Matth. XV. 5.* cum juramento, quod habetur *Matth. XXIII. v. 18.*

§. 8. *Ad omnino impossibile*) Sive physice id fuerit impossibile, sive moraliter. Quo referendum etiam, si quis duobus eandem rem promiserit, quod tum priori obligatus maneat, ut maxime poste-

rio-

riori cum juramento promiserit. Habet enim juramentum vim quidem obligatoriam, sed constructivam tantum, non etiam destructivam, & potest inducere novam obligationem, ubi nulla fuit, vel confirmare eam, quæ præfuit, non potest tollere eam, quam invenit, aut aliam ei repugnantem superinducere. Dum igitur per priorem obligationem jus alteri acquisitum est, non poterit illi invito per promissorem quocunq; modo id auferri, nec permittendum est, ut per delictum conditionem suam meliorem faciat promissor. Vid. Robert. Sanderson *de juram. prom. oblig. prælect.* 2. §. 11. Rob. Sharrok *de offic. c.* 13. *num.* 2. Tenetur tamen tum promissor posteriori illi, cui juramento se adstrinxit, resarcire damna & id, quod interest.

§. 10. *Ut DEUS invocetur*) Juramenti igitur proprie dicti rationem non habent execrationes, quibus rem nobis charissimam devovemus, ut de sinceritate nostra proximus certus sit, neque obtestationes, quibus in comparationem deducta re a nobis magnifacienda, profitemur, non minus id, quod asserimus, cordi esse, quam id, quod nos magnifacere apud omnes constat.

§. 11. *Sic Josephus per salutem*

 Pha-

Pharaonis) Josephus per vitam Pharaonis ita juravit, ut eam, quam sibi charissimam habuit, exsecrationi subjiceret. Potest enim juramento jungi exsecratio, quod fit, cum diserte invocatur DEUS tanquam vindex falsi & fraudis, si quæ commissa fuerit: & tum DEO vindici subjicimus vel obligamus sive nosmetipsos, sive aliquid nostrum aut valde nobis charum. Add. Rauchbar, *p.* 2. *q.* 2. *n.* 46, 47.

Et hæc esse vera juramenta) Quatenus creatura consideratur ut objectum juramenti & in se, non licet per eam jurare, quia est idololatricum. Quatenus autem consideratur ut signum & effectus, seu correlatum objecti (DEI) in juramento, omnino licet. Add. Vossius *in histor. Pelag. lib.* 5. *part.* 2, *antithes.* 1.

Omnibus Geniis augustiorem) Christiani non poterant induci, ut jurarent per Genium Principis. Vid. Desider. Herald. *in Tertull. apolog. p.* 125. Johan. a Wowern *in Octavium Minutii Felicis p.* 68. Fuit enim hoc juramentum vere idololatricum, quippe jurarunt per istum genium, tanquam divinitatis participē, & proinde occultorum testem & fraudis vindicem. Quoniam enim juratur de occultis, ideo jurantes suppo-

nunt

nunt, eum, per quem jurant, esse occultorum conscium, & occultæ fraudis fore vindicem, i. e. divina scientia & potentia valere. Add. Jerem. Setser, *de jurament. l.* 1. *cap.* 15. *num.* 35.

§. 12. *Sed & si quis per falsos Deos juraverit)* Juramentum per falsos deos præstitum non obligat ex se, nec est verum juramentum, quia non invocatur DEUS verus in testem, nec obligatio ejus ad religionem aut pietatem vere pertinet, cum in veri DEI contumeliam tendat, & actum idololatricum contineat. Obligat tamen ideo, quia proficiscitur ex conscientia erronea. Nec igitur sub ratione perjurii DEUS istud in injuriam suam interpretatur, si per falsos Deos pejeratum sit.

Quod a Duareno permitti miror) Duarenus in priori commentario hoc expresse non permittit, sed plerosque ita putare ait, *ad tit. de jurejur. c.* 11. In posteriori vero *cap.* 4. *fol.* 864. permittit quidem, deferri ita juramentum Gentili aut Mahumedano, sed non asserit, sanctos etiam ita jurare posse. Nec video, qui reprehendi possit sententia Duareni, cum ipse Augustinus, quem hic in partes vocat Grotius, distinguat inter juramenta qua talia, & qua idolola-

lolatrica. Ex quo conficiunt aliqui, exigi tale juramentum posse, non tamen præfigi, ut juret per falsos Deos, aut ut tale vel tale idolum nominet, ad quod sciret majore eum religione teneri, sed ut in genere religiose juret, etiamsi non ignoret, eum id facturum non sine idololatria. Danhauer. *diss. Decalog.* 7. §. 2. Quin si perpendantur omnia, & inprimis quod per juramentum idololatricum eversio tum Ecclesiæ tum politiæ evitari possit, converti autem ad verum DEUM de præsenti non possit idololatra, cum quo res est, etiam idololatricum juramentum exigi per Principem Christianum posse, absonum non videtur. Vid. tamen Franzk. *ad tit. ff. de jurejurand. n.* 13.

§. 13. *Duo ergo debet jurans)* In jure Canon. *cap.* 26. *X. de jurejur.* tres referuntur comites juramenti, 1. veritas, ut jurans clare exprimat, quid sentiat, non ambigue. 2. judicium, ut jurans intellectu polleat, & maturo judicio juret. 3. justitia, ut quod juratur, licitum sit & honestum. Covarruv. *in c. quamvis. de pact. in 6. part.* 1. *§.* 6.

§. 14. *At nihilominus, qui juravit)* Exsurgit enim ex juraměto duplex obligatio; una in respectu ad hominem, cui jura-

juratur, ut partem, altera in respectu ad DEUM, per quem juratur, ut testem & vindicem. Multa possunt impedire priorem illam obligationem, ita ut jus nullum consequatur is, cui juratur, nec ei quicquam in foro conscientiæ ex æquo & bono a jurante debeatur; verum cessante obligatione respectu hominis injuriam aut vim inferentis, manet tamen DEO facta obligatio; cui & irreverentia fit, si quis juramentum admittat, non intendens implere; & injuria, si admissum insuper habeatur.

§. 15. *Qui ad obligationem pariendam sufficit*) Non enim semper, nec omnis contractus sive actus per juramentum adjectum confirmatur, sed quandoque per se stat juramentum, & obligationem inducit. Vid. Franzk. *lib.* 2. *resol.* 6.

Repudiandus ergo Cicero) Ciceronem tamen sequitur Albericus Gentilis *de jur. bell.* *l.* 1. *cap.* 4. Sed rectior videtur sententia Grotii. Conf. eund. *l.* 3. *cap.* 19. §. 2.

Qua de causa juramentum voti nomine nuncupatur) Scil. quat. in utroque intenditur cultus DEI, & ex divino jure aliqua obligatio producitur. Sed differunt tamen hæc a se invicem. In voto enim

enim cultus divinus intenditur per promissionem, quando scil. homo DEO aliquid observandum promittit, e. g. dare eleemosynas, servare castitatem: Unde ejus obligatio descendit ex fidelitate per promissionem Deo factam; in juramento vero DEO nihil promittitur, sed nomen tantum ejus ad promissionem confirmandam assumitur & invocatur, adeoq; obligatio ejus non ex quadam fidelitate, sed solum reverentia divini nominis, quam homo ipsi exhibere tenetur, causatur. Franzk. 2. *resol.* 1. *n.* 24. 25.

Nam depositum) Sed hic regerit Albericus Gentilis *d. l.* Latronem intelligi & dici in respectu ad dominum, nec latronem esse, ubi dominus non est, nec propterea eum nominari latronem ab JCto, absente domino. Verùm nimia mihi videtur hæc Gentilis subtilitas, præsertim cum prædo dicatur etiam tum, cum nulla domini fit mentio, vid. *l.* 1. *§.* 39. *ff. depos. l.* 64. *ff. de judic.*

Quod a quibusdam est traditum) Vid. Lessius *l.* 2. *de just. & jur. c.* 42. *num.* 27.

Cum effectu sunt intelligenda) Nec enim promissio ista juramento vallata ab simpliciter invito, sed cum quadam electio-

ctione boni facta est. Quemadmodum igitur dolo non caret, qui rem petit, quam mox est restituturus, ita nil nisi ludos facit, qui rem solvit, quam mox ab invito repetere cogitat. Vid. de toto hoc negocio Franzk. *lib. 2. resol. 3.* Danhauer *disp. decal. 7. §. 5.* Robert. Sanderson. *de juram. promiss. oblig. praelect. 4. sect. 14. seq.*

§. 17. *Quoties non personae jus nascitur*) Grotii mentem non videtur assecutus Antonius Matthaeus *de crimin. tit. de perjur. num. 3.* Non enim hic distinguit Grotius, utrum DEO tantum se obstrinxerit defunctus, an vero personae DEO invocato; sed quaerit de casu, ubi personae facta fuerit promissio jurata, ex qua tamen jus promissario nullum nascitur. Interim verius videtur, etiam hoc casu, utcunque alias in solum DEUM obligatio terminetur, teneri heredem defuncti, non quidem quoad vinculum perjurii, sed quoad efficaciam obligationis.

§. 20. *Quatenus jus inferioris*) Juramentum de re per justum superioris interdictum illicita ideo non obligat, quia praestatur adversus primum praeceptum secundae tabulae, contra quam juramentum non obligat.

Ab Ecclesiæ præsidibus) Aliud hodie observat Ordinatio Cameralis *p.* 2. *c.* 24. & Serenissimus Saxo *p.2.c.36.* Add. Setser. *de juram. l.* 1. *c.* 24.

Ipse autem, qui juratus aliquid promisit nocenti) Si nocuit, metum incussit: Atqui tali jus aliquod per promissum acquiri, negavit Grotius supra §. 14.

Si post motam controversiam) Si tamen controversum amplius non est eo tempore, quo promissio facta fuit, recte fit compensatio. Alias enim generaliter verum est, debiti liquidi ad illiquidum nullam esse compensationem, *l. fin. C. de compens.* ut maxime controversum debitum per decretum provisionale, præstita cautione, exigi possit. Ant. Fab. C. *de compens. def.* 10.

Quod Romanæ Leges fecerunt) Ita e. g. contractus favore minoris nullus confirmatur juramento, *auth. sacramenta puberum. C. si adv. vend. c.* 2. *de pact. in* 6. Ita & effectus SCti Vellejani a muliere juramenti præstatione potest impediri, *c. cum contingat. X. de jurejur.* Guttierrez *de juram. confirm. p.* 1. *c.* 55. Joh. Bapt. Costa *de remed. subsid. c.* 85.

§. 21.

§. 21. *Sed ad promiſſorium*) Falſum hoc eſt, promiſſorium omne juramentum in novo fœdere eſſe interdictum. Ne hoc quidem adverſariis concedendum eſt, inquit Rivetus, promiſſorium omne juramentum prohibitum eſſe. Sic enim civilis ſocietas ſolveretur, nec poſſent inter ſe unquam convenire Reges de futuris pacis conditionibus, mutua ac jurata promiſſione conſtantibus. Male autem ſupponit hæc opinio Grotii, Judæos perjurium in promiſſorio tantum juramentorum genere agnoviſſe, non item in adſertivo, quod ita accipiendum non eſt.

Et ratio, quam Jacobus adjicit) Quaſi vero ὑπόκρισις ac fallacia non in utrumque tam adſertorium quam promiſſorium juramentum cadere poſſit. In adſertorio quidem requiritur veritas, ne quid juremus falſi; in promiſſorio juſtitia, ne quid ſpondeamus illiciti; in utroque judicium, ne facile ac leviter juremus. Sed ad utrumque tamen hic reſpexit Salvator, atque ab utroque fallaciam abeſſe jubet.

Ubi manifeſte eſt figura) Non opus eſt ad πλοκὴν recurrere, cum hunc oraculi Chriſti ſenſum ſequi liceat: ſermo veſter affirmans fiat per ναὶ, & negans per οὔ, quemadmodum λόγος de communi ſermone u-

ſurpatur. Et recte notat Conſtantinus l'Empereur הין ac לאו, quibus *ναὶ* & *οὒ* reſpondent, Rabbinis non tantum adſignificare *Eſt*, ac *non eſt*, ſed orationem quoque deſignare affirmantem ac negantem. Quo ipſo cadit, quod Grotius ſubjicit, *ναὶ καὶ οὒ* levitatem ſignificare, itaque *ναὶ ναὶ* & *οὒ οὒ* conſtantiam: Et quod Nicolaus Fullerus *l.* 1. *miſc. cap.* 2. habet, *ναὶ ναὶ* nihil aliud eſſe, quam certiſſimam firmiſſimamque adſeverationem.

Caput XIV.

§. 1.

Venit enim illa ex jure civili) Non videtur venire ex ſolo jure civili. Ipſa enim naturalis æquitas poſtulat, ut fraude ac dolo circumventus, in negociis, ubi bona fide agendum eſt, reſtituatur in integrum. Nec quicquam facit, quod reſtitutionem a ſuperiore fieri debere quis contendat. Id enim non ſimpliciter, ſed tantum inter cives obtinet, perinde ut inter cives nemo poteſt eſſe judex in cauſa propria. At ſi ſuperior deſit, tum quisque *ἀνυπεύθυνος* eſt, quisque ſibi jus dicit, quisque ſe reſtituit. Vid. Conring. *de finib. Imper. Germ. c.* 19. *n.* 8. ubi inter liberos populos reſtitutionem non aliter admittit, quam ſi æquitas evidens id exigat. Nec vero propterea, quod a ſuperiore

riore petenda sit restitutio, ejus origo ad jus civile referenda est, cum quæ est inter homines superioritas & imperium, natura introductum sit, ut hinc plerosque ejus effectus naturæ adscribere oporteat.

Quos minores fecissent) Quidni? cum eadem etiam in principis persona inveniatur restitutionis causa, nempe ætas obnoxia læsioni, & propter fragile atque infirmum consilium multis captionibus & multorum insidiis exposita. *l. 1. ff. de minor.* Ponendi tamen sunt termini habiles, sicubi scil. princeps minor sine curatore aut consiliariis suis, qui curatoris vicem supplere possunt, contraxerit. Et sunt, qui principem etiam majorem perinde ut Rempublicam aut universitatem jure minorum uti, & in contractibus illis, qui in perniciem status aut læsionem Reipublicæ vergunt, restitui posse contendunt, quos sequitur Sfortia Oddus *de restit. in integr. part.* 1. *q.* 3. *art.* 14.

§. 3. *Plane privaverit priore juramento*) Non omnino privavit. quid enim, si non obstante priore juramento aliud novum juraverit? Sane disputant Canonistæ, & in hoc conveniunt, actum factum contra juramentum de non-faciendo validum esse, facientem tamen esse perjurum. Vid. Paul. Laymann. *Theolog. moral. l.* 4. *tract.* 3. *cap.* 8. *n.* 5. Christoph. Haunold. Jesuita *de*

contract. nat. art. 5. *n.* 13. 14. Anton. Gabr. *lib.* 2. *tit. de jurejur. conclus.* 1. H. Zoes. *in tit. ff. de jurejur. n.* 63. Seraphin. de Seraphin. *de juram. privil.* 75.

Consequenter non potest) Sentio hic cum Grotio. Non enim hic eadem ratio est, quæ est restitutionis in integrum. Rescissio namque & irritatio juramenti præsupponit præstitum fuisse juramentum ab eo, qui est in alterius potestate, sine superioris consensu vel expresso vel rationabiliter præsumpto. Vid. Robert. Sanderson *de jurament. promissor. prælect.* 7. *sect.* 6. Cum igitur princeps superiorem in his terris non habeat, a nemine etiam rescindi juramentum ejus poterit.

§. 5. *Ut communes regni leges vim nullam habeant*) At vero, quod emptio venditio sine certo pretio, locatio conductio sine expressa mercede fieri nequeat, non tam videtur ex communi lege regni esse, quam ex ipsa cujusque contractus substantia, quam ne Princeps quidem immutare potest.

Etiam leges oppidi) Siquidem Princeps secundum istas leges sibi obligatum velit esse subditum suum. Natura enim justitiæ commutativæ hoc requirit, ut in conventionibus ultro citroque obligatoriis par sit

quo-

quoad jus & vim obligandi utriusque conditio, & hinc uterque eodem vinculi nexu teneatur, non obstante, quod cogi alter queat, alter nequeat, cum ea diversitas non ex modo obligandi, sed ex personarum qualitate ortum habeat. Alias autem, si Rex actum suum ab legibus illis immunem fecerit, neq; subditum quidem secundum leges illas sibi obligatum habebit.

Ut illius cœtus membrum) Ista ratio forte nihil facit, quia, ut maxime membrum sit, semper tamen pollet eminentia & superioritate, propter quam, nisi natura negocii hoc requirat, legibus a se latis omnibus exemptus est.

§. 6. *Quo quis in pœnam Creditoris erat liberatus*) Hoc exemplum magis congruit posteriori membro. Præsupponit enim vere obligatum esse eum, qui liberatus est. Liberatio autem illa sine dubio contingit ex lege civili. At quid opus deliberatione, nisi vere obligatus esset, qui liberatur. Cæterum de obligatione naturali, civili, & mixta accuratius agunt JCti. Vid. inprimis Franzkius *tit. de condict. indeb. num.* 12. *seq. & exerc.* 9. *quæst.* 1. Arnold. Vinn. *ad pr. Inst. de obligat.* Tabor *in partit. elementar. pag.* 131. *seqq.*

Ut in plena & firma pollicita-

tione) Atqui jus inde naſci Reipublicæ cui pollicitatio facta eſt, patet ex *l.9.& 14. ff. de pollicitat.* Sed enim hoc ex lege civili provenire, putavit Grotius ſupra *cap.11. num.3.* ubi tamen vocabulum pollicitationis late pro quacunque promiſſione ſponte facta accipere videtur.

Interpres Matthæi) Videtur Grotius in ea fuiſſe ſententia, Evangelium Matthæi authenticum lingua Hebraica fuiſſe exaratum, quod tamen a plurimis negatur. Vid. Nicol. Vedelius *exercitat.4. ad Ignat. Epiſt. cap. 2. p. 176. ſeq.* Rivetus *in Iſagog. ad Script. cap. 8. pag. 97.* Gomarus *diſſertat. ſubjecta tractatui de geneal. Chriſti.*

Ubi πίςιν vocat) Per judicium noſtri Theologi intelligunt juſtitiam, æquitatem & rectitudinem, qua in vita communi unicuique redditur, quod ſuum eſt, ne quis proximum lædat vel offendat. Per miſericordiam intelligunt benevolum & benignum erga proximum affectum, qui ſcil. longius progreditur, quam proximo ex lege juſtitiæ debetur. Per fidem intelligunt fidelitatem & conſtantiam in ſervandis pactis & promiſſis. Juſte igitur, benigne & bona fide cum proximo agendum eſt. Gerhard. *in harmon. Evang. part. 2. c. 158. n. 5.*

Quæ

Quæ Hellenistis) Linguæ Hellenisticæ jamdiu indictum est funus, & factæ jam exequiæ.

Id jus est a natura) Nego hoc. Par enim in parem nullum habet imperium, nisi ex lege. Inverto igitur, quod hic dicit Grotius, & ajo, æqualibus in æquales id jus esse a lege, superioribus in subditos a natura.

§. 7. *Primum requiritur utilitas publica*) Si hoc modo explicetur natura supereminentis dominii, tolerari istud nomen utcunque poterit. Satius tamen fuerit, regium istud jus ad imperium referre, cum ipsa vis imperii, propter salutem publicam instituti, sufficientem titulum ista peragendi præbeat, eo quod omnia ea simul concessa intelligantur, sine quibus obtineri bonum commune non potest. Vid. Sutholt *de jurisdict. num.* 27. Quod si vero supereminens dominium eo quis extendere velit, ut ejus vi liceat principi, nulla omnino necessitate urgente, subditorum bona pro lubitu auferre, facile ille ex principe faciet tyrannum. Et vel ideo, ne id fiat a Principe, abstinendum ab hoc loquendi genere putamus.

Ex communi) Æquissimum enim est, commune detrimentum fieri eorum, qui propter amissas res aliorum consecuti sunt, ut res suas salvas haberent. *l. 1. l. 2. pr. ff. de L. Rhodia de jact.*

§. 8. *Juris est naturalis*) Ut maxime igitur modus acquirendi a jure civili inventus sit, si tamen deinceps acquisitum jus fuerit, substernitur id juri naturali & regulæ generali, nemini jus suum sine causa auferri debere. Vid. Carol. Tapia *in rubr. de Const. Princip. cap. 1. num. 50.* Andr. Fachinæ. *l. 8. controv. cap. 63.* Johan del Castillo *quotid. controvers. l. 2. cap. 28. & l. 3. cap. 6.* Petr. Anton. de Petra *de potest. princip. cap. 24. & 25.*

Nullo modo subest) Imo subest in casu extremæ necessitatis, non quidem supereminenti dominio, sed imperio. E. g. in obsidione civitatis, si exterus pulverem pyrium habeat, quem non habet civitas, poterit is etiam invito auferri ad defensionem civitatis. Tam feliciter igitur casum hunc necessitatis & competens inde jus Principis exponere nequeunt, qui dominium supereminens statuunt.

§. 9. *Contractus Regum leges esse*) Legis vicem obtinere, dicit Justinia-

nus

nus *l. pen. C. de donat. int. vir. & ux.* ad hoc ſcil.ut lege repugnante ſubſiſtat,utque quem privatus non legitime iniret, pro juſto ac legitimo habeatur. Hillig. *in Donell. enucl. l. 12. cap. 22. lit. Z.*

§. 10. *Ut qui regnum*) Exemplum hoc non eſt accommodatum. Non enim qui regnum teſtamento vel ab inteſtato accipit, illico omnium bonorum heres eſt, niſi lege publica ita conſtitutum fuerit.

An vero mixto jure) H.e. ſi in jus regni ſuccedat in ſolidum, in bona autem non omnia, ſed partem tantum eorum, uti ſuccedunt plerumque primogeniti.

Bona defuncti ut obligata ſint) At obligatio tantum perſonas afficit, non afficit res, niſi objective, quatenus de iis contractum fuit, quarum intuitu perſonæ contrahentes dicuntur creditores & debitores. In obligationibus facti autem nulla ſæpe fit mentio bonorum alterius contrahentis, quomodo ergo pro debito ejusmodi perſonali bona defuncti obligata erunt? Nec magis ferendum eſt, quod putat Grotius, obligationem iſtam ipſi rerum dominio coævam eſſe. Id enim eſt duo maxime diſtincta & inter ſe oppoſita, dominium &

 obli-

obligationem, & utriusque acquirendi modos confundere.

§. 11. *Puta imperium transferendo*) Sed quid si populus imperium non transtulit, sed imperans id virtute bellica occupavit? Teneri eum nihilominus arbitror per interpositam civitatem. Quia enim ex antecessoris facto non antecessor tantum, sed ipse etiam populus, cæteris paribus, obligatur, non potest occupatio alterius bellica facere, ut obligatione sua liberetur populus. Ergo dum totum & integrum corpus universitatis obligatum manet, non poterit immunis esse, qui nunc est universitatis caput & membrum præcipuum.

§. 12. *Si utiliter gestus sit*) At utilitas ista ne quidem in negociorum gestione ex eventu, sed ex re ipsa potius æstimanda est, & sufficit, si utiliter cœptum negocium fuerit, ut maxime effectum non habuerit, & ideo, si insulam fulsit, vel servum ægrum curavit, etiamsi insula exusta est, vel servus obiit, negocium utiliter gessisse dicendus est, *l. 10. ff. de negoc. gest.*

Quam declarari, eũ non ultra obligare) Sed a quo ista declaratio erit facienda? cum Princeps superiorẽ non habeat. Facienda igitur erit ab ipso Principe. Quid ob-

obſtat ergo, quo minus etiam reſtituere ſe Princeps poſſit adverſus contractum dolo aut metu initum? quod tamen negavit ſupra Grotius.

§.13. *Hæc revocari non poſſunt*) Refertur enim donatio inter modos acquirendi, & hinc, quod acquiſitum eſt, auferri a Principe nequit. Vid Rauchbar *l.* 2.*q.* 11. Diſſentiunt Doctores communiter, qui privilegia mere gratuita etiam ſine cauſa revocari poſſe contendunt, a quibus tamen merito diſceſſum fecimus *exercitat.* 4. *de jur. majeſt.n.* 50. 51. 52.

Quæ vinculum duntaxat legis demunt) At ſicubi lex iſta & vinculum legis tantum obligat in commodum Principis, quia tum de ſuo liberalis eſt Princeps, ſi immunitatem conceſſerit, non magis eam revocari poſſe arbitror, quam priore caſu, quando perfecte donat.

§. 14. *Non tenebuntur populi*) At quamprimum conſenſerit populus ſive verbis ſive factis in ejus imperium, quod poſt invaſionem contingere plerumque ſolet, teneri populum, verius eſt. Et agnoſcit ipſe Grotius ſupr. *cap.*4.*n.*14. imperia vi primum parta poſſe ex voluntate tacita jus firmum accipere, & voluntatem aut ex initio

con-

constituti imperii aut ex post facto esse posse talem, ut jus det, quod inposterum a voluntate non pendeat.

CAPUT XV.

§. 1.

Q*Uæ fit per pacem*) Rectius legitur *per principem*. Fr. Duaren. *ad l. 5. ff. de pact.* Arnold. Vinnius *tr. de pact. c. 2.*

§. 3. *Sponsio autem est*) Hoc sensu admodum stricte accipitur vocabulum sponsionis. Alias enim id latius patet, & omnem significat promissionem, *l. 7. ff. de V. S.* & ibi Gœddæus.

Promissiones repudiat) Quatenus scilicet factum omnino alienum est, & nullum a promittente habet principium. Si vero a promittentis facto pendeat alienum, seu causa committendæ ex alieno facto stipulationis promittentem attingat, ipsiusque factum notet, utique vires habet promissio. Vid. Gœdd. *de contr. & comm. stipul. cap. 6. n. 188. seq.*

Ad id, quod interest) *l. 2. l. 13. l. 18. l. 19. ff. ratam rem hab.* quas non satis attendit Ant. Fab. *Cod. l. 8. tit. 25. def. 10.* statuens, non teneri Syndicum, qui promisit curaturũ se, ut rata habeatur ab Universitate transactio

actio a se inita, ad aliud, quam ut summam præstet diligentiam.

§. 5. *Ita ut latrocinari)* Istæ tamen si justo examini subjiciantur actiones, etiam apud immanissimas gentes conscientias solicitant. *Dic*, inquit Seneca, *cuilibet ex istis, qui ex rapto vivunt, an ad illa, quæ latrociniis & furtis consequuntur, malint ratione bona pervenire, optabit ille, cui grassari & transeuntes percutere quæstus, potius illa invenire quam eripere: neminem reperies, qui non nequitiæ præmiis sine nequitia frui malit. Maximum hoc habemus naturæ meritum, quod virtus in omnium animos lumen suum præmittit: etiam qui non sequuntur illam, vident. lib. 4. de benefic. c.* 17.

Hi hostes quidem non sint) Tria erant hominum genera, cum quibus armis depugnabant Romani, 1. hostes, quibus bellum publice populus Romanus decrevit, vel ipsi populo Romano, *l. 24. ff. de captiv. & postl.* 2. latrunculi vel prædones, qui in itinere hominibus cum telis insidiantur. 3. qui nec hostes nec latrunculi proprie sunt, pro hostibus tamen habentur, & dicuntur latrunculi exteræ gentis, *l. 6. ff. de captiv.* & illi sunt gentes illæ barbaræ, cum quibus neque amicitia, neque hospitium, neque fœdus amicitiæ factum est. *l. 5. §. 2. ff. eod.* Add. Franzk. *l. 2. resol. 9. n. 47. seq.*

§. 7.

§. 7. *Majestate comiter colenda*) Dixit de ea re Grotius *l.* 1. *c.* 3. *n.* 21. Add. Anton. Matthæus *de criminib. tit. de les. majest.* *c.* 1. *n.* 6. & quæ diximus *exercitat.* 1. *de jurib. majest. n.* 33. 34.

§. 8. *Ut religionis discrimen non admittat*) Quid vero, si quis omnino Deum neget? Utique talem ipsum abhorret jus naturæ.

§. 9. *Benefacere popularibus*) Proximum explicavit Grotius judaizans, supra *l.* 1. *c.* 2. *n.* 8. *p.* 29. de populari & concive, quod falsum est, cum ex interpretatione Salvatoris quilibet extraneus proximi loco sit. Conf. Hottinger. *in jur. Hebr. leg.* 219. *p.* 523.

Non licuisse) Ergo in honestate tantum id ponit Grotius apud Judæos, non in præcepto, quod iterum falsum est, cum proximum diligere sit ex lege morali.

Non solitos Judæos convivere) Idololatrarum consortium prohibitum erat Judæis, ne idololatria inficerentur. Utque hoc evitaretur, omnem Gentium conversationem respuebant. Et ut eo magis id obtinerent eorum Doctores, statuerunt, gentiles omnes habendos esse pro immundis, h. e.

h. e. talibus, qui contactu semper contaminarent Judæum. Vid. Selden. *de jur. nat. & gent. l. 2. c. 5. p. 180.*

Habuisse promissiones victoriæ) Istæ promissiones ad omnes homines pertinent, cum non Hebræos tantum, sed etiam universum genus humanum obliget Lex moralis. Hoc autem peculiare tum fuit apud Judæos, quod summam majestatem, adeoq; etiam jus belli sibi soli reservaverat DEUS, cum quo scilicet pugnandum erat, si quis hostem se Israelitis præbuerat.

Non legis præcepta) Quidni cum & divino instinctu & imperandi modo scripta sint. Sed enim hæreticum hic aliquid proponit Grotius de novis Evangelii præceptis, quod scil. ea, si reperiantur in libris Vet. Test. præter legem, pro monitis tantum habenda sint, non ut præcepta accipienda. Dn. Calov. *contra Grot. in Proverb. 20. v. 21.* Cloppenburg. *in disp. p. 92.*

§. 10. *Lex autem Evangelii)* Jam sæpe id notavi, nullam dari Legem Evangelii, & Grotium hic cum Socinianis admodum crasse errare. Legem novam a Salvatore latam esse, tota ignorat Scriptura, neque ex Redemptore Christo Legislator faciendus est, tantum abest, ut rigidiores eum, quam in V. T. fuerint, leges tulisse concedamus.

mus. Et perversa igitur hinc merito notatur methodus Grotii, qua etiam in moralibus diversa sæpe considerat tempora, id scilicet quod fuit ante legem, quod fuit tempore legis, & quod sub Novo Testamento existere cœpit.

§. 11. *Nulla ergo hic intrinseca)* Tutissimum est dicere, fœdera cum infidelibus non esse omnino improbanda, dum tamen ea fiant vel commerciorum tantum causa, vel si arma jungenda fuerint, non ineantur ea adversus nostræ religionis consortes, neque in fraudem veræ fidei. Eo enim nomine pessime audit Franciscus I. Galliarum rex, quod adversus Imperatorem Romanum fœdus fecerit cum Turcis, apud Limnæum *in not. ad proœm. capitulat. Caroli V. n. 85. seq.* nec multum juvatur ejus causa apud Grammondum *l. 3. histor. Gallic.* Cæterum de tota hac controversia videri possunt Gerhard. *Loc. de Magistrat. num. 154. seq.* Rheinking. *de regim. secul. & Eccl. l. 2. class. 3. cap. 3. num. 33. seq.* Matth. Cuno *de pact. l. 1. c. 22. n. 74. seqq.* Limn. *not. ad art. 11. capitul. Carol. V. verb. Aller Hülff &c.*

§. 12. *Debent ergo Christiani omnes)* Sed profecto optare id licet, sperare non licet. Ut maxime enim adversus infideles coeant Christianorum fœderato-

rum

rum haud pauci, nescio tamen, qui factum fuerit, quod plerumque nihil omnino Christianæ rei accesserit. Pleraque enim illa fœdera, vel quod uni partium satisfactum jam esset, vel quod non ea, quæ sperabatur, ad unumquemque fœderatorum redundaret utilitas, vel quod varietate sententiarum inter se disjungerentur, vel quod remissiores essent alii aliis, citius quam creditum esset, fuerunt dissoluta. Vid. Forstner. *ad Tacit. l. 1. pag. 42. seq.*

§. 14. *Nisi ex actibus*) Sed isti actus non faciunt, ut ad tantundem temporis contractum censeri debeat fœdus, quantum fuit id, quod præterlapsum est. *arg. l. 13. §. f. ff. de locat.* Et imo videntur isti actus benevolentiæ magis esse, quam fœderis renovati indicia. Add. Fr. Mantica *Lucubrat. Vatican. l. 27. tit. 7. n. 38.*

§. 15. *Si pars una fœdus violaverit*) Prolixe & cum multis allegationibus hæc tractantem vid. Matth. Cunon. *de pact. c. 22. n. 86. seqq.*

§. 17. *Nam hæc conditio non impleta*) Si hoc vult Grotius, debere hoc casu sponsionem disertis verbis ratam haberi, faciendum cum eo non est. Non enim verbis tantum ratum haberi potest, sed

etiam actu seu facto. *l. 5. ff. ratam rem hab.* Anton. Tessaur. *decis. 7.* Robert. Lancellot. *de attentat. l. 1. cap. 1. num. 54. seq.* Et igitur, sive pure, sive sub conditione facta fuerit sponsio, utrinque factum aliquod aut verba saltem requiruntur ad declarandam ratificationem.

Caput XVI.

§. 1.

Quod recta interpretatio suggerit) Ista interpretatio quandoque stipulatori, quandoq; promissori nocet, & per consequens non semper est in potestate stipulatoris, interpretationem in commodum suum facere. *l. 99. ff. de V. O.* Arn. Vinn. *de pact. c. 20. n. 4.*

§. 2. *Populari ex usu)* Frustra igitur est omne artificium Jesuiticæ æquivocationis, quod ad lectoris stuporem ex ipsissimis eorum Antesignanis concinnavit & sugillavit Ludov. Montalt. *in epist. provincial. 9.* Conf. Hülsem. *in manual. contr. Hager. pag. 616. & in breviar. cap. 12. n. 25.* Rivet. *in explicat. decalog. p. 1280. tom. 1. op.*

§. 4. *Si fieri potest)* Si enim ambæ conventiones consistere possunt, tunc priori non

non censetur derogatum per pactum posterius. Carpzov. *p. 2. const. 33. def. 17.*

Prioribus derogavit) Nisi priora fuerint jurata, Joh. Guttierrez *de juram. confirm. part. 1. cap. 74.*

§. 5. *Sed civilibus intelligi*) Quatenus scil. simul comprehenduntur noctes. Et dicuntur civiles, quia leges in præfiniendis diebus, & mos civilis in numerandis diebus magistratuum, contractuum, aliarumque actionum civilium utitur diebus compositis & integris. Hodie tamen plerique Mathematici naturales vocant dies, quos hic civiles dicit Grotius, & quos naturales dicit, illi artificiales vocant. Vid. Joh. Bapt. Ricciol. *in Almagest. lib. 1. c. 24.*

De similibus) Sic Rhadamistus Mithridati jurat, nec veneno nec ferro vim ei allaturum, captum injecta multa veste necat. Tacit. 12. *annal.* Belisarius Gilimero Regi Vandalorum capto promiserat, eum ferreis catenis ligatum in triumpho non ducturum, quem aureis vinctum duxit. Procop. *de bell. Vandal.* Ludovicus XI. Francorum Rex, cum Ludovicum de Luxenburg ad supplicium quæreret, amice scripsit, se capitis tanti viri plurimum egere. Quæ loquendi ratio & pœnam & consilium significat. Bodin. *de Rep. l. 5. cap. 6.*

§. 6. *Negabat agrum Bœotum esse)* Non sufficit nuda insessio, ut ager hosti eripiatur, & occupatione bellica acquiratur, sed expugnandæ sunt munitiones extructæ, aut extruendæ sunt novæ, imponenda sunt præsidia, ut omnis spes hosti eum recuperandi præscindatur.

§. 7. *Etiam alio loco & occasione)* Ita si quis triticum dari sibi stipulatus sit sine adjectione mensuræ, hæc quidem stipulatio imperfecta est, *l.* 115. *ff. de V. O.* sed si ex tractatu prius habito appareat, de certi generis certæque quantitatis tritico cogitatum & actum esse, id pro expresso etiam in ipsa stipulatione habendum est. *l.* 94. *ff. eod.*

§. 8. *Ratio legis)* Vid. Andreas Tiraqu. *ad l. si unquam. verb. libertis. num.* 46. *seq. C. de revoc. donat.*

Hoc modo) Obscurior hic est sensus, nisi verba, *nam sæpe rationes &c.* usque ad *sufficit*, parenthesi includantur. Exemplum enim donationis propter nuptias substernendum est conjecturæ, quæ colligitur ex ratione tanquam causa unica.

§. 11. *Quatenus immutata non est)* Otiosa hæc sunt verba. Si enim immutata est forma, non amplius est communis, aut si communis manet, non opus fuit, casum mutationis factæ excipere. §. 12.

§. 12. *In non-odiosis*) Distinguit non-odiosa, ut intermedia quædam, ab favorabilibus & odiosis, quomodo Ethici differentiam faciunt non-boni, a bono & malo.

Eam, quæ latissima est) Exemplum vide in *l. 29. ff. locat.*

Significationem artis) E.g. si constitutum fuerit, ut valeat ultima voluntas facta coram tribus testibus, non de codicillis tantum id audiendum erit, sed etiam de testamento.

Aut pacti inutilitas sequeretur) Ita licet res disertis verbis in Emphyteusin concessa, si tamen in instrumento de translatione omnis juris simul mentio facta fuerit, contractus pro censuario, non Emphyteutico habendus est, etsi in instrumento perpetuo emphyteuticus vocetur. Valasc. *de jur. Emphyteu. qu. 32. n. 28.*

Ad vitandam iniquitatem) Ita statutum jubens, ut qualitercunque & quomodocunque occidens occidatur, non est intelligendum de naturali defensione. Fern. Vasq. *l. 1. controv. c. 36. n. 5. 6.*

In odiosis vero) Quandoque tamen etiam odiosæ constitutiones sunt extenden-

dæ. Vid. Tiraquell. *de leg. connubial. gloss.* 5. *num.* 115.

§. 13. *Quia agitur de fœdere rumpendo*) Sed si de fœdere conservando agatur, quia favorabile id est, etiam futuri intelliguntur. Ita si inter confœderatos conventum est, quod neuter ex fœderatis alterius rebelles recipere debeat, non modo de præsentibus, sed etiam de futuris pactum intelligitur. Franc. Mantica *Lucubr. Vatican. lib.* 27. *tit.* 7. *n.* 24.

Non pugnat autẽ cum fœdere) Volunt Doctores, pacem & fœdus non violari, nisi per offensionem retrosimilem, pacem enim esse quandam transactionem, quæ referatur ad lites ejusdem, non diversi generis. Per consequens, sicubi promiserim non offendere te, tu autem socius deinde fias inimici mei, & in conflictu a me offendaris, non videri idcirco id factum contra promissionem, quia spectari oporteat id, quod principaliter agitur. Fr. Mantica *d. l. tit.* 6. *n.* 8. 10.

§. 14. *Non quod repellitur*) Siquidem etiam meris subditis, quibus jus armorum & belli gerendi nullum est, arma capere licet tum, quando ab hoste insultantur,

tur, etiam inconsulto Principe suo, si id exigat necessitas.

§. 16. *Non desinit imperium esse populi*) Rectius Justinianus *§.6.J. de J. N.G. E. C.* populum Regi omne imperium suum & potestatem concedere. Vid. quæ diximus *ad l.1.c.3.§.7.*

Et ipsa interdum materia) In dubio pactum præsumitur potius reale quam personale. Gœdd. *de contr. stip. cap. 9. num.* 164. Hillig. *in Donell. l.22.cap.* 4. *lit. K.L.* Vincent. Honded. *p.1.consil.39.n.* 19.20. Dan. Moller. *p. 2. const. 37. n.7.*

§. 17. *Jus enim regni*) Hinc usitatum Principibus dejectis, ut titulos mordicus retineant.

§. 19. *Et sane vox primi ambigua est*) Admodum subtilis hæc videtur enucleatio. Quid enim differt ille, qui omnes antecedit, ab eo, quem antecedit nemo? Utiq; qui antecedit omnes, in hoc primus dicitur, quod eum nemo antecedat, alias enim antecedere omnes non posset. Sed est tamen nihilominus aliqua differentia. Potest enim aliquem nemo antecedere, sed iste non illico etiam omnes antecedit, quia sci-

licet aliquos habet pari gradu secum concurrentes. Istos scilicet nequaquam antecedit. Ut maxime igitur vera sit propositio hæc: Qui omnes antecedit, eum antecedit nemo. non tamen e converso vera semper est propositio illa: quem nemo antecedit, ille omnes antecedit.

§. 20. *Sed oportet eadem sit)* At ubi eadem est ratio, proprie non potest dici extensio. Extensio enim est de termino ad terminum progressio per adæquationem & paritatem rationum, inter se quidem differentium, similium tamen. At quando in pluribus casibus eadem est ratio, per unam eam deciduntur omnes, non extensive, sed comprehensive, uti genus suam comprehendit speciem. Et hoc est, quod mox dicit Grotius, rationem hoc casu considerari debere in sua generalitate.

Etiam sine ratione illa) Ratio illa est tantum causa impulsiva, sed absque qua nihilominus essem facturus, ut, do tibi decem, ut emas tibi vestem, alias tamen daturus.

Quæ in fraudem fiunt) Fraudis hujus quatuor faciunt species Doctores. Aliam dicunt fieri commutatione rerum, *l. 3. §. 3. in f. & l. 7. §. 3. ff. de SCt. Macedon.* aliam commutatione personarum, *l. 3. §. f.*

l. 4.

l. 4. *l.* 5. *ff. de donat. int. V. & U.* aliam commutatione contractuum, *l.* 5. §. 5. *ff. eod.* aliquam denique fieri in modo contrahendi, *l.* 8. §. 14. *ff. ad SCt. Vellej.*

§. 21. *Sub speciali sua forma)* Hoc enim casu fines mandati diligenter sunt custodiendi, *l.* 5. *ff. mandat.* Extra istum casum excedere quandoque eos licebit mandatario. Gail. *l.* 1. *de pac. publ. cap.* 4. *n.* 29. Rota Genuens. *decis.* 64. Mantica *Lucubrat. Vatic. lib.* 7. *tit.* 15. *n.* 40.

§. 22. *Quod nemo credendus est velle absurda)* Ita si quis stipulatus fuerit pro se & heredibus masculis, exclusis filiabus, intelligendum id est de descendentibus. De extraneis enim si conventio intelligenda esset, sequeretur hoc absurdum, extraneos minus dilectos præferri filiabus magis dilectis. Mantica *Lucubr. Vatic. lib.* 2. *tit.* 13. *n.* 8. Simon de Prætis *de interp. ult. vol l.* 1. *interp.* 1. *dub.* 4. *solut.* 4.

§. 24. *Etiamsi verba latius pateant)* E. g. Si feudum concessum sit alicui pro se & descendentibus masculis, non intelliguntur nepotes ex filia, quia natura feudi, quæ fœminas & descendentes ex illis plane excludit, repugnat.

§. 25. *Secundum potentiam moraliter consideratam*) Ita Lex prohibens ferre arma, non cessat, etiamsi armis tu neminem adhuc offenderis, nec constet, quod offendere velis. Quamdiu enim non cessat potentia offendendi, non potest dici, quod ratio legis cesset.

Quod negandum est) Plerique affirmant Doctores, nisi cogitatum fuerit, vel potuerit cogitari in futurum, aut nisi verbis generalibus concepta sit dispositio, ut in ea veniant tam præsentia quam futura. Joh. Bapt. Costa *tract. de clauf. convent. clauf.* 10. Augustin. Barbos. *clauf.* 129. Seraphin. de Seraphin. *de privileg. juram. priv.* [illegible]. *n.* 22. 23. Joh. del Castillo *l.* 4. *quotid. contr. c.* 59. Joh. Aloys. Riccius *decis.* 1771. Sed cum exceptiones istæ frequentiores in se videantur casus comprehendere, quam ipsa regula, tutius forte fuerit cum Grotio sentire. Promissio tamen de non-offendendo & pax etiam, juramento firmatæ intelliguntur rebus sic stantibus, & excipitur nova causa. Vincent. Carocc. *de juram. lit. decis. quæst.* 5. IX. *quæst. princ. n.* 44.

§. 26. *Æquiprudentiam*) Contingit interdum, ut duplex sese offerat æquitas, uti fit in *l.* 61. *§.* 5. *vers. idq; evidentius. ff. de furt.*

furt. & tum utique in ſelectu faciendo maxime opus eſt tali prudentia.

§. 29. *Ut quod permittit)* E. g. Si lege diſpoſitum ſit: *Concubinam habere cuivis civi Romano liberum eſto.* & mox tempore belli ita conſtituatur: *Mulierem in caſtris miles non habeto.*

Obligat ad quodvis tempus) Scholaſtici ita proponunt: *Præcepta negantia ſemper obligant & ad ſemper.* a malo enim, quod interdicunt, ita abſtinere jubent, ut nullo unquam temporis momento committatur. *Affirmantia autem præcepta obligant quidem ſemper, ſed non ad ſemper,* ſive pro quovis temporis articulo, ſed tum demum, cum præſto eſt objectum, & tale, quale præceptum exigit, ut actiones circa illud exerceri oporteat. Ita miſericordiam exercere jubemur erga pauperes; at validi & improbi mendicantes tales non ſunt, quales beneficentia proſequi jubemur. Ita præceptum de amando Deo non ſemper requirit actum elicitum & exercitum, cum humana conditio ejuſmodi perpetuitatem non ferat, ſufficit, ſi aliquando & certo tempore amet, nec eo tempore, quo amor exigitur, aliud quid faciat contrarium, quod amorem expellat. Conf. Altenſtaig. *in Lexic. Theolog. vocab. præcepta.*

Aut

Aut jussio tacitam prohibitionem contineat) In unoquoque præcepto utrumque contrariorum inest re ipsa. Quia enim contrariorum contraria est consequentia, utique prohibetur id, cujus contrarium imperatur, & vice versa. Sic Deus jubet parentes honore affici, prohibet ergo, ne quis in parentes sit injurius. Sic prohibet, nomen suum in vanum assumi, ergo jubet nomen suum sancte usurpari. Andr. Rivet. *in explicat. decal. vers.* 1.

Præferatur) Pœnæ adjectio non auget prohibitionem, nec facit, ut minus valeat prohibitio alia non pœnalis. Imo vero si lex quid prohibet citra pœnam, actus contra talem legem commissus ipso jure est nullus, cum nullus non sit semper, si pœna fuerit adjecta. Ita prohibetur mulier intra tempus luctus alii nubere, *l.* 1. *ff. qui not. infam.* si tamen nupserit, actus non invalidatur, sed mulier fit infamis, & alias pœnas patitur, *l.* 1. *C. de sec. nupt.*

Aut magis utiles) Exemplum habet Franciscus Duarenus *in tit. de minor. verb. Pomponius quoque &c.* Sint duæ leges, quarum altera statuitur, ut minor adversus pecuniam creditam restituatur, altera, ut filiusfam. ex mutuo non teneatur. Accidit, ut minor filiofam. mutuum daret. quæritur, utra

utra lex, quia alias quidem contrariæ non sunt, sed eventu tamen ita colliduntur, alteri cedere debeat. Sine dubio autem major est favor minoris, quam filiifamilias, & hinc quoque utilitas est commensuranda. Secunda enim lex, quæ ex SCto Macedoniano est, non est lata in favorem filii, sed in odium fœneratoris. Potentius igitur est beneficium ætatis, quam SCti Macedoniani.

Et ut omnes restrictiones tacitas) Quacunque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, sic illud accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit.

§. 30. *Ni aliud convenerit*) Sed nec omnis conventio diversum inducit. Interest enim, utrum convenerit, ut de contractu scriptura conficeretur, an vero ut contractus in scriptis fieret. Priore casu scriptura non facit ad negocii essentiam, sed tantum ad faciliorem probationem, *l. 4. ff. de pign.* Posteriore casu nihil actum intelligitur, donec scriptura omnibus numeris perfecta fuerit. Ant. Fab. C. *lib. 4. tit. 16. def.* 14. Franzk. *ad pr. Inst. de empt. & vend. n. 5.*

§. 31. *Ex jure Romano*) Plurimos in hanc rem citat Arthurus Duck *de autorit. jur. civil. lib. 1. cap. 2. n. 6.* Sed recte tamen sentit Grotius, quod jura aliarum Gentium extra

extra territorium suum, nisi ubi recepta fuerint, non obligent.

§. 32. *Ejus verba formam dare*) Ne sit in stipulantis potestate promissorem sibi in infinitum & pro lubitu obligare, quo pertinet *l.* 1. *§.* 3. *ff. de V. O.*

Antequam vero) Unde nec donatio subsistit, aut obligationem inducit, nisi acceptata fuerit a donatario. *l.* 55. *ff. de O. & A.* Carpzov. *l.* 5. *respons.* 62.

CAPUT XVII.

§. 1.

SIve in non-faciendo) Proprie illud dicitur maleficium, quod in faciendo consistit, *arg. l.* 13. *§.* 4. *ff. de injur.* longe major enim est culpa, quæ versatur in faciendo, quam quæ in omittendo. Late autem accepto vocabulo, etiam non-factum continetur *l.* 121. *ff. de R. J.* Ex quo conficiunt, in statutis vocabulo maleficii non comprehendi omissa, nisi subjecta materia aliud suadeat, Tiber. Decian. *tract. crim. l.* 1. *c.* 8. *n.* 3. 4. 5.

§. 2. *Damnum forte*) Derivationem hanc probat JCtus in *l.* 3. *ff. de damn. inf.*

Exactam quandam diligentiã) Non exactissimam, ita ut etiam levissimam cul-

culpam præstare necesse habeat. Ex dolo enim & levi tantum culpa tenetur, *l.* 10. *l.* 93. *ff. de administr. tut. l.* 10. *ff. de tutel. & rat. distr. l.* 7. C. *arbitr. tut.* & de levi quidē etiam contra communem regulam *in l.* 5. §. 2. *ff. commod.* quia scil. utilitas pupillorum majorem diligentiam requirit.

Et ab assignatrice justitia spectatur) Nego hoc. Ut enim conducatur miles, Professor, Medicus &c. qui quam rectissime fungi isto officio possit, non distributivæ est justitiæ, sed commutativæ. Hornej. *Ethic. l.* 3. *c.* 13. *n.* 11.

§. 3. *Qui dignus sit*) Imo vero, qui dignissimus sit. Alias n. personæ potius, quam loco & Reipublicæ consulisse videtur. Vid. H. Zoes. *ad tit. X. de elect. n.* 44. *seqq.* Nec multum hic abest Grotius a sententia Patrum in Concilio Tridentino, quibus sudes fuit in oculis, communi decreto determinare, digniorem semper eligendum esse ad Episcopatum, quod sufficeret scilicet, si dignus sit. Petr. Suav. *in histor. Concil. Trid. lib.* 8. *pag.* 811. 852. Conf. Fernand. Vasq. *l.* 1. *contr. c.* 28. *n.* 1. *& cap.* 43. *n.* 16.

§. 4. *Qui proprie rei fructus sunt*) Tales sunt fructus naturales. Sed imo etiam in civilibus fructib. damnum dari potest, qui pro-

propterea excludi hic nequaquam debent, vid. *l.* 5. *C. de R. V.*

Si tamen ipse) In restitutione fructuum, quæ a malæ fidei possessore fieri debet, petitoris & damno affecti persona spectatur. *l.* 62. *§.* 1. *ff. de R. V.*

Quibus res melior facta est) Videtur intelligere impensas utiles, de quibus magnum litigium est inter juris civilis Doctores, utrum illæ ab malæ fidei possessore deduci queant? Omnium optima sententia videtur ista, malæ fidei possessorem utiles impensas non deducere, sed tollere tamen posse, si salva re id fieri queat. *l.* 37. *ff. de R.V. l.* 5. *C. eod.*

§. 5. *Ut in semente spes messis*) Hoc exemplum magis pertinet ad §. antecedentem, ubi egit de fructibus percipiendis. Nec vero tum necesse est sementem adesse aut propinquitatem ad actum, sufficit potentiam percipiendi adfuisse etiam maxime remotam, in actum tamen deducibilem, nisi damnum datum, aut res nostra intercepta fuisset.

§. 6. *Alii quoque*) Moralistæ novem enumerant modos, quibus aliquis directe & immediate delinquentis fit consors, eosque his versibus comprehendunt:

Jussio, consilium, consensus (autoritatem inter-

interponentis) *palpo* (id est, laudator, assentator & approbator) *recursus* (ad eum, qui delinquentem receptat, & fovet.)

Participans (i.e. partem capiens ex furto, aut concurrens aut cooperans ad delictum) *mutus* (i.e. qui tacet, cum loquendo impedire posset) *non obstans* (non ferens auxilium ad impediendum damnum) *non manifestans* (i.e. reticens factum, quod notum facere debuit.)

De singulis in specie agit Petr. Binsfeld. *ad tit. X. de injur. & damn. dat. c. 9. quæst.* 1. 2. 3. *seq.* Add. Ant. Matth. *de crim. prolegom. c.* 1. *n.* 7. *seqq.*

§ 9. *Aut factum reticet)* Plurimi recensentur casus, quibus etiam in foro externo pœna debetur reticentiæ, præsertim si damnum averti potuisset. Vid. Molin. *de just. & jur. tract.* 3. *disp.* 18. Less. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 87. Aliqui tamen distinguunt inter reticentiam judicialem, postquam scil. a judice quis interrogatus de re fuerit, & extrajudicialem. Sed hanc distinctionem non admittit forum conscientiæ internum, quippe secundum quod semper revelandum est, si quid damni aut periculi imminuerit proximo. Vid. Covarr. *in c. peccatum. p.* 2. *tom.* 1. §. 3. *num.* 4. *de R. J. in* 6.

Nam si debeat ex charita-

tis norma) quotidianum hoc eſt κρηοφύγετον Moraliſtarum, ut diſtinguant inter id, quod pugnat cum lege juſtitiæ, & quod pugnat tantum cum lege charitatis. Adverſus hanc qui delinquit, peccare quidem iſtum contendunt, non tamen teneri ad reſtitutionem. Cogitandum ego relinquo, num in genere morum opponere ita liceat juſtitiam charitati. Juſtitia ſane hic intelligenda eſt non ea tantum, quæ in foro externo apud judicem cuſtoditur, ſed interna etiam in animo & affectu reſidens. At vero juſtitia iſta interna iiſdem legibus ſuccumbit, quibus ſuccumbit charitas, nec adeo quid juſtum eſſe poteſt, quod repugnet charitati. Utraq; comuni naturæ præcepto innititur: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Huic ſi quid adverſum perpetratur, & juſtitiam offendet & charitatem, ut non videam, quomodo in foro conſcientiæ diſcrimen inter eas facere propter delicta liceat.

§. 10. *Non tenebuntur*) At ea ratione omnino extinguitur & invalidatur cauſa reſtitutionis iſta, quam Grotius §. 7. conſtituit in laudatione. Sic enim laudator nunquam teneretur, quia etiam eo non laudante damnum datum fuiſſet. Rectiores hic ſunt leges civiles *in l. 1. §. 4. ff. de ſerv. corr.* non enim oportet laudando augere malitiam. Et arbitrio judicis punitur, qui man-

mandavit, si etiam absque mandato mandatarius delictum fuisset perpetraturus. Carpzov. *prax. crimin. p.1. quæst. 4. num. 27. seq.* Non minus etiam tenetur ille, qui consilium dedit, & furem e.g. docuit, qua parte ædium paterfamil. injuriæ pateat. Ant. Matthæus *in prolegom. de crimin. c.1. n.8.10.*

§. 11. *Tenentur autem primo loco)* Imo vero primo loco teneri videtur patrator facinoris, quippe qui immediate damnum dedit, & scire debuit, mandatum rei turpis non obligare. Quin & alias plerumque obscurius, aut saltem altioris indaginis est mandatum in delictis, facinus autem perpetratum certum, cujus si & patrator certus est, magis hic, quam alius, de quo non ita constat, primo loco tenebitur.

His deficientibus) Imo etiam non deficientibus his, nihilominus propter suum delictum tenetur patrator facinoris.

Si totus actus ab ipsis) Opus enim, quod a pluribus pro indiviso fit, singulos in solidum obligat, *l.15. §.2. ff. quod vi aut clam.* quo facit *l. 21. §. penult. ff. de furt. l. 51. in f. ff. ad Leg. Aquil.* Hottoman. *quæst. illustr. 33.*

§. 12. *Qui vero de actu tene-*

 tur)

tur) At si ex actu per se licito citra culpam agentis damnum aliquod consecutum fuerit, non tenetur agens de isto damno, *l.*30. §.3. *ff. ad L. Aquil.* Camill. Borell. *consil.*7.

§. 13. *Homicida injustus*) Ita communiter tradunt Doctores. Vid. Petr. Peck. *ad c. peccatum. num.* 3. *X. de R. J.* Anton. Gomez. *part.*3. *resol.*3. *num.*37. Petr. Binsfeld. *ad cap.*1. *X. de injur. & damn. dat. quæst.*4. Alemann. *in palæstr. consult.*2. *fol.*51. Antonius Matthæus *de criminib. tit. de sicar. cap.*7. *num.*11. Sed in foro Saxonico istud receptum non est, quin contrarium diserte habetur *in constitut. Electoral.* 12. *part.* 4. Vid. Hartm. Pistor. *observat.*92. Petr. Heig. *part.*2. *quæst.* 23. *num.* 17. *seq.* Matth. Berlich. *part.*4. *concl.*19. *num.*20. *seqq.* Carpzov. *prax. crimin. part.*2. *quæst.*80. *n.*104. And. Rauchb. *part.*1. *quæst.*10. *num.*17.

Ratione habita ætatis occisi) Alumnorum potius rationem habendam esse contendit Ant. Matthæus *d. l.* Sed rectius tamen sentire videtur Grotius. Illud vero ab eo definitum non est, annon lucri etiam aliqua habenda sit ratio, quod occisus facere potuisset, si diutius vixisset? Utique enim istud etiam huc pertinet, quia ejus hereditatem aliquando opimiorem fecisset.

Ut

Ut qui fugere noluit) Quæstio est, an impetitus ab armato, fugere teneatur? De jure quæritur, & inde nascente licito & illicito, non de eo tantum, quod charitati convenit aut repugnat, quanquam id non minus justum aut injustum recte dicatur. Ipsa autem quæstio valde controversa est, & utrinque multis argumentis agitatur. Nos dicimus, insultatum fugere teneri, nisi id fuerit periculi plenum, §.1. *Instit. de L. Aquil.* hoc est, si vel locum certum non habeat, quo se recipiat, vel habeat quidem, sed nimis remotum aut difficilem accessu, & aggressor pertinacius instet. Tum enim non fuga, sed defensione opus esse, ipsa dictitat recta ratio. Vid. Franzk. *exercit.* 12. *quæst.* 6. Carpzov. *prax. crim. p.* 1. *quæst.* 30. *num.* 53. *seqq.* Tabor. *de legit. armor. usu cap.* 2. *num.* 13. Didac. Covarruv. *ad Clem. si furiosus. part.* 3. §. *un. num.* 4. Paul. Laymann. *Theolog. moral. l.* 2. *tr.* 3. *part.* 3. *cap.* 3. *num.* 2. Obrecht. *de defens. necessar. cap.* 10. *num.* 9. *seq.* Berlich. *part.* 4. *concl.* 13. *n.* 31. *seq.*

Secus in servo) Quod homo servit homini & ministeria præstat, id inconveniens non est, sed quod æstimetur homo, & uti pecus aut res inanimata vendatur, id ab humanitate nimis videtur esse alienum.

§. 14. *Tenebitur ad impensas*) Atque hinc etiam libero homini jus civile dat actionem ex L. Aquilia, non directam quidem ad æstimationem membrorum, sed utilem, ad æstimationem operarum cessantium & impendiorum, *l. 13. ff. ad L. Aquil.* jus autem Saxonicum singulis membris certam tribuit æstimationem pecuniariam, Land-Recht *lib. 2. art. 16.* quæ tamen hodie arbitrio judicis committitur, Carpz. *p. 2. prax. crim. quæst. 99. n. 28. seqq.*

Ita & hic cicatricis) nisi fuerit virgo vel fœmina innupta. *Gomez. tom. 3. resol. c. 6. num. 12.*

§. 15. *Sic adulter*) De jure civili nec succedunt liberi adulterini parentibus, nec alimenta consequuntur, *l. 6. C. de incest. nupt. Nov. 89. c. ult.* Illud iniquum non est; hoc vero plane omnem excedit humanitatem. Vid. Anton. Matth. *de criminib. ad lib. 48. ff. tit. 19. c. 3. n. 7. seq.* Rittershus. *ad Novell. part. 7. c. 8. num. 6.* Verum tamen est, quod hic ponit Grotius, maritum, cujus thorus violatus est, ab onere alimentorum præstari debere immunem. Sed quod addit de restituendo damno, si quod ex concursu propter successionem in hereditate sentiant legitimi, id non caret dubio. Utique enim de hereditate materna tantum quæstio est. Sed neque

neque ad hanc quidem aliter pervenire possunt liberi adulterini, nisi jubente lege. Damnum igitur si quod datur legitimis, a lege datur, non ab adultero.

Tenetur ei rependere) Dos ideo mulieribus constituitur, ut inveniant nubendi conditionem. Hæc autem cum per stuprum illatum multo difficilior reddatur, aut etiam prorsus eripiatur mulieri, non male optionem dederunt stupratori jura Canonica, ut vel ipse ducat stupratam, & per conjugium damnum datum restituat, vel per dotis constitutionem faciat, ut alius ad matrimonium invitetur. Hinc autem conficio 1. non esse dotandam mulierem procacem, petulcam & lascivam, quæ aperte & omni pudore abjecto ad stuprum provocavit, quanquam & hoc casu stuprator adhuc teneatur patri, si quem puella habet. 2. non esse dotandam, quæ pro certa mercede corpus prostituit, nec 3. eam, quæ ab alio jam ante stupro deflorata fuit, nec 4. quæ stupratori nubere renuit. 5. dotandam esse etiam eam, quæ dotem jam habet, imo 6. etiam eam, quæ post commissum stuprum, dignum genere & conditione virum invenit. 7. dotem constituendam esse a stupratore majorem ea, qua alias non-deflorata elocari potuisset.

§. 16. *si res perierit)* Hoc casu,

si fur fustigatione aut suspendio punitus fuerit, in foro Saxonico nulla domino debetur restitutio. Carpzov. *pr. crimin. p.* 2. *quæst.* 80. *num.* 110.

Non summam) Imo vero æquum est, ut dominus ipse precium statuat pro arbitrio, quod nemo cogi possit, ut rem suam vendat invitus. Atque hinc leges Romanæ juramentum admiserunt adversus furem, *l.* 9. *ff. de in lit. jur.* quem textum de condictione furtiva & juramento affectionis explicat Bachovius *ad Treutl. vol.* 2. *disp.* 30. *thes.* 3. *lit.* B. Conf. Lud. a Pegvera *decis.* 23.

§. 17. *Quia ille jus habuit*) Jus quod quis habet, consistit in positione rei, non in ejus negatione. Etsi igitur tu non habeas jus me cogendi, non tamen propterea dicere possum, me habere jus, ne cogar.

§. 18. *At qui causam dedit*) Sed hoc casu vis illata non erit injusta, aut si adhuc injusta fuerit, tenetur vim inferens damnum datum resarcire, non obstante, quod alter ille causam dederit.

Nam involuntarium) Vid. Johan. Bapt. Cost. *de fact. scient. & ignor. inspect.* 24.

§ 19. *Et piratas ac latrones*) Vid. quæ diximus supra *ad c.* 15. §. 5.

§. 20.

§.20. *Ex neglectu tenentur*) Sed ad quid? num ad totum damnum resarciendum? Ita videtur. Dn. Carpzovius tamen duo tum conjunctim requirit. Primum, ut dominus territorii spoliatis dederit salvum conductum. Secundo, ut deprædatus via regia usus fuerit, nec ab ea deflexerit, *in prax. crim. part.2. quæst.91. num.60.* De postremo hoc dubium non est. Prius autem illud, si extra jus constitutum consideretur, necessarium forte requisitum non est. Agnoscit Dn. Carpzovius teneri principem securitatem publicam sartam tectam conservare, idque si minus fecerit, teneri ex culpa & quasi delicto; sed pro hoc delicto nullam certam ait esse definitam pœnam, & idcirco arbitrariam eam esse, non eam certam, ut spoliatis damnum resarciat. At salva Viri autoritate putamus nos, de pœna non esse disceptandum, nec restitutionem damni, quod quis culpa sua dedit, pœnæ nomine venire, nec inter privatos alia, quam persecutoria rei actione peti posse.

Sine permissu tali) Id non videtur. Reipubl. enim interest, ne sine autoritate superioris promiscue a privatis fiant excursiones in hostes.

Et alios quosdam) uti sunt publicani, *l.1. ff. de publican.* dominus ædium

propter dejectionem aut effusionem, *l. 6. §.2. ff. qui effud.* Vid. Joh. Bapt. Cost. *de fact. scient. & ignor. inspect.* 42. Carpzov. *p.* 4. *constit.* 43. *def.* 6. & 7.

§. 21. *Itidem ex jure civili esse)* Sed quorsum respondit Autor §. *anteced.* rectores suæ patriæ in nihil amplius teneri, quam ut noxios punirent aut dederent. Utique enim ex jure gentium decidere se controversiam ibi profitetur.

§. 22. *Sed damnum)* Honori proprie nullum infertur damnum. Ut enim nihil accedit existimationi illius, qui laudatur, ita de honore & existimatione gravis viri & honesti nihil detrahitur verbis injuriosis. Hahn. *observ. ad Wesenbec. tit. de injur. n.* 18. Subsistit enim fundamentum honoris in honestate morum, vitæ probitate aliisque qualitatibus, quod nec atrocissimæ injuriæ evertere queunt. Quia autem internum illud & in nobis consistens fundamentum, externum ex se parit honorem, tanquam effectum moraliter sibi debitum, ideo qui injurias evomit in aliquem, non tribuit ei, quod debet, qui vero non tribuit, quod debet, damnum dat, & ad reparationem tenetur. Vid. Gregor. de Valentia *comm. theol. tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 16. *punct.* 1.

CAP.

Caput XIIX.

§. 1.

Sancta corpora legatorum) Sacrosanctum, autore Festo *lib.* 28. dicitur illud, quod jurejurando interposito institutum est, ut si quis violasset, morte pœnas penderet, vel quod sine expiabili scelere violare nemini prorsus liceret. In genere sanctum dicitur, quod inviolabile, incorruptum, ab injuria hominum defensum ac munitum est, *l.* 8. *ff. de R.D.* Macrob. *l.*3. *Saturn. cap.*3. Marcell. Donat. *ad Liv. lib.*27.

§. 2. *Provinciales, municipales)* Civibus ac subditis jus mittendi Legatos non competit, nec qui ab iis mittuntur, Legati dicuntur, sed Deputati & Syndici. Anton. Perèz *C. de legat. n.*18. quemadmodum & illi, qui a Principe ad subditos mittuntur, raro hodie Legati, ut plurimum Commissarii dicuntur.

Jus legandi perdiderunt) Non sequitur illico majestatis amissio ex amissione regni. Imperium enim, ipso docente Grotio *l.*2. *c.*3. *n.*4. duas habet materias subjacentes, primariam personas, & secundariam, locum, qui territorium dicitur. At potest post amissionem loci, Princeps adhuc

adhuc maximam partem populi penes se habere. Et ut maxime non habeat, non tamen omni mox majestate dici potest dejectus, quamdiu spes restitutionis superest. Hoc tamen forte concedendum est Grotio, Victorem non teneri Principis a se victi Nuncios ut Legatos venerari. Quæ enim hic intercedit relatio victoris & victi, extinguit æqualitatem, propter quam jus Legatorum sustinetur.

Ut dubium sit) Si enim certum id est, alteri jus tale denegandum est. Ita in imperio, ubi jus primogenituræ locum habet, jus imperii apud primogenitum esse censebitur, ut maxime frater natu minor penes se majorem populi partem habeat, & de summa imperii cum fratre natu majore certet.

§. 3. *Quod ab hoste armato veniret)* Atneque pax, neque induciæ, neque ullæ aliæ conventiones inter belligerantes iniri facile possunt, nisi per Oratores & Interpretes. Hos ergo, qui respuit ideo, quod ab hoste armato veniant, omnem tollit reconciliationis, & pacis reparandæ spem, omne inter populos inimicos commercium.

Qui ἄθεος vocabatur) Propter solum atheismum aut hæreseos labem si rejicere Legatos quis velit, peccare videtur ille in

in jus gentium. Evangelium enim uti non tollit politias, ita nec commercium, quod illæ inter se habere solent.

Legationes assiduæ) Distinguunt hodie Legatos in ordinarios & extraordinarios. Illi, nisi revocentur, perpetuo id munus apud Principem, ad quem missi sunt, gerunt, & veluti exploratores sunt eorum, quæ geruntur, nec ita grati Principibus, ad quos mittuntur. Hi digniores sunt illis, & temporarias legationes subeunt, easque vel officii, vel negocii, vel honoris gratia. Anton. Perez *Cod. de Legat. num.* 2. Inter omnes minime necessaria videtur legatio ea, quæ fit honoris causa, ad gratulandum scilicet vel condolendum; sed nec hanc tamen omitti debere dicit Perez, ne simultatibus occasio detur, & ut mutuæ amicitiæ identidem reviviscant. Neque facere aliquid potest ratio Alberici Gentilis *lib. 2. de legat. cap.* 12. quod scilicet jura gentium ex humanis necessitatibus esse dicantur, in hujusmodi autem legatione necessitas nulla sit. Non enim necessitas tantum, sed etiam utilitas causa est & fundamentum introducti juris gentium, ita ut sub eo comprehendantur omnia illa, quæ ad vitæ cōmunis necessitatem & commoda, conjungendasque inter se Respublicas & gentes a Viris sapientibus excogitata in usum gentium pervenerunt. Et talis

etiām

etiam est legatio, quæ fit honoris causa, quippe quæ commercium & concordiam inter Respubl. conservat, & majorem fiduciam ad se invicem excitat.

§. 4. *Jus naturæ includitur)* per argumentum a minori ad majus. Si enim id puniendum fuerit in legato, quod ab eo commissum est contra jus gentium, multo magis puniri debet id, quod commissum est ab eo contra jus naturæ.

Judicia duo habeo) Non sufficiunt hæc duo, nec etsi accesserit tertium Grotii. Nemo nescit, etiam prudentissimorum judicia sæpissime falli, etiam tum, quando conjunctis suffragiis explicantur. Uterque, & Livius & Salustius, nimis generaliter & sine ulla restrictione considerat jus gentium; Salustius tamen id ex ratione æqui bonique temperandum esse, haud obscure innuit.

Sed recte a majori) Imo hoc argumentum potius est a minori. Si gentium jus violatur tum, quando in comites Legati suppliciis animadvertitur, multo magis violabitur, quando in Legatum ipsum animadvertitur. Nec procederet a majori argumentatio, nisi negative.

Patitur pœnas exigi) Imo præcipere videtur. Dicendum erit ea de re

cap.

*cap.*20. Quod autem præcipit aut prohibet natura, prohibere aut præcipere nequit jus gentium, permittere tamen forte poteſt ex certis circumſtantiis.

Conjectura quoque) Interpretatio conjecturalis tum præcipue videtur habere locum, quando lex ſcripta eſt, & ex promulgatione initium cœpit, ut de mente Legislatoris exactius conſtet. Sed jus gentium aperte non eſt conſtitutum, aut ſanctione aliqua introductum, ſed tacita tantum, communi tamen conſenſione gentium receptum. Et veriſimile eſt, non aliter placere iſtud jus, quam poſito eodem rerum ſtatu, & eadem gentium conditione. Nulla igitur eſt conjectura, voluiſſe gentes indiſtincte & ſine limitatione legatos eſſe inviolabiles, præſertim ſi delinquendo jus gentium violaverint ipſi, cum indignus ſit, ut jure gentium defendatur, qui iſtud ipſe non obſervat & cuſtodit.

Privilegia ita intelligenda) Sanctitas Legatorum non videtur eſſe ex privilegio, ſed potius a majeſtate communicata, quam ipſis induunt mittentes.

Nihil præcipui) Imo hoc magnum & præcipuum eſt, quod hoſtium Legati inviolabiles ſunt, qui alias occidi poſſent

ſent impune, niſi illis hanc ſecuritatem conceſſiſſet jus gentium. Nec alia de cauſa jus iſtud ſecuritatis videtur ab initio inter gentes conſtitutum, niſi ut neceſſarium inter ipſos hoſtes ſuſtentaretur commercium. Quod enim amicorum aut confœderatorum Legati violari non debeant, ex alio principio manat, & præter majeſtatem, quam in Legatis reverenter habere decet, etiam amicitiam, ſocietatem, aut aliam conjunctionem ponit, quam iniquum plane eſſet, injuriæ aut violentiæ exponere.

Bello nos non eximet) Sed quia hoc caſu, quando qui miſit Legatum, factum ejus probat, utrobique bello locum facit Grotius, ſive nolit punire, qui miſit, ſive ipſe, ad quem mittitur, eum puniat, ſatius erit, ultimum hoc eligere & Reipublicæ ſatisfacere, in qua peccatum eſt, quam ab alio pœnam bello, dubio eventu, exigere.

Quod criminis accipiat ſpeciem) Sed hic præſupponendum eſt, crimen iſtud, cujus arguitur Legatus, tam eſſe manifeſtum, ut vel negare id nequeat, vel apertis convinci poſſit teſtimoniis. Non ergo ſufficit, ſpeciem criminis prætexere.

Quare omnino ita cenſeo) Ego ita cenſeo, delicta leviora diſſimulanda eſſe. Propter atrociora, quæ principaliter in privato.

vatorum vergunt injurias ac damna, remittendum esse legatum ad eum, qui misit, cum elogio & postulato, ut vel puniatur, vel dedatur; propter ea vero, quæ directo statum aut dignitatem imperantis lædunt, non puniri tantum posse Legatum, sed etiam occidi, ab ipso illo Principe, ad quem missus est.

Quasi extra territorium) Id certum est, Principem in alterius territorio consistentem suam adhuc retinere majestatem, nec propter discessum ex provincia sua alterius fieri subditum. Idem dicendum de ejus Legato. At quando Princeps ille hostilia molitur in alterius territorio, & populum in conspirationes ac seditiones concitat, dubium apud me nullum est, & capi eum posse, & occidi, non quidem ut subditum, sed ut hostem. Nec aliud dicendum hinc erit de ejus Legato.

Et retineri & interrogari) Quis vero finis erit retentionis & interrogationis, si supplicio afficere non licet?

§. 5. *Siquidem ad hostes eorum eunt*) Quid vero si ad hostes quidem eant tertii, sed ut ad concordiam eos & pacem ineundam disponant? quid si ab hostibus quidem veniant, sed ut intercessores quærant & mediatores, qui hostem sibi reconcilient? utrobique cessat præsumtio,

quæ violationem alias ſuadere poſſet, nempe in tuum damnum vel injuriam legationem ſuſceptam eſſe.

§. 8. *De vi publica teneri*) Qui Legatos violat, ſi ſubditus fuerit ſive mittentis, ſive ejus, ad quem mittitur, præter L. Juliam de vi publica, tenetur etiam Lege Julia majeſtatis, Tiberius Decianus *tr. cr. lib.7. cap.5. num.12.* Nec obſtat, crimen læſæ majeſtatis non committi niſi a ſubdito; ſubditum autem ejus, ad quem mittitur legatus, non eſſe ſubditum mittentis. Committit enim hic crimen non in iſtum Principem, cujus ſunt legati, ſed in proprium Principem, cujus adeo ſecuritatem violat, propter vindictam ſcilicet, quæ ut plurimum a mittente ſuſcipi ſolet. Idem tamen de injuriis, quæ Legatorum comitibus inferuntur, dicere nolim, niſi in contemptum Legati tale quid factum fuerit.

Ipſe autem legatus) Autor hoc videtur ſtatuere, habere quidem Legatum a Principe ſuo juriſdictionem, eo quod Principem referat, qui nunquam eſt ſine imperio, ſed eam tamen in alterius territorio exercere non poſſe, niſi id conceſſerit territorii dominus. Quod primum attinet, negamus, Legatum ideo, quod Principem ſuum repræſentet, jurisdictionem habere; communicatam enim habet non totam & integram

gram majeſtatem, quatenus ea ſe in ſubditos diffundit, ſed ſtricturam tantum majeſtatis, tantam tamen, quanta in collatione ad extraneam majeſtatem ſufficit. Niſi igitur in ſpecie a Principe ſuo conceſſam acceperit juriſdictionem, nego iſti eam competere. In ſecundo non neceſſe videtur, ut Legatus diſertam habeat a Principe territorii conceſſionem de exercenda juriſdictione; ſufficit, ſi ille non prohibeat, nec exercitium impediat.

Caput XIX.

§. 2.

S*implicius eſt*) Imo hoc ſimplicius eſt, ſepulchra primum inventa eſſe ad removendum fœtorem, ex cadaveribus provenientem, non principaliter defunctorum cauſa, quod eis alias facilis ſit jactura ſepulchri. Et huc ſcil. pertinent interdicta & prohibitiones, ne in civitate ſepulchrum fiat. Vid. Johan. Franciſc. Ripa *tract. de peſte cap.* 4. *num.* 98. Quemadmodum igitur brutorum cadavera ideo terra obruimus, ne ex fœtore aër inficiatur: ita non alia videtur eſſe origo humanæ ſepulturæ, niſi quod benignius de ea, & ut Chriſtianos decet, ſentiamus atque loquamur.

§. 4. *Sepeliri jubet*) Id extende-

runt Judæi etiam ad omnia suppliciorum instrumenta, ita ut lapis, quo aliquis obrutus, gladius, quo decapitatus, mappa, qua suffocatus, non quidem in ipso occisi sepulchro, sed in carcere ejus sepelirentur. Ipsi vero facinorosi non sepeliebantur in sepulchris majorum suorum; sed duo alia sepulchra in hanc rem a senatu constituta fuerunt, unum lapidatis & ustis, alterum gladio & laqueo interemptis. Quod vero in aliis funeribus Judæorum fiebat, ut propinqui discalceatis pedibus funus præcederent, & humeris exsertis, fiticines ad faciendos lessos conducerent, aliaque similia peragerent, de quibus videri possunt Misna & Maimonides, id omne hic penitus cognatis erat interdictum.

Divinæ imagini) Sed hæc non constitit in externa corporis forma, uti falso etiam præsupponit Constantinus Imperator *in l.* 17. *Cod. de pœn.* qui in facinorosi facie scribi ideo prohibuit, ne facies, quæ ad similitudinem pulchritudinis cœlestis est figurata, macularetur; sed sita fuit potissimum in illustratione mentis & rectitudine voluntatis.

Qui tamen mos an laudandus sit) Postquam semel mos invaluit, teme-

temere eum mutandum non esse, dicit Petrus Heigius *lib.2. quæst.37.* præsertim cum ille faciat ad emendationem aliorum. Nec obstat lex Mosaica *Deut. XXI. v.23.* quippe quæ juris quidem divini est, sed positivi & forensis, quæque idcirco aliter se apud alias gentes habere potest. Vid. Hahn. *Obs. in Wesenbec. tit. de cadaver. punit.* Quirin. Kubach. *cent.2. dec.2. quæst.1.* Speckhahn. *cent.1. quæst.9.*

Fecit hoc suo jure) Sequitur tamen hinc, non esse natura illicitum, insepultum relinquere summe facinorosum.

Ad solos Hebræos) Aliquoties dixi, non esse concedendum judaizanti Grotio, proximi nomen in Republ. Judaica tantum ad Hebræos pertinuisse.

§. 5. *Et passim receptum*) Si quis tamen, cujus de vita bene acta constat, sine animo fraudulento ex furore, melancholia, vel alia animi impotentia, manus sibi intulerit, honesta non videtur privari debere sepultura, quanquam de ceremoniis ut remittatur nonnihil, judicis arbitrio determinari debeat. Carpzov. *in Jp. Consistor. lib. 2. defin. 377.*

Si quis videat se deinceps victurum) Quis vero certo hoc prævidere poterit? si quidem Deo perquam facile

cile est, modis nobis incognitis probrum suum avertere. Et ut maxime quis certo prævidere possit, non tamen hinc præsumi debet aut potest voluntas Dei, quæ mortis anticipandæ consilium absolvat. Quis ergo Judæis potestatem dedit casum talem excipiendi?

Sampsonis exemplum) Id uti heroicum & extraordinarium referri huc non potest. Nec proprie *αὐτοχειρίαν* commisit Samson, quippe cujus vires tantæ non erant, ut columnas istas & ædificium insistens prosternere valeret, sed ipse Deus stragem istam edidit, usus scilicet Samsone veluti instrumento, infirmo licet, & ex se minus sufficiente. Vid. Dn. Calov. *advers. Grot. ad Judic. cap. 16, 30.*

Et Saulus) Atqui hic ex desperatione sibi manus intulit, non ob gloriam nominis divini.

Nam hunc resipuisse volunt) Fabula hæc est Rabbinorum. Nec resipiscentiæ adscribi potest, quod prælium iniit. Id enim non iniisset, nisi spectro fidem habuisset, a quo exitium sibi imminere didicerat, ut ita ex desperatione potius, quam ex pietate pro patria & lege Dei cum hostibus congressus fuerit.

Samuelis umbra) Spectrum hoc

hoc fuit & ipſe Diabolus, formam & habitum Samuelis mentitus.

Davidis etiam præconio) Præconium Davidis fortitudinem bellicam concernit, non factum Saulis noviſſimum.

Recte facti teſtimonium) Ex facto ſepelientium, non ponitur factum Saulis in genere licitorum. Fuit Saul unctus Domini, Rex, Socer Davidis. Merito igitur laudantur a Davide, qui eum ſepeliverant. Vid. Dn. Calov. *adverſus Grot. ad 1. Sam. XXXI.* 4.

Exemplum Razis) Petitur iſtud exemplũ ex libro Apocrypho, cujus in probationibus nulla aut infirma eſt autoritas.

Quid Auguſtinus ſentiat) Imo hic potius audiendus eſt, quam alii. Excerpta ex ejus ſcriptis refert Dn. Calov. *ad d.l. Judic.*

Bellum juſte ſuſcipi) Dubitamus, num juſta hæc ſit cauſa. Nec enim quicquam hoc caſu periclitatur, vel dignitas imperantis, vel ſtatus Reipublicæ. Et principium eſt, dicere, licere bellum gerere adverſus eum, qui denegavit aliquid nobis contra jus gentium. Non tamen inficior, in humanitatem illum peccare, qui ſepulturam negat, præſertim poſtquam cultiſſimæ gentes, Græci maxime, ſepulturam inter præci-

pua humanitatis officia habuerunt. Diodor. Sicul. *bibl. l.13. c.75. & cap.*101. secus atque Persarum Magi, qui defunctorum cadavera non ante telluri mandarunt, quam canibus voracibus & alitibus esca fuissent. Herodot. in *α*. qui tamen haud parum sapientiores & moratiores cæteris gentibus videri volebant.

Caput XX.

§. 1.

O*B malum actionis)* Omnis pœna delictum sive peccatum præsupponit. Peccatum autem est vel comissionis, quod fit contra legem negantem, vel omissionis, quod fit contra affirmantem. Et quia ultimum hoc in definitione non comprehenditur, angustior erit ea suo definito.

Proprie pœnæ non sunt) Vid. Selden. *de jur. nat. & gent. l.*1. *c.*4. ubi plura in hanc rem adducit exempla. Optime Dominicus de Soto *l.* 1. *de just. & jur. quæst.* 6. *art.* 5. *Pœna vel ipso attestante nomine tam cognatam habet connexionem ad culpam, ut pœna neq; rem habeat, neq; justum nomen, nisi sit pro culpa posita.* Et paulo post: *Quocirca nisi culpa adsit, improprie & præter verborum significationem usurpatur, sit enim per pœnam justa repensio culpæ, &c.*

Quæ natura ipsa dictat, licita

cita esse) Hoc vult, naturam non præcipere, ut delinquentes puniantur, sed quo minus id fiat, non vetare. Sed hæc assertio non videtur satis firma. Præcipit enim naturalis ratio, bona facienda esse, mala fugienda, omnisque lex, etiam ea, quæ naturæ est, facienda præcipit, fugienda prohibet. At frustra prohiberet lex naturæ, nisi etiam gladium & virgas judici daret, & punire transgressores juberet, cum imperfecta ea sit lex, quæ sanctione caret. Vid. Anton. Matthæus *de criminib. tit. quib. mod. crim. extingu. c. 5. n. 3.* Quo facit, quod abominabilem coram Deo Scriptura dicit eum, qui impium absolvit, aut justum condemnat, *Prov. XVII. v. 15.* Fuerunt quidem, quibus displicuit suppliciorum capitalium usus in Rep. quique eorum loco pœnas incruentas, velut excommunicationem & exilium maluerunt, saltem ut sanguis Christianus minus effunderetur, de quibus Selden. *de synedr. lib. 1. c. 13.* Sed illi tamen pœnas delicto ex præcepto deberi non negarunt.

§. 2. *Venire ex toto ad partem)* Non enim ita communes sunt pœnæ, uti pecuniæ distribuendæ, ut singuli partem auferant: nec ideo punitur aliquis, quia civis & pars communitatis est, sub quo respectu tamen præmia & onera distribuuntur, nec æquum est, ut singulis ita irro-

gentur pœnæ, quemadmodum in singulos distribuuntur præmia aut onera. Vid. Hornej. *in Ethic. l.3. c.13. n.13.*

Ostensum a nobis supra est) A nobis vero ostensum est, exempla Grotii ibi adducta non evertere doctrinam communem.

Jus stricte dictum in se non contineat) Imo vero, si dignus quis est & aptus, ut majorem portionem de præmiis distribuendis accipiat, quam alter aliquis non ita dignus, etiam ex jure stricto non poterit illi minor portio dari.

Ut ipsi accedat aliquid) Nisi alia obstarent, non moveret hæc ratio. Utique enim accedit delinquenti pœna, non aliter atque onus, quod ex distributiva justitia venit.

Pœnam deberi ei) Utrumque dicitur, pœnam deberi delinquenti, ut ei infligatur, & delinquentem debere pœnam Reipublicæ ut luat & solvat. Priorem loquendi modum ἀκυρολογίας ideo arguere nequit Grotius, quia ipse supra pœnam definivit, per malum passionis, quod infligitur ob malum actionis. Utique enim infligitur ex debito, debetur ergo, & redditur nocenti pro delicto. Vid. quæ diximus *ad l.1. cap.1. §.5. in fin.*

Sua

Sua voluntate se videtur obligasse pœna) Hinc contractus alii dicuntur voluntarii, qui nomen retinent, & in specie contractus dicuntur, alii involuntarii, qui nobis invitis, sive per clandestinitatem, sive per violentiam ab alio suscipiuntur, & in specie delicta dicuntur. Vid. Aristot. *lib.5. Eth. cap.2. l.1. ff. de Legib. l.52. ff. de re jud.* Hactenus ergo in delictis statui potest quidam in pœnam consensus, saltem in sponte & deliberato delinquente, cum quisque leges sciat, & in iis sit quædam communis sponsio. Bachov. *de act. disput.1. num.22.* Si tamen verum fateri licet, præstat omnem ex delictis obligationem æquitati potius & communi utilitati, quæ delicta punienda esse suadet, adscribere, quam nimis remotum aliquem consensum, qui ad omnia hominum facta extendi potest, inter causas obligationis hujus referre. Franzk. *Exerc.12. q.1.*

§. 3. *Convenientissimum esse)* In Republ. non conveniens tantum est, sed etiam necessarium, ut pœnæ decernantur a summo rerum Domino, seu illo, qui majestatem gerit. In hunc finem enim imperium ille accepit, ut justitiam administret & sontes puniat. Nec vero imperium istud est ex mero instituto hominum, sed imo ipsa natura duce cœpit, & in statu etiam integritatis

tis locum habuiſſet; non quidem tale, quale nunc eſt, virgis ſcilicet & ſecuribus tremendum, tale tamen, quod ſubjectionem ſpontaneam & minus moleſtam inferiorum continuiſſet, quodque conſulendi officio promptum fuiſſet. Poſt lapſum vero talia addenda erant, quibus coerceri poterant refractarii.

Niſi vox ſuperioris) Ex jam dictis patet, non neceſſe eſſe, ut ad impropriam vocabuli acceptionem recurratur, ſed ſuperiorem nobis dici omnem eum, qui imperium habet.

Puniri non debeat) Quidni? ſi magiſtratus ille fuerit, hic ſubditus. Nec enim officio judicis aliquid decedit, ſi ille nequam ſit, & totus vitiis immerſus; inclareſcit tamen iniquitas ac pravitas judicis, qui in alio ſcelus damnat, ipſe damnandus.

Quo Chriſti ſententia pertinet) Non huc pertinet, ut velit definire, nocentem ab æque nocente puniri non debere, ſed ut quæſtionem captioſam declinaret, & indirecte reſpondendo judicum inquinatiſſimorum vitia reprehenderet. Non enim officium ejus politicum erat & judiciale, ſed ſpirituale ac propheticum. Significans

ficans igitur, ad se non pertinere, ut illorum quæstioni satisfaceret, de qua quid statuendum, satis ex lege edocti essent, respondit de eo, quod quæsitus non erat, ad officium tamen suum pertinebat, nempe de vitiis judicum.

§. 4. *Omnino puniendos*) Diximus ea de re jam supra, ubi contrarium statuimus.

Et Deus) Ex scripturis constat, non posse Deum salva veritate & justitia sua humanum genus citra omnem satisfactionem absolvere a culpa, & in gratiam recipere. Hülsemann. *Breviar. cap. 7. num. 3.* condonatio igitur & remissio peccati absque interventu satisfactionis naturæ Dei repugnat, & est impossibilis. Vid. Gisbert. Voet. *disput. theolog. part. 1. pag. 360.* Sequitur igitur, ut justitiæ divinæ satisfiat, omnino punienda esse peccata vel in ipsis autoribus, vel in alio, qui pœnas pro ipsis sustineat. Condonare autem dicitur Deus, quando admittit, ut satisfactionem ab alio præstitam homo peccator sibi applicet, & justitia aliena delicta sua eluat.

Et homines) scilicet privati inter se, quibus ultio & vindicta prohibita est. At si judex delinquenti gratiam facere & eum prorsus absolvere velit, tantum abest, ut id lau-

laudari debeat, ut potius abominabilis ille coram Deo dicatur.

Ipso summi dominij jure) Contra analogiam fidei nimis extendit autor latitudinem dominii divini, quod etsi immensum sit, non tamen cum justitia & intentione divina debet pugnare. Id non diffitemur, posse creatorem creaturam a se creatam pro lubitu in nihilum redigere & prorsus extirpare, sed hoc negamus, posse Deum creaturam præter meritum miseram facere: posse hominem jure summi & absoluti dominii æternis cruciatibus mancipare: posse homini sine nota injustitiæ quodcunque malum inferre vel ultra meritum culpæ, vel etiam sine culpa. Quod dogma merito horribile dicitur Cornelio Jansenio *tom.* 2. *de doctrin. Augustini lib.* 3. *cap.* 1. *&* 5. Imo vero quia Deus hominem non creavit ad finem mere naturalem, sive caducam hanc & mortalem vitam, sed ad finem spiritualem & supernaturalem, frustra disputatur a quibusdam de potentia Dei circa statum hominis naturalem, consistentem scilicet in puris naturalibus, qui nunquam extitit.

Quam ut puniat) Imo vero alio fine hoc facit, ut constet sibi, & manifestetur atque illustretur gloria sua. Alias explicationes hujus dicti vid. apud Dn. Calovium *adverf. Grot.*

Non

Non ob aliud exigi) Ubique hic dicendum eſt, fieri talia ob finem ultimum, qui eſt gloria Dei.

Voluptatem capere) Hoc non proprie intelligendum eſt, ac ſi ita delectaretur Deus impiorum interitu, ſed per metonymiam ſigni denotatur neglectus omniſque ſolatii abſoluta denegatio, hoc ſenſu: Deus non modo non dolebit, aut commiſerebitur, quando impii cruciabuntur, ſed omnia quoque ipſorum conſilia confundet, ut aliis etiam fiant ridiculi, imo damnabit & riſu dignos oſtendet eos, qui divinas monitiones contemptim habuerunt. Et hoc eſt non geſtu, ſed ipſo facto deridere, h.e. non magis juvare, quam faceret ſubſannans. Dn. Geier. *ad Proverb. I. v. 26.* Sed hæc tamen non probant, ideo punire Deum ut puniat, ſed potius, ut ſalva ſit ſua juſtitia & gloria, cum nec juſtus quidem eſſet, nec adeo Deus, ſi impunem prorſus dimitteret aut relinqueret impium.

§. 5. *Quam homo cum beſtiis habet communem*) Attendantur verba hujus & antecedentis paragraphi, & apparebit, Grotium de punitione divina ita loqui, ut eam haud obſcure deducat ex affectu cum beſtiis communi, & hoc ipſo facit

cit Deum homine deteriorem. Cæterum non uno modo peccare potest homo iratus. Quandoque enim talis vult puniri aliquem, qui malum non egit, quandoque vult puniri plus quam meruit, quandoque expetit omitti debitum ordinem juris, quandoque non intendit finem convenientem, quandoque modum excedit, & ejusmodi committit alia, quæ Christiano homine indigna sunt, eaque propter inter peccata mortalia numerantur, quicquid etiam dicant Moralistæ, Azorius, Filliuccius, alii.

§. 6. *Aut indistincte quorumlibet*) Antonius Matthæus *de criminib. tit. quib. mod. crim. exting. cap. 5. num. 3.* addit finem quartum, nempe ut malus e medio tollatur, ne terra inquinetur flagitiis, neve vindictam ab iis, qui neglexere scelera vindicare, supremus judex sumat. Sed nisi fallor, videtur hic finis sub tertio isto Grotii comprehendi, quatenus omnium interest, ut e medio tollatur delinquens, ne terra flagitiis inquinetur, nevè vindictam a tota Republ. quæ scelera punire neglexit, vindex Deus sumat.

Medendi modo, qui est per contraria) Expiationis vitiorum tres fecerunt species antiqui, Pythagoricam, Socraticam

ticam & Stoicam. Illa mitior ac lenior, nonnihil indulgebat vitiis, ut paulatim emendaret: Ista vitium ut tolleret, quod vitio simillimum, non raro commendabat. Hæc a contrario procedebat, & summa ut tolleret vitia, ne minima quidem admittebat, ne affectus quidem minimos. Vid. Heins. *lib.1. de Satyr. Horat. pag.55.seqq.*

§. 7. *Non est factum a natura*) Contrarium supra adstruximus, propter imperium, quod a natura esse diximus. Imperium istud est vel domesticum patrisfamilias in familiam, vel civile magistratus in subditos. Sine imperio, inquit Cicero *lib.3. de Legib.* non domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus durare potest.

De emendatione propinquorum) Emendatio propinquorum non tam ex legibus civilibus est, quam ex jure naturæ, quod propinquorum intersit, inter sibi conjunctos vitia evelli, & inquinatos emendari.

Ad mortem pertingere non potest) quia sic non emendaretur, sed prorsus tolleretur delinquens, & sic cessaret finis propositus.

Nisi eo modo, quem reductivum vocant) Sed iste modus est Rhetoricus, qui non potest facere exceptionem in moralibus vel civilibus. Nec enim argumentari licet: Melius est emori insanabiles. Ergo eos licet occidere, posito scilicet, quod tale delictum non committant, quod pœnam mortis mereatur.

Quos Johannes Apostolus ait ad mortem peccare) Istud dictum Johannis non tam agit de incorrigibilitate sive insanabilitate morum, quæ emendationi civili succumbit, quam de finali incredulitate & impœnitentia, sive peccato in Spiritum Sanctum.

§. 8. *Si tollatur, qui deliquit*) Recta ratio prohibet omnino perimere eum, a quo tibi nullum imminet vitæ periculum præsens. Quando enim evitari possunt insultus, qui metuuntur, jubet ratio & ei conjuncta charitas, ut quacunque ratione evites potius, quam vita exuas nociturum, posthac forte etiam non-nociturum; quandoquidem de futuris contingentibus nulla datur determinata veritas. Nec enim sufficiens est metus meus, ut excusari possit mors alteri illata, a quo metuo.

Vindicatio etiam privata)

Æquitas

Æquitas naturalis vult, ut proximum ames; nec eũ ullo modo lædas, nec facias ei, quod tibi factum si fuerit, improbes. Nascitur enim ille amor ex cognatione, quæ est inter omnes homines, ex uno scilicet semine & sanguine prognatos. Non igitur ex æquitate defendi poterit vindicta privata, qua scilicet iratus proximum invadis jam non amplius lædentem, sed quietum redditum: In his enim terminis subsidendum est, cum de ultione verba facienda sunt, ne eam cum defensione confundamus. *Tueri se licet*, inquit Cujacius *ad l. 3. ff. de just. & jur. non ulcisci. Tuitio fit ex continenti, ultio ex intervallo:* Et ergo adversus irruentem defendere te poteris, non poteris in eo desinente injuriam illatam vindicare; nisi autoritate publica.

Si jus nudum naturæ) Primum de hoc disceptandum erit, num jus naturæ ita abduci queat a legibus divinis, ut diversum quid contineat, aut a norma naturæ naturantis deviare possit. Deinde jus naturæ Grotius in hoc ipso capite §.5. non aliter considerat, quam quatenus est dictatum naturæ rationalis ac socialis. Jam natura rationalis ac socialis dictitat, hominem natura ferri ad societatem, tum domesticam tum civilem: dictitat porro, nullam ejusmodi societatem posse constare sine imperio & subjectione: denique & hoc docet, potesta-

tem & imperium absque jure coërcendi atque puniendi mancum esse atque elusorium. Consequitur hinc, in omni societate non minus potestatem coercendi a natura esse, quam regimen & imperium ipsum. Posito hoc, adversa plane erit juri naturæ vindicta privata. Ideo enim quia subjectio & imperium est a natura, penes subjectos autem nullum est imperium aut coercendi potestas, neque vindicta quidem, quæ nihil aliud est, quam potestas coercendi, penes subjectos erit. Vid. Dn. Tabor *de abusu armor. cap. 5. th. 1. 2. seq.*

Quod Cicero) Ciceronem ita explicat Cujacius *ad l. 3. ff. de just. & jur.* intelligere eum talem ultionem, quæ fiat in continenti, ut si eum vulnerem confestim, qui mihi vulnus intulit. & distinguere ab hac ultione defensionem sive tuitionem, quando scil. ferro me petentem, dum aliter me tueri non possum, antequam vulnus ullum acceperim, vel vulnero, vel occido.

Mithridates) Mithridatis hæc sententia non tam juri naturæ, quam gentium innititur, quippe quo latrones ut humani generis professos hostes & perpetuo insidiantes unicuique licet persequi.

Defendens se Samson) Neque Samson privatus erat, utpote judex in populo

pulo Domini, neque Maccabæi. Sed nec reliqua quidem exempla omnia privatam probant vindictam, quin pleraque ad publicam referri possunt. Et ut maxime talia non sint, parum tamen faciunt, præsertim si exemplis contrariis infirmari queant.

Adempta cæteris, quam natura indulserat, libertate) Probandum hoc erat Grotio, naturam hanc libertatem concessisse. Non enim naturæ hoc sanæ, sed qua per peccatum corrupta est, convenit. Dn. Calov. *adverſ. Grot. in Judic. cap. 15. verſ. 3.* Eaque propter naturæ corruptæ impetus rationis rectæ freno sunt coercendi. Quod non est libertatem naturalem coarctare & infringere, sed in ordinem redigere, & pristinæ rectitudini, quantum fieri potest, restituere. Sub voce enim libertatis plurimi detestandam comprehendunt licentiam, & paria faciunt cum Barbagrigia, qui *in præfatione spurcissimo Petri Aretini libro præfixa* conqueritur, imminutam fuisse naturalem hominis libertatem, postquam duella prohibita fuerint. Quod si per constitutionem judicum adempta est libertas, quam natura indulsit, parum favebit & tantum non adversum erit constitutioni judicum jus naturæ, magis etiam adversabitur præceptis divinis, ultionem privatam severe prohibentibus.

Ut in mari) Negamus, naturalem rationem etiam in ipso mari & locis desertis hanc tibi tribuere libertatem, ut postquam adversarium defensione tui repulisti, in quiescentem jam & innoxium ulterius irruas.

Quod Cajus Cæsar) Atqui talia non tam ex naturæ, quam gentium jure defendi diximus supra; quin nec Cæsar, utpote princeps juventutis, omnino privatus fuit. Add. Tabor. *d.l. n.*4.

Sic apud Umbricos) Nihil omnino faciunt exempla gentium barbararum, quippe quarum calida & animosa decreta juris rectitudinem non inducunt. Sed respiciendæ sunt in moralibus Respublicæ bene jam fundatæ & constitutæ. Si tamen aliqua natio tam sit barbara, ut superiorem non recognoscat, nec familiæ unam Rempublicam constituant, fas erit familiæ læsæ vindictam sumere de familia lædente. Molina *de just. & jur. tom.*1. *tr.*2. *disp.*100. *n.*6.

Lex Hebræa) Si lex permittit, non sit illa occisio ex vindicta privata, quam hic Grotius asserere contendit.

§. 9. *Penes unumquemque est)* Negamus & hoc iisdem argumentis, quibus usi fuimus numero antecedente.

Virum

Virum bonum) Ergo poteſtas hujus juris non eſt naturaliter penes unumquemque, ſed penes virum bonum tantum.

A natura magiſtratum deſignari) qui ſcilicet dignus ſit, ut ei imperium conferatur. Natura tamen ipſa habilem & idoneum reddendo, imperium ſimul non confert. Sæpe enim fit, ut ſubjectus ſit ille, qui imperio aptior eſt.

Vixiſſe viros probos) improbabilitatem arguit dominium hominis in omnia animantia. Videtur enim ejus fuiſſe vis & effectus, quod occidi potuerint etiam ea animalia, quæ non nocuere.

De vertendis in hominum alimenta) Non ſatis convenit inter Doctores, num herbis tantum, an vero & carnibus animalium veſci licuerit hominibus ante diluvium? Qui carnes in uſu fuiſſe negant, nituntur partim dicto *Gen. IX. v. 3.* partim ratione, quod ſcilicet in rerum initiis propagatio animalium non fuerit impedienda, cum præſertim fructus arborum, agrorum, ſatorum, aliarumque rerum e terra creſcentium ex ipſa creatione ſatis uberes fuerint. E contrario autem qui affirmant, rationes ducunt tum ex ritu ſacrificandi,

quippe quo usitatum fuerit, de carnibus sacrificiorum aliquid edere: tum ex conditione Abelis, qui pastor ovium forte non fuisset, nisi edere eas licuisset: tum ex discrimine animalium mundorum & immundorum ante diluvium jam inducto. Plerique tamen probabiliter hæc ita disputari contendunt, & unumquemque suo abundare sensu permittunt, quod forte tutissimum, quia scire talia ad fidem & mores parum interest. Vid, Hunnius in *Genes. cap.III.* Selden. *de jure nat, lib.7. cap.*1. Zeæman. *de imag. Dei c.*8. *sub fin.*

Judicium zeli) Jus erat ejusmodi, ut si viderent, præsentibus coram decem minimum Israëlitis, quempiam facinorum aliquod atrociorum commissurum, ipso eodem momento fas eis esset, incurrendo seu aggrediendo eum aut verbere aut vulnere præpedire, aut etiam perseverantem cæde e medio tollere. Selden. *de jur. nat. lib.*4. *cap.*4. Id vero, ut maxime propter præsentiam aliorum requisitam, non omnino privatum dici queat, præsertim cum propter gloriam Dei & amorem justitiæ indignatio concipiatur, videtur tamen maximam partem ex Rabbinorum interpretamentis non satis defæcatis ortum traxisse. Quod Phinees exemplum attinet, erat ille persona non omnino privata, sed filius summi Pontificis, propter successionem aliquando judiciis politicis præficien-

ficiendus. Et habuisse eum ad istud factum vocationem singularem divinam, ex ipso textu *Num. XXV. v. 11.* colligitur. Et præterea sunt in Sanctis singulares quidam & extraordinarii motus, qui non faciunt legem communem. Chemnit. *in Loc. Theol. tit. de Vindict.* Ex libro Maccabæorum Apocrypho nulla firma duci argumenta, supra dixi. Quæ vero de Judæis Stephanum & Paulum persequentibus adduntur, prava comprehendunt omnia, & proinde argumentum præstare nequeunt. Jus vero vitæ & necis patrium & dominicum, ut rationi juris naturæ contrarium, ad stabiliendum jus naturæ non potest adduci; & patriam potestatem in pietate, non atrocitate consistere debere, moratiores Romani agnoverunt, *l. 5. ff. de Leg. Pomp. de parricid.*

§. 10. *Num Lex Evangelica*) Nullam dari talem Legem Evangelicam, jam supra diximus.

Quæ sola naturæ præcepta excedant) Lex moralis non excedit naturæ præcepta, sed est insita menti protoplastorum, post lapsum tantum repetita, & ab ipso creationis initio hominem ad internam atque perfectam obedientiam sub promissione præmiorum & comminatione pœnarum obligans.

Proximum, id est, popularem) falsam & Judaicam esse hanc explicationem, sæpius dixi.

Communia quædam beneficia) non comunia tantum, sed talia etiam omnia, quæ hominem & amicum decent.

Ut benefaciamus) Atqui hoc jam in V.T. mandatum fuisse, probatur ex modo adducto *cap.XXIII. Exod. v.5.* Et hoc probat etiam Apostolus *Rom. XII.20.* adducto loco Salomoneo *Prov. XV, 21.*

Nobis non permittit) Falsum est, Christum tollere aut abrogare judicia; nec verba ejus adducta hoc innuunt, sed legem tantum ibi a perversa interpretatione vindicat, quod Pharisæi ex verbis legis vindictam privatam inferrent, cum tamen illic non læso vindicta, sed judici justitiæ administratio injuncta fuerit.

Veterem permissionem) Non erat permissio, sed prava Pharisæorum interpretatio, quam corrigit Christus, & Legem restituit.

Et huc pertinet) Parum abest, quin hic Grotius cum Photinianis omnem judiciorum civilium usum oppugnet. Argumen-

gumenta enim ejus quam conveniant cum iis, quæ Photiniani movere solent, videri potest apud Gerhardum *Loc. de Magistrat. n.*278. Nos dicimus cum dicto Gerhardo & Chemnitio, vitiosum accidens a re ipsa esse distinguendum, neque magistratum ideo adeundum esse, ut tum quis per se non possit vel non ausit, per magistratum vindictam sumat; sed tum demum intemerata esse judicia, si hoc fine ac modo actiones instituantur, 1. ut is, qui injuriam fecit, corrigatur. 2. ut publica autoritate reprimatur, ne aliis similiter noceat. 3. ut ab ipsius injuriis in posterum præservemur. 4. aliis in terrorem, ut ab inferendis injuriis metu pœnæ reprimantur. 5. propter justitiam, ut juxta ordinem a Deo constitutum malefactores puniantur. 6. ut injuria propulsetur, ne nobis inferatur &c.

Quid autem de ultione dicemus) Ultio hæc proprie dici nequit, sed præservatio & aversio mali futuri, quod ab eodem timetur. Unde si læsus videat, dolere lædentem de facto, & carere proposito iterandi vel continuandi, nulla amplius opus erit præservatione, cum securior sit ille, cujus adversarius sponte animum nocendi deponit, quam si coacte & metu pœnæ id facit.

Præ-

Præcepto dimittendæ tunicæ) Sensus hic est: in ipsis etiam judiciis Christianis metuendum esse de iniqua & injusta plane sententia. Hanc autem non tantum patienter ferendam esse, sed etiam paratum esse debere taliter condemnatum, majorem potius injuriam accipere & devorare, quam vel cupiditate nocendi, vel impatientia contra Deum & proximi charitatem aliquid committere. Chemnit. *Loc. de vindict.* In hoc tamen consentientes nos habet Grotius, non licere homini Christiano ob titivilitium, stillicidium, cloacam aut rem aliam modicam litigare in judicio, cum ipsæ etiam leges civiles modicum damnum æquo animo ferre jubeant, *l.25. §.6. ff. locat.* Vid. Ventur. de Valent. *in Parthen. litigios. l.1. cap.3. num.33.* Carpzov. *p.1. const.1. def.9.*

Condonari talia) Quando scilicet contumelia fuerit occulta. Quando vero illata fuit palam & in præsentia aliorum, quia tum honor & fama nostra aliorum injuriis exponitur, non prohibemur magistratus implorare officium, ut contumeliam a nobis avertat.

Quia justus erat) Justitia Ebræis sæpe significat mansuetudinem, lenitatem, ἐπιείκειαν, de jure suo aliquid remittentem.
Ideo

Ideo autem dissimulare Josephus maluit, quia plurima metuebat ex publica accusatione incommoda, & lex non cogebat, ut sponsam deferret. Chemn. *in Harm. Evang. cap. 7.*

Ab accusationis severitate) Grotius sæpe sententiam suam quibusdam epithetis & verbis ambiguis, etiam aliunde ex bonis autoribus petitis involvit. Utique hic non severitatem tantum accusationis, sed ipsam totam accusationem videtur Christiano prohibere. Sed enim culpandus quidem ille, qui privatæ vindictæ studio ardens, id unice propositum habet, ut adversarium vita, bonis, fortunisque omnibus evertat; non culpandus, qui hominem nocentem Reipublicæ studio, aut ipsius emendandi gratia ad tribunal trahit. Anton. Matthæ. *de criminib. tit. de accusat. cap.* 1. *num.* 12.

§. 11. *Contra primævam legem)* Intelligit, ni fallor, septem præcepta Noachidarum, quæ fingunt Rabbini Adamo primum data, & Noacho deinceps repetita fuisse, de quibus videri potest Seldenus *de jur. nat. l.* 1. *cap.* 10. Eos passim sequitur Grotius. Rectius Arminiani, Grotii Doctores & Socienni, ea naturalis rationis dictamina agnoscunt, & multo plura alia fuisse dicunt,

dicunt, ad quæ primi homines obligati fuerint. Vid. Episcopius *lib.1. institut. cap.8.* Falsum est autem, misericordiam divinam solo Vetere Testamento, aut eo præcipue terminari. Falsum est, Evangelii notitiam in Novo demum Testamento acceptam esse. Falsum est, judicium multo severius in Novo Testamento institutum esse. Falsum est, ad peccatorum remissionem facere pœnas, quas ipse homo de se exigit. Falsum est, mœrorem de peccato sive contritionem, pœnam esse, cum potius sit metus pœnæ. Falsum est, Deum pœnitentia ductis & à culpa absolutis aliquam adhuc infligere pœnam proprie dictam. Et istas falsitates indicare hic sufficiat.

§. 13. *Nam & vincula)* Carcer quidem regulariter ad detinendos, non ad coercendos homines facinorosos inventus est, *l.8. §.9. ff. de pœn. l.35. eod. l.6. & 23. C. eod.* si præsertim vincula accedant, Bachov. *in Treutl. vol.2. disp.31. thes.4. lit.D.* Cœpit tamen posterioribus temporibus inter pœnas haberi, quod emendari eo delinquentes posse animadversum fuisset. Carpzov. *in pr. criminal. part. III. quæst.3. num.63. & quæst.130. n.8.9.* Ventur. de Valent. *in Parthen. litig. l.1. c.14. num.28.29.* Tabor. *in racemat. fol.450.* Speckhahn *cent.1. q.20.*

§. 15.

§. 15. *Non admittantur, quibus id libet)* id non fit ideo, quod homine Christiano id indignum sit, sed ut refrenetur delatorum malitia, & ne calumniose accusationes instituantur. Et loquitur canon adductus diserte de delatoribus, quod genus hominum maximum humanæ vitæ malum & execranda pernicies dicitur *l. 2. C. Theod. de petit. & ultr. dat.* quodque pœnis nunquam satis coerceri potuit. Vid. Alber. Gentil. *ad l. 3. Cod. de malefic. & mathem.* Christoph. Forstner. *ad lib. 1. annal. Tacit. p.* 101. *seq.*

§. 16. *Sua sponte se ingerat)* Hoc vicissim non ideo, quod judicium sanguinis Christianum dedeceat, sed quod in genere officium qualecunque publicum affectare nimis cupide, & illi se ingerere, turpe sit, & Christiano indignum. Hinc enim non satisfacit officio, qui se ingerit, ni fecerit, quod debet; satisfacit, qui admotus est, si fecerit, quod potest. Christianum autem magistratum non dedecere jus vitæ & necis, clarissime ostendit dictum Pauli *Rom. XIII. v.* 4. ubi Apostolus non dicit, quid fieri soleat, inprimis a magistratu infideli, sed quid a quovis legitimo magistratu fieri possit, & pro re nata debeat.

§. 17.

§. 17. *Jus verum præstent etiam apud Deum*) Hoc non est in hominis potestate, nec igitur de legibus humanis simpliciter ita formari potest quæstio. Nec enim obligat lex in conscientia, nisi justa sit, justa autem non est, nisi jubeat ea, quæ jure divino aut naturali non sunt prohibita. Per consequens igitur tum demum leges humanæ præstant jus apud Deum, quando divinis legibus non sunt adversæ. Nec confundendæ sunt quæstiones, utrum leges civiles permissivæ factum approbent, & utrum jus præstent apud Deum. Illud sæpe faciunt leges, hoc non semper, nisi sub eo, quem dixi, respectu. Et de illo, non de hoc quæstionem decidit ipse Grotius.

§. 18. *Quatenus in externos influunt*) quatenus scilicet actus externi accedunt, ut maxime illi deinceps impediantur, ne delictum consummetur. Ita igitur non est extra crimen, qui conspiravit in necem Principis, qui venenum coxit, aut cum telo ambulavit hominis occidendi causa, qui alienas nuptias interpellavit, qui stupri causa virginem prostravit in terram, tametsi perficere non potuerit. Anton. Matthæ. *de criminib. in prolegom. cap. 1. num. 6.* Gœdd. *ad l. 225. ff. de V. S.*

§. 19.

§.19. *An hæc recte & proprie peccata dicantur*) Negat ergo Grotius peccatum originale, aut saltem vere peccatum id esse negat, & in hoc strenue pelagianizat. Vid. Vossius *in histor. Pelag. l.2. part.2. thes.2.* Deinde peccati natura non est æstimanda ex respectu ad voluntatem agentis, ita ut peccatum esse nequeat, nisi sit proæreticum, sed ex intuitu legis, quæ requirit non tantum actualem, sed etiam habitualem rectitudinem & dilectionem Dei ex omnibus viribus, quales utique haberi poterant, nisi culpa nostra earum integritas fuisset amissa. Sic igitur statuendum, carentiam perfectionis congenitæ & proclivitatem ad malum, seu concupiscentiam mali esse veri nominis peccatum, atque hinc motus concupiscentiæ etiam primo primos vere & proprie dici peccata, ut maxime sint involuntarii. Philosophi antiqui, quos allegat Grotius, aliquam habuere corruptionis naturalis notitiam, quæ tamen, qualis & quanta illa sit, & unde originem habeat, penetrare illi non potuerunt. Dn. Calov. *ad Job. c.14. v.3.*

Ob corporis concretionem) Malum originale regnans in concupiscentia pro diversitate κράσεως seu temperamenti in diversa etiam actualia peccata inclinat, dum cholerici ad iram, sanguinei ad libidi-

nes inflammantur. Hunnius *de prædest. pag.* 241. quorum quidem affectuum motus primo primi evitari nequeunt, evitari tamen possunt motus secundo primi, ne peccatum adolescat & perficiatur.

Non tam in sese) Quidni? cum etiam consuetudo peccandi aggravet delictum, & ipsa iteratio delicti sæpe exacerbet pœnam. Tabor *in racemat. fol. 509. n. 4.*

§. 20. *Quæ nec directe nec indirecte)* Sed quæ erunt ista peccata? Ut maxime enim personam delinquentis peccatum egredi non videatur, læditur tamen hoc ipso Respublica, quod in eo civis sit vitiosus, & suarum rerum parum satagens. Interest Reipublicæ ne quis vita, membris & rebus suis male utatur. Nec est, quod exceptionem faciat Grotius de pœnis emendatoriis. Hoc ipso enim testatur, male a se constructam fuisse regulam generalem, cum præsertim supra dixerit, ut pœna locum habeat, sufficere finem unum inter eos, quos enumeravit, inter quos emendatio delinquentis tantum non præcipuus est.

In quo genere sunt misericordia) Hoc non est perpetuum. Si enim per omissionem misericordiæ statui publico damnum infertur, uti tum magistra-

tus

tus adigere potest subditos, ut elemosynas præstent, & misericordiam exerceant. Franzk. *lib. 2. resolut. 7.* ita dubium non est, etiam pœnis coerceri posse, qui præcepto non paruerint. Quin etsi nullum præcesserit mandatum, puniri tamen nihilominus potest, qui fratri egeno, ne fame periret, alimenta non præstitit. Utique enim, si ille propter famem moriatur, denegans homicidii reus habetur. De quo videri possunt Moralistæ.

§. 21. *Sed licitam tantum*) Repetit Grotius suum principium, supra a nobis refutatum. Dum enim prohibitum aliquid est, necesse est, ut prohibitio cum effectu intelligatur, debitæ scilicet pœnæ, quanquam debitum istud deinde in quibusdam casibus & ex certis circumstantiis remitti possit, non aliter atque a creditore debitum civile.

§. 22. *Ante legem pœnalem*) Si intelligit legem positivam, falsum est, ante eam pœnæ locum esse, quia scilicet lege nondum existente, nec delictum quidem intelligitur. Si intelligit legem naturalem; falsum est, eam non præcipere, ut delinquentes puniantur. Etsi enim pœnæ genus non sit determinatum a natura, propterea tamen pœnas ab ea exigi non est negandum, cum id deinceps ex sacra Scriptura, quæ legi na-

turæ adſtat, addiſci queat. Certam quippe ſemper conſtitui pœnam, ne quidem in legibus poſitivis opus eſt, ſufficit, ſi repeti a transgreſſoribus poſſit legis vigore & obligatione, uti recte monet Gregorius de Valentia *diſput.7. quæſt.2. part.2.* & ex illo Hornejus, *civil. doctrin. pag.582.*

Quia hoc pendet ex connexione finium) Imo vero ſæpe ex voluntate divina. Quare ſic potius ſtatuendum, in legibus pœnalibus poſitivis poſſe Principem vel totam pœnam remittere, vel eam mitigare, ſed in ea tamen re non admodum facilem eſſe debere, ne προσωποληψίας notam incurrat; in iis vero delictis, quorum turpitudo ex natura conſtat, quæque mortis ſuppliciis puniri vult Sacra Scriptura, adhuc rigidiorem eſſe oportere Principem, cum ille, ut inferior, nec derogare nec abrogare poſſit legem ſuperioris, & in hoc ipſo legislatori Deo ſubmittere ſe neceſſe habeat.

In peccato pauciſſimis cognito) Non facere poteſt notitia hæc paucorum, aut occultatio delicti, ut emendetur delinquens, aut ut ſatisfiat ei, cui nocitum eſt; quin ſecurius in ſcelera ruunt, qui ex hoc indulgentiam ſperant, quod paucis conſciis delinquant; & vel paucis illis exemplo opus

eſſe

esse videtur. Vid. Ant. Matth. *ad tit. ff. quib. mod. crim. extingu. cap. 5. n. 3.*

Qui bene merita aut sua aut parentum) In gravioribus delictis hæc locum minime inveniunt, quippe quæ perpetrata nec meritis expiantur, nec verbis, sed omnino tum interest Reipublicæ, ut malus e medio tollatur, ne terra flagitiis inquinetur, &c. In levioribus tamen delictis, quin propter insigne aliquod meritum aut artificium gratia fieri possit, non abnuimus.

Sed caritati repugnet) Dixi supra *ad cap.* 17. *n.* 9. non bene separari a se invicem justitiam & charitatem. Et falsum est, pœnam, quæ justa est, charitati repugnare, quandoquidem charitas justitiam dirigit, ne severior pœna decernatur.

§. 23. *Aut ut pœna omnino sit exigenda*) sive ea, quæ posita est, sive alia aliqua mitior. quanquam in exemplo Grotii, nempe in pessimi exempli sceleribus, aliquam mitiorem pœnam decernere non licet.

§. 24. *Potest legem etiam totam tollere*) Hæc ratio nihil efficit. Quamdiu enim legem non tollit, tamdiu

eam etiam ſuarum actionum normam agnoſcere tenetur, poſito ſcilicet, legem continere materiam univerſalem & communem, etiam imperanti convenientem. Si id non facit Princeps, vel omittit, quod illa lege ſtatutum eſt, facile intelliget ſe peccare, dum ſcilicet ab aliis præſtari vult, quod ipſe præſtare renuit. Et hæc eſt vis directiva, Principem non tantum ut civitatis partem, ſed imo ut Principem obligans.

Non debet tamen legis au-ctor) Axioma Politicum eſt, leges, antequam ferantur, expendendas, ubi latæ fuerint, ſuſtinendas, nec alia re magis labefactari ſtatum civitatis, quam crebra legum mutatione. Strad. *de bell. Belg. decad.* 1. *lib.* 5.

Niſi cauſa ſubſit probabilis) Diſpenſatio igitur, in quibus locum habet, ſemper fieri debet cum cauſæ cognitione. Didac. Covarruv. *de matrim. part.* 2. *cap.* 6. §. 9. *n.* 16. Fernand. Vaſq. *lib.* 1. *controv. cap.* 25. *n.* 16. non quod non valeat diſpenſatio abſque cauſa facta, uti poſt alios ſtatuit Petr. Anton. de Petra *de poteſtat. Princ. cap.* 27. *num.* 27. cum omnino validus ſit actus talis conceſſionis. Covarruv. *d. l.* Lud. a Pegvera *deciſ.* 52. *n.* 12. ſed quod diſpenſatio, quæ fit ex cauſa, minus lædat bonum commune, & ipſum

Ipſum etiam Principem in foro interiori excuſatum reddat.

§. 25. ***Dura tamen***) Dubitari hic poteſt, utrum pœna juſta aut non juſta dici queat, quæ dura eſt. Utique pœna proportionata eſſe debet delicto, & quamdiu talis non eſt, tamdiu juſta dici nequit.

§. 26. *In facto, de quo agitur*) Sed tum non opus eſt diſpenſatione, aut relaxatione legis, verum juſta tantum interpretatione, quæ cuivis judici inferiori competit & ad jus aggratiandi minime pertinet. Et omnino committit hic Grotius iſtud vitium, quod in Fernando Vaſquio reprehendit §. *ſq.* Accurate ſcilicet diſtinguenda eſt diſpenſatio ab interpretatione legis, quæ fit ſecundum æquitatem & cum temperamento aliquo. Per hanc enim legis obligatio non tollitur aut relaxatur, ſed declaratur, per ſeipſam ceſſare; diſpenſatione autem relaxatur lex alioquin obligatura. Paul. Laymann. *Theolog. moral. lib.*1. *tract.*4. *cap.*22. *num.*1. Quoties igitur cauſa ſubeſt, quæ ad legem ex æquo & bono temperandam per ſe ſatis eſſe poteſt, quod fere contingit tum, quando legis obſervatio naturali rationi ipſiuſque legislatoris ſententiæ adverſatur, non opus eſt diſpenſatione, ſed ipſo jure quis a legis præcepto ſolutus eſt. At diſpen-

ſare non eſt ex æquo & bono interpretari, ſed a lege excipere aliquem, eique in delictis jam commiſſis facere pœnæ remiſſionem, Alb. Bologn. *de Leg. cap.32. num.22.23.*

At in novo fœdere) Deſierunt quidem hoſtiæ in Veteri Teſtamento uſitatæ, ſed ſucceſſit tum alia hoſtia, quæ complementum dedit omnibus illis anterioribus ab origine mundi oblatis, quæque per illas omnes præfigurata & adumbrata fuit, dum ſcilicet Salvator cruentam & ignominioſam ſubeundo mortem, ſeipſum piacularem hoſtiam in ara crucis Deo Patri obtulit, & ſanguine ſuo peccata mundi ſuſtulit. Nulla igitur hactenus eſt differentia inter Vetus & Novum Teſtamentum, dum peccata non aliter condonantur, niſi propter ſanguinem effuſum & meritum Chriſti peccatoribus applicatum.

§. 27. *Quæ aut ex charitate*) ſupra dixi, juſtitiam dirigi debere a charitate. Nec idcirco judex clementior debet eſſe lege, ſed debet eam dextre & legitime applicare. Quod ſi fecerit, pertinebit ſane id ad æquitatem interpretativam.

Aut ex juſtitia rectrice) quatenus ſcilicet jus olim æquabile æquumque viſum, hodie autem tale amplius non exiſtens,

existens, mutat, corrigit, emendat, tollit ille, qui principatum gerit.

§. 29. *Inter appetitus honestissimus*) nisi, ut declinet malum naturale, in malum morale feratur. Nec enim concedendum est Grotio, maxime excusabilia esse, quæ metu mortis, carceris, &c. injuste fiunt. Nam ut metus factum alioquin illicitum, cujus causâ existit, a culpa excuset, necesse est, ut sit majoris mali, quam sit illud, quod metus causa suscipitur. At vero peccatum etiam minimum omnibus aliis malis majus est, & quælibet mala potius tolerare vir fortis debet, quam in peccatum consentire. Paul. Laymann. *theol. moral. lib.1. tract.2. cap.6. num.4.* Sed hoc tamen non nego, facere posse ejusmodi metum in foro externo, ut delictum hinc commissum mitius puniatur.

Ut possessionum abundantia) Appetuntur divitiæ tum ad vitæ usus necessarios, tum ad perfruendas voluptates. Cic. *l.1. de offic.* Atque hinc divitiæ inter bona fortunæ referuntur, quæ tamen quam parum bona haud raro sint, apparet ex eo, quod sollicitudo & in quærendis & in servandis divitiis servitutem quandam & cruciatum secum ferat, qui ipsam voluptatem, quæ ex divitiis speratur, corrumpit.

§. 30. *Loco ultimo delicta inconſummata*) Quæ ita dici poſſunt, quatenus aliud adhuc conſummandum delictum reſpiciunt. in ſe enim conſiderata & juxta legem divinam, conſummata jam peccata ſunt, non tantum effective, ſed etiam formaliter. Unde concupiſcentia *Rom. VII. v. 13.* peccans peccatum dicitur; peccans, quatenus efficit aliud peccatum; peccatum, prout in ſe eſt tranſgreſſio legis divinæ. Deus enim requirit dilectionem ex toto corde: Ergo etiam pronitatem ad bonum, & per conſequens pronitas ad malum meretur mortem. Cæterum differunt ex noſtratium ſententia nonum & decimum præceptum decalogi, quæ hic pro eodem videtur habere Grotius. Nonum enim præceptum tale continet peccatum, quando ad concupiſcentiam obortam accedit delectatio & deliberata voluntatis conſenſio, quæ proxima cauſa eſt ipſius actus nefarii. Decimum autem tale continet peccatum, quando natura ſeſe movet, agit aut patitur, ita ut cor inclinationes vel titillationes quaſdam ſentiat, vel mens cogitationes tales concipiat, quæ tamen adhuc ab intentione & προαιρέσει perficiendi aliquantum ſunt remotæ. Vid. Bohl. *de diviſ. decal. cap. 3.*

Ut vita anterior) Vita anteacta in

in criminibus atrocioribus parum hodie facit ad mitigationem pœnæ, ubi de crimine perpetrato jam manifeste constat; delinquente tamen, aut inculpato potius, nondum convicto, multum illa facit ad elidendas præsumptiones, quæ contra eum afferuntur.

§. 31. *Nam & pueri*) Si hæc omnia in infligendis pœnis, ad pulvisculum examinari oportet, ne hic quidem subsistendum est, sed inter pueros considerari porro debet, num doli sint capaces, an non? utrum malitia suppleat ætatem, an minus: inter fœminas, utrum simpliciores sint, an vero calliditate & nequitia sexum superent: inter crassi ingenii homines, num commorati fuerint aliquandiu inter moratiores, an minus: num delictum rectæ rationi repugnet, an vero juri positivo: inter iracundos, num causa iræ conceptæ prægnans sit, an minus: denique inter eos, qui metu mali imminentis peccarunt, num metus talis sit, qui virum constantem commovere possit, an minus. Ita ergo iracundo si causam injuria præbeat, quia difficile est, justum dolorem refrenare, lenienda videtur pœna. At si homo iracundus sine causa excandescat, nequaquam pœna remittenda videtur, quemadmodum nec illi, qui cum causam habuerit, ad iram insidias jungit. Complexionem

tamen

tamen hominis attendere in decernendis pœnis nobis non eſt uſitatum, quod unuſquiſque etiam eos affectus, quibus maxime ſuccumbit, compeſcere & refrenare teneatur, ſed attendimus tamen occaſiones & omnes alias circumſtantias, ætatem, ſexum, & ſi quid præterea notatu dignum ſit, quod ad mitigationem pœnæ facere queat.

§. 32. *Tantundem nocumenti nec amplius*) Poſſunt varia intervenire, quæ pœnam exaugere jubent, quale inprimis eſt iſtud, ſi propter frequentiam criminis periclitetur ſecuritas Reipubl. cui propterea exaſperatione pœnæ conſulendum eſt. Diſtinguunt alias inter talionem ſimplicem & proportionalem. Hahn. *ad Weſenb. tit. de juſtit. & jur. num.13.*

§. 33. *Sed cum reſpectu ad patientem*) quin & cum reſpectu ad eum, cui per delictum commiſſum damnum datum eſt. Semper enim per dignitatem injuriam perferentis creſcit culpa facientis, quia neceſſe eſt, quanto major eſt perſona, quæ contumeliam patitur, tanto major ſit noxa. Ita offendens apparitorem, ſive principis, ſive ſenatus, ſive alterius judicis, graviſſime puniendus eſt, quod ea res ad publicam

blicam utilitatem tuendamque magistratuum jurisdictionem pertineat.

Quo genere diversitatis) Utitur & hoc genere diversitatis, ut ex quibus causis alii deportantur, ex iisdem servi vel humiliores ultimo supplicio afficiantur. *l.1.* §.3. *ff. de abig. l.3.* §.*pen. & l.pen. ff. ad L.Corn. de sicar. l.1.* §. *ult. ff. ad L.Corn. de falsf. l.38.* §.2. *ff. de pœn.* Sed enim nulla omnino hic videtur esse proportio inter vitam alterius & alterius famam ad idem delicti genus. Si propter delictum meruit servus, ut ex vivorum numero eximatur, quid est, quod excusare possit civem honestiorem, ut illius vitæ parcatur? nisi forte tam familiare fuerit aliquod delictum inter servos, ut non possit aliter, nisi mortis suppliciis coerceri, & extirpari. In eodem tamen genere pœnarum recte proportio hæc servatur, ut mitius puniatur vir nobilis & honestior, durius humilior aliquis, e.g. quibus ex causis servus laqueo punitur, ex iisdem causis nobili pœna gladii decerni potest; quibus ex causis servo alicui relegatio, ex iis honestiori carceris pœna infligi potest.

Cum tamen revera simplex hic sit) Est quidem diversitas pœnarum in diversis personis, si nude & in abstracto ipsum

ipsum illud, quod sustinetur, spectes; sed est eadem pœna ratione æstimationis, in quam in concreto venit consideratio conditionis hujus personæ. Neque enim hic habetur respectus personæ, ut alteri major, alteri minor pœna infligatur, sed ut alia persona præ alia nec minori nec majori afficiatur pœna, & cuilibet delinquenti æqualis delicto pœna imponatur. Dn. Struv. *in Syntagmat. exerc.* 1. *num.* 32.

ἀνδ. προσωποληψίας) Videndum, hic ne nimius sit Grotius in reprehendenda jurisprudentia Romana. Siquidem jus Cæsareum non aliter considerat personæ qualitatem, nisi quatenus majus vel minus faciunt delictum. In omnibus enim causis ex personæ conditione & rerum qualitate, ut illæ sunt circumstantiæ delicti, pœnæ sunt æstimandæ, ut justæ constituantur, & culpam exæquent. Ex quo fit, ut pœna apparenter gravior vel levior videatur, quæ tamen ubi in concreto & applicatione consideratur, justa & proportionata est.

§. 34. *Charitas ejus, qui punitur*) Charitatem inter fundamenta remissionis pœnarum sæpe ponit Grotius. Sed vereor ego, ut id semper locum inveniat, præsertim in delictis atrocioribus. Utique in lege divina, quando capitis supplicium facinoroso dictatum fuit, ex charitate id

id remissum fuisse nuspiam legitur, sed potius ex viventium numero deletum fuisse facinorosum, ne terra flagitiis inquinaretur.

§. 35. *Consuetudo facti)* Non videtur quidem ille peccare, qui id facit, quod usitatum est in civitate; si tamen consuetudo ista legi divinæ aut rectæ rationi repugnet, non poterit ille excusari, & omni pœna exemptus esse. Qua ratione nego, impunem dimitti debere in judicio suo Germanum, qui cum barbara muliere adulterium commisit, ut maxime adulterium inter barbaros puniri haud soleat.

§. 36. *Ad minuendam potius pœnam)* Ubi lex certam pœnam definivit, nego id judici licere. Vid. Tabor *in exposit. artic.* 158. *Ordinat. Carolin. num. 6. seq.* Nec tamen propterea impetuose & proterve agere debet judex in decernendis pœnis, sed hic quoque animum compositum habeat, & faciliorem ad absolvendum, si fieri posset, quam ad condemnandum.

§. 38. *Solere pœnæ expetendæ causa)* Non tam pœnæ, quam vindictæ sumendæ. Pœna enim non videtur infligi posse, nisi a superiore. At bella inter pares geruntur.

§. 39. *Nam voluntas, quæ ad ex-*

externos actus processit) Multis modis disputatur non inter Moralistas tantum, sed etiam Legistas, an & quatenus conatus in delictis sit puniendus? Distinguitur autem conatus tanquam actus voluntatis a nuda cogitatione, tanquam actu intellectus, quanquam nullus detur conatus, qui non intellectus actum prærequirat. Cæterum conatus ille est vel mere internus, vel cum externo aliquo actu conjunctus. Et hic ultimus porro vel continuatus in delictum, quod intendit, vel impeditus: Et hic iterum vel a principio externo impeditur, vel ab interno, delictoque vel propior vel remotior est. Ut igitur de punibilitate conatus secundum rectam rationem constet, sequentes facio conclusiones: 1. *Conatus, qui actus voluntatis elicitus, immanens & mere internus est, & alias intentio agendi dicitur*, (de cogitatione enim minus dubium est) *nec ordinaria, in quod directus est, delicti pœna, nec extraordinaria in foro externo puniri debet*. Ratio est, quia extra civilem sunt jurisdictionem ea peccata, quæ civilem societatem non lædunt. 2. *Conatus actui externo in delictum tendenti junctus, pœnam in externo foro meretur*; qui si impeditus fuerit principio extrinseco, ordinaria delicti pœna, si intrinseco, extraordinaria, aliquando etiam plane nulla videtur esse afficiendus. Externum enim impedimen-

mentum vix facit, ut delictum ex parte agentis non debeat haberi pro perfecto, quia scilicet quantum in eo fuit, nihil plane intermisit, quo minus delictum consummaretur, adeoque talis conatus principio externo inhibitus pro actione exercita habetur. Et huc pertinent *l.20. C. de furt. l.1. §.3. ff. ad L. Cornel. de sicar. l. 3. §.11. ff. de re militar. l. 3. C. de serv. fugitiv. l. 1. f. ff. de L. Pompej. de parricid. l.9. §.2. ff. ad L. Jul. de adulter.* Sed suadet tamen recta ratio, ut in casu, quo effectus conatum non est secutus, ab ordinaria pœna abstineatur, præsertim in iis delictis, quæ communem ordinem & securitatem civilem non perturbant. Cum enim pœna tum ob peccantis infligatur malitiam, tum simul ob damnum alteri datum, delicto non consummato damnum vel nullum erit, vel minus eo, quod ex delicti profluit consummatione, atque sic vel hoc saltem respectu pœnæ ordinariæ erit detrahendum, quo pertinet *l.1. ff. de extraord. crimin.* Internum autem impedimentum, videlicet pœnitentia superveniens, licet consummata delicta in civili foro non excuset, non consummata tamen extenuat. Vid. Gœdd. *ad l.225. ff. de V. S.* Garf. Mastrill. *p.2. decis.155.* Thom. Grammatic. *decis.2. n.12. seqq.* Anton. Thessaur. *decis.243.* Jac. Menoch. *de arbitr. jud. quæst. cas.360.*

Quia & circa res divinas)

Male igitur Jacobus Menochius *d.l. num.6* Julius Clarus *quæst.19.* & tum JCti tum Theologi Pontificii communiter, ſolam cogitationem hæreſeos voluntate ſeu aſſenſu aliquo confirmatam puniri debere, quamprimum id innotuerit, contendunt. Quis enim mihi imponat neceſſitatem, inquit Lactantius *l.5. c.19.* vel credendi quod nolim, vel quod velim, non credendi.

Et iracundiæ impetus) Dixi ſupra *ad* §.31. non excuſare ſemper iſtum impetum.

Si ſcopum ſpectes legis) Bene, quod dicit, ſcopum hunc eſſe legis, quod alias negat, & hunc ſenſum a Chriſto demum tanquam additamentum legis, aſſertum contendit. *explicatione Decal. pag.*48. refutatus proinde ab Dn.Calovio *in annotat. ad Exod. XX.v.16.* Sed id tamen ferendum nequaquam eſt, quod diſtinguit inter *τὸ πνευματικὸν* legis, & *τὸ σαρκικὸν*, ſive inter præceptum internum & externum. Si enim ſcopus legis eſt, homines mente puriſſimos facere, debet iſtum ſuum ſcopum præcepto externo explanare, quia alias non obligaret, cum quod mente legislatoris retentum eſt, nequaquam legis aut præcepti nomine veniat, quippe quod per promulgationem demum vim obligandi acquirit. Quod ſi porro

ro legis divinæ proprium est, mentis requirere pietatem, & jubere actus, qui sine temporali pœna omitti possunt, uti fatetur Grotius *lib.*1. *cap.*2. *n.*6. probandum erit eidem, Deum legislatorem in promulgatione hujus suæ legis, quod proprium ejus est, non requisivisse, legemque hominibus in Veteri Testamento sub ista latitudine non fuisse propositam. Neque sensu hoc Grotiano lex carnalis dicitur autori Epistolæ *ad Hebræos VII.v.*16. Textus enim ille de lege ceremoniali est intelligendus, quæ de ritibus carnalibus, hoc est, externis & certo tempore duraturis, ut carnali oleo, carnalibus victimis præcipiebat. Marcus autem Evangelista in loco allegato non septimum explicat præceptum, uti vult Grotius, sed concupiscentias illas, quæ ad nonum & decimum pertinent.

Qui facto produntur) Explicatio hæc plane est judaica. Illi enim concupiscentiam ita interpretantur, quando peccatum ipso opere non perficitur, sed extant manifesta & certa indicia conatus, ut si quis cum uxore proximi deprehendatur, solus cum sola &c. Chemnit. *in explicat. præcept.IX.* Istos hic sequitur Grotius, qui etiam supra statuit §.19. motus concupiscentiæ inordinatos plane non esse peccatum, nec proinde pœnæ subjectos. Quod ultimum uti in foro externo admitti potest, ita si for-

ſan internum ſpectemus, neutrum debet concedi Grotio.

§. 40. *Quæ ipſos peculiariter non tangunt*) Admitto hoc, ſi in auxilium ab aliis vocati fuerint. Sed nego, ſufficientem belli cauſam eſſe, ſi populus extraneus ad me nullo jure pertinens peccata committat contra jus naturæ aut gentium. Nego libertatem puniendi unquam privatis competiiſſe ſine imperio. Nec ſatis inter ſe conveniunt verba Grotii, quando dicit, jus puniendi civitatibus ac judiciis inſtitutis penes ſummas poteſtates reſediſſe, non proprie qua aliis imperant, ſed qua nemini parent, ſubjectionem enim aliis id jus abſtuliſſe. Si namque aliis ſubjectio abſtulit illud jus, competet iſtud imperanti, qua imperanti. Et ſub hoc reſpectu competere, exemplo magiſtratus patet, qui principi ſuo paret & ſubjectus eſt, ſed interim propter imperium, quod gerit, punire poteſt ſibi ſubjectos inferiores. Herculis exemplum plus habet famæ, quam veri. Eo Solem denotari, & duodecim ejus laboribus duodecim ſigna zodiaci ſignificari vult Macrobius. Vid. Nicolaus Fuller. *l.2. miſcell. cap.7.* imo Herculis nomine Joſuam intelligit Robertus Parkerus *de deſcenſ. Chriſti ad inf. l.1. num.20.* Quicquid hujus ſit, neque hoc

hoc neque alia exempla sufficientia sunt ad doctrinam hanc Grotii probandam.

Contra quam sentiunt) Rectius omnino sentiunt hi, quam Grotius cum turbidis suis Canonistis, qui omnia passim corradunt argumenta, ut Pontificis regimen Oecumenicum stabiliant, quippe quod ipsi tribuere nequeunt, ubi Ecclesia nulla est plantata. Cum Victoria & reliquis a Grotio allegatis faciunt etiam Didacus Covarruvias *in c. peccatum.* §.10. *n.*4. *de R. J. in* 6. Joseph. a Costa *de procur. Inidor. salut. lib.*2. *c.*345.

Venire etiam ex jure naturali) quasi vero non ipsa etiam jurisdictio sive potius imperium esset ex jure naturali. Jam supra enim ostendimus contra Grotium, ordinem imperantium & parentium ab ipsa esse natura, nec coire aliter societatem potuisse. Et ambiguum est vocabulum jurisdictionis civilis. Si enim intelligit Grotius jurisdictionem talem, quæ a civitate per legem positivam formam externam accipit, concedo eam non esse a natura. Si vero jurisdictionem civilem Grotius dicit ideo, quod civitatem ea coerceat & moderetur, sive quod civitatem pro objecto habeat, optime eam ex jure naturæ deducemus.

Puniendi jus non habebit)

Recte, non habebit, quamdiu hostis est. Sed quando victus est ille, accipit victor jus puniendi tanquam superior, & jure imperii, quod nunc habet in victum.

Sed & manente bello) Hoc neque concedunt plerique, neque usus gentium confirmat, jus puniendi competere hosti in hostem, quamdiu ille victus non fuerit. Jus vindicandi competere concedimus.

In familias non in civitates distributi) hoc est, apud quos una civitas, quæ ex pluribus constat familiis, totum absolvit regimen politicum. Sed vero ubi homines distribuuntur in familias tantum, non in civitates aut provincias, non propterea omni carent imperio, quandoquidem una aliqua civitas summum habere potest imperium.

§. 42. *Innuptos concubitus)* Vid. quæ diximus ad *cap. 5. §. 9. & 13. hujus libri.*

Et fœnus) Usuras mordentes non divina tantum, sed etiam naturali lege prohibitas esse, nemo est, qui dubitat, imo sunt, qui simpliciter usuras juri naturæ repugnare contendunt. Vid. quæ diximus *differtat. de Mohatr. n. 3. seq.*

§. 43.

§. 43. *Ita etiam cum aliqua negligentia conjuncta)* Difficile eſt, hoc credere Grotio. Utique enim negligentia per ſe culpa eſt punibilis. Sicubi igitur jus naturæ, quod nobiſcum naſcitur, per negligentiam obfuſcetur, non videtur excuſatus eſſe, qui talem ſupinam ignorantiam prætendit, quo pertinet *cap.* I. *Epiſt. ad Rom.* Loquitur autem de foro interno & judicio divino, quippe quod ſæpe Grotius, dum indeterminate & obſcure loquitur, innuere videtur.

§. 44. *Quam ſententiam nos jam ante rejecimus)* ſed nullo ſufficiente argumento. Nos adhuc ita ſentimus, non poſſe ſubſiſtere poteſtatem puniendi ſine imperio, idque vel unica oſtendit, quæ maxime naturalis eſt, ſocietas domeſtica.

Sicut in rebus eccleſiæ) Argumentum hoc a plane ſeparatis & diverſis non valet. Unica eſt eccleſia, unicum perfectum corpus, ſub uno capite Chriſto, idque pluribus quidem conſtat partibus integrantibus, ſed homogeneis. Non ita totius humani generis unica eſt Reſpublica, non ita unum caput politicum, non membra ho-

mogenea, ſed Reſpublicæ plane diverſæ & ſeparatæ.

In majori illa, quam in civili ſocietate) Non tamen inde ſequitur, armis incutiendam eſſe religionem infidelibus, mihi nullo jure ſubjectis, & bello propterea petendos eſſe.

§. 45. Religionem veram, quæ) Hæc non eſt vera religio, quam hic deſcribit Grotius, ſed eſt tantum naturalis cognitio rerum divinarum, quæ fidem divinam & ſalvificam generare nequit, cum ne quidem veram rationem & modum colendi Deum explicet. Eſt enim hæc notitia naturalis imperfecta non ſolum quoad praxin, ſed etiam quoad theoriam, quatenus ſcilicet nunquam docet, quis ſit Deus, ſed aliquid tantum de Deo ſub generali notione concipit. Et hinc ratio ſibi relicta ſine accedente revelatione nunquam concipere poteſt talem unitatem eſſentiæ divinæ, quæ in pluribus perſonis non multiplicetur, nunquam talem Deum, qui eſt Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti. Quo fit, ut unitas eſſentiæ, quam credunt Chriſtiani, non ſit illa unitas Entis ſupremi per naturalem hominis corrupti diſcurſum inveſtigabilis. Hülſemannus *in breviar. ſupplem. c. 2. num. 3.* Vera igitur religio,

religio, quæ omnium ætatum communis eſt, non alia eſt, quam illa, quæ credit Deum, prout ſe in verbo revelavit.

Quartum) ὕστερον πρότερον. Deus enim cognoſcitur primum ex creatione, deinde ex gubernatione creaturarum.

Totidem decalogi præceptis) Speculatio hæc eſt Grotii in quibuſdam longius petita, & ratiocinationibus paulo abſtruſioribus ſubnixa, quam faceret alias ratio per notitias naturales. Et hic quidem Grotius ſequitur eorum ſententiam, qui præceptum de non habendis ad cultum imaginibus, ſejungunt a præcepto de non habendis diis alienis. Quod quidem non multum refert, cum id fecerint ante eum viri de Eccleſia optime meriti. Vid. Chemnit. *Loc. de Lege Dei*; rectius tamen prohibitio imaginum habetur pro appendice primi præcepti, tum quia inter deos alienos etiam imagines referuntur. *Geneſ.* 31, 19. 30. 32. *c.* 35. *v.* 2. 4. *Exod.* 20. *v.* 23. *c.* 32, 8. *Lev.* 19, 4. *Deut.* 28, 36. 1. *Sam.* 7, 3. 1. *Par.* 14, 12. tum quia cultus imaginum eſt ſpecies idololatriæ, idololatria autem in præcepto primo in genere interdicitur. tum denique, quia utrumque interdictum de non habendis diis alienis, & non faciendis imaginibus reſolvitur in præceptum affirmativum de colendo vero Deo.

Continebat abnegationem mundi) Rabbinorum hoc est glossema, uti refert Selden. *de jur. nat. lib.3. cap.*10. quibus tamen contradicit Gisbertus Voëtius *disput. de sabbat. & fest. part.*2. *num.*17. Non est autem negandum, Deum benedixisse septimæ diei, eamque sanctificasse, ut homo etiam cultui divino vacaret, & quiesceret, in memoriam mundi conditi & quietis vel cessationis Dei ab opere creationis hac die habitæ. Unde si quis non quiescit, non quidem ille simpliciter negat creationem mundi, non tamen celebrat memoriam mundi conditi.

Res autem factæ) Triplex est via perveniendi ad notitiam Dei. 1. via causalitatis, quando a contemplatione effectuum per gradus devenio ad causam primam. 2. via negationis, quando imperfectiones, quæ in effectibus reperiuntur, removentur a Deo. 3. via eminentiæ, qua omnis perfectio, quæ in creaturis reperitur, primæ causæ κατ' ἐξαίρετον & in summo gradu tribuitur. Via eminentiæ & cum via negationis & cum via causalitatis perpetuo conjuncta est. Nam negationis modus ita accipiendus est, ut intelligamus in illis negationibus non simplicem ac solam inesse negationem, sed excellentiores ibidem positiones & affirmatio-

mationes ſubeſſe. Similiter in via cauſalitatis, quia ad excellentiam cauſæ illius primæ nunquam aſſurgit effectus, ſemper addendus eſt modus eminentiæ, ſecundum quem perfectiones, quæ de creaturis prædicantur, infinite perfectiores de Deo intelligantur.

Sed quia hanc rationem) Via quidem cauſalitatis non uſque adeo difficilis eſt, ut capi ab omnibus nequeat. In genere enim cauſarum efficientium deveniendum neceſſario eſt ad unam aliquam ſummam & primam, a qua ſint omnia, ipſa vero a nulla alia.

Acquiſitam ex traditione) Traditio non eſt fundamentum Theologiæ naturalis, ut talis, ſed ut informatione excitatur. Neque hoc medium intelligunt Theologi, quando cognitionem de Deo aliquam acquiſitam ſtatuunt. Sed interpretatio totius negocii, quaſi in compendio, hæc eſt: Notitia naturalis alia eſt ἔμφυτος inſita, alia ἐπίκτητος acquiſita. Illa vocatur liber naturæ, hæc liber creaturæ. illa in notitiis nobiſcum natis fundata eſt, hæc ex actuali operum Dei contemplatione naſcitur.

§. 46. *Sed ab omnibus affirmari)* Licet homines quidem cognitione practica, vel τῇ χρήσει, vel actu videantur negare

gare Deum, cognitio tamen theoretica, τῇ κτήσει, & habitu ipsis non est deneganda. Ita namque intemperans novit cognitione theoretica, nullum poculum grande esse evacuandum, sed dum substituit aliam propositionem, in gratiam amici aliquid esse committendum, priorem propositionem practica cognitione videtur ignorare. Cæterum, si obsessos, phreneticos, & in summo gradu melancholicos excipias, nemo hominum dabitur, qui speculative fuerit ἄθεος. Theologia enim illa congenita non magis abesse potest ab homine, quam intellectus rationalis. Vid. Gisbert. Voet. *disp. de Atheismo.*

Ita & coerceri posse arbitror) quia non potest consistere societas civilis, nisi persuasum sit civibus, esse aliquod numen omnipotens, omnipræsens, &c. bonis benefaciens, malos puniens. Hæc igitur naturalis Theologiæ dogmata ne quis neget, non imperare tantum potest majestas civilis, sed etiam negantibus pœnam decernere. Hinc tamen non obtinet Grotius, quod vult, bello infestari posse populos plane extraneos propter negationem harum propositionum.

§. 47. *Deos plures uno non esse)* Hæc notio tam evidens videtur, quam ea, quæ via causalitatis addiscitur, Deum esse omnium

omnium entium primum. Omne enim primum est etiam unum, quia alias ne primum quidem esset.

Non solem) facile potuit in cœcas hominum mentes cogitatio irrepere, ut cum verus Deus visibilis non sit, illæ Deum putarent esse Solem, clarissima luce in sublimibus cœlorum templis refulgentem, inde toti se orbi augusta facie, regis instar, ostendentem, & tum utiles, tum mirandos adeo effectus exerentem in omne hominum & viventium genus.

Consistere religio posset) Non alio igitur fine usi fuerunt religione imperantes, quam regnandi instrumento, ut subditos in officio continerent.

Sed eos demum) Exempla adducta non sunt exclusiva, neque restrictiva, quod in his & non aliis defectionibus mortis pœna locum habere nequeat. Et lapidationis pœnam idololatriæ in genere decernit lex divina, *Deuter.XVII.v.3.4.5.* ubi diserte agitur de iis, qui Solem & Lunam adorant, etiam eos lapidibus obruendos esse, quos tamen excusatos hic vult Grotius, aut saltem tum demum puniendos putat, quando totus Dei veri cultus deseritur; quæ restrictio caret fundamento. Neque ex connivventia &

& dissimulatione Dei, aut ejus longanimitate, qua erga alios populos usus est, inferri potest, idololatras non mereri mortem.

Religionem suam cuiq; videri optimam) Non tamen proinde permittendum est, ut unusquisque errorem, quem fovet, in vulgus disseminet, & alios quoque in sententiam trahat. Quia enim voluntatis opus est, suum de religione sensum vel profiteri, vel tegere, etiamsi intellectus erroneus superari forte illico nequeat, nec pœnis etiam propositis adigi, ut aliter credat; potest tamen majestas prohibere, ne conceptum illum suum in vulgus proferat, & ecclesiæ scandalum præbeat, addita etiam pœna, si opus fuerit.

Sicut autem excusabiles sunt) Negat hoc epistola ad Romanos c. 1.

Ab hominibus certe non puniendi) Hoc non est simpliciter concedendum. Ubi inveterati fuerint ejusmodi errores, & universi subditi idololatriæ dediti, caute agendum est imperanti. Instituendi sunt illi de cultu divino & vera religione; alliciendi sunt præmiis & honorum collatione, & sensim ita animis eorum immittendus est verus de Deo sensus. At ubi ecclesia

jam bene fundata prævalet, & pauci adhuc in idololatriam proni inveniuntur, tuto licet imperanti religionem legibus circumſcribere, & in delinquentes adverſus eam animadvertere. Illic enim convincendi ſunt animi, & ad veram religionem inſtruendi; hic vero muniendi, ne per aliorum impietatem recidivam patiantur.

Legem a Deo prohibitam nullam acceperint) Contrarium docet Apoſtolus *Rom.I,19. & cap.II,15.*

Nec ſummi Dei cultum ideo deſerant) Deſerunt certe, qui aliud juxta eum colunt idolum, cum illi ſoli ſerviendum ſit, & non alii.

§.48. *Niſi ſecretis Dei auxiliis*) generantibus fidem divinam, qua ſcilicet creditur revelationi non propter aliud, ſed propter ſe, & ideo ſimpliciter, quia revelatio eſt & Dei verbum. Atque id contingit per virtutem ipſius illius verbi & illuſtrationem Spiritus Sancti intellectum & aſſenſum humanum convincentis.

Ita ſi quibus negantur) Gratia converſionis nemini negatur, ſed præſto omnibus eſt gratia præveniens, eaque ſufficiens ad emergendum ex peccatorum

cœno.

cœno. Illa uniusmodi est respectu omnium hominum, nec electis alia offertur, alia reprobis, ne quidem quoad gradum qualitatis intentiorem aut fortiorem. Quod vero hi convertantur, illi non item, non est causa quærenda in Deo, quod gratiæ suæ tenacior fuerit in hoc, quam in illo, sed in homine, qui vocanti Deo malitia sua obicem ponit. Nam, ut convertamur, totum Dei est; ne convertamur, nostrum est. Gratia autem præveniente non excussa Deus semper intendit, intensiorem gratiæ gradum conferre; sed voluntate consequente talem intensiorem gradum seu majus incrementum juste denegat iis, qui primam gratiam rejecerunt. Non ergo nobis incognitæ sunt causæ hujus negationis, nec proinde ad simplicem Dei voluntatem est recurrendum.

Christo nova legis auctori) sæpe diximus, Christum non fuisse legislatorem.

Nec obstat illud in fabula) Parabolam dicere debuisset. Fabulam enim minus pie dici notat Cloppenburgius *in disput. pag.67.*

Instantiam vocatoris significat) agnoscit hoc Thomas *quæst.22. de verit. art.1. ad ult.*

§. 50.

§. 50. *Cogitandum hic quoq;*) Fides quidem, in quantum est opus intellectus, legibus non subjicitur, neque cogi potest intellectus ad assensum, nec proinde pœnæ locus est. At in quantum ad voluntatem spectat, sententiam hæreticam intra sua animi sensa occultare, aut in vulgus efferre, poterit Magistratus ea de re leges promulgare, & pœnis animadvertere in delinquentes. Eadem ratione potest prohibere Princeps, ne seditiose aut turbulente vel oppugnetur verum vel defendatur, cum & hoc ad voluntatem & arbitrium humanum spectet.

Hæreticus Augustino is demum) Quis proprie pro hæretico sit habendus, & difficilis est inspectionis, & Theologorum principaliter est cura, quibus istam rem committimus.

Caput XXI.

§. 1.

Si qua malitia notabilior accesserit) Vulgatum est inter Doctores, non intelligi delictum sine dolo, & cessante dolo, omnem cessare pœnam. Vid. Valentin. Voltzius *consil. 2. de inquisit. num. 96.* Marc. Anton. Blancus *in pract. crimin. f. 125. num. 35.* Sub dolo autem non animi tantum

propositum continetur, sed etiam impetus ebrietatis, iræ, amoris, libidinis, &c. Anton. Matthæus *de crimin. c.1. n.3.*

§. 2. *Nisi aliquid in ipsis vitiosum hæreat)* Loquitur hic autor de pœnis, quod Dominus non possit puniri propter delictum servi, nisi ipse delicto participaverit, quo tamen casu magis est, ut ex proprio suo delicto eum teneri dicamus. Cæterum de jure civili introductum est, ut ex delictis privatis servorum agi possit adversus dominum, non criminaliter quidem, sed civiliter & pecuniariè, vel ut litis æstimationem sufferat, vel servum noxæ dedat. *§.1. Instit. de noxal. act.* Sed hoc ex jure civili esse, dixit autor supra *cap.17. num.21.* cujus tamen æquitas in eo maxime consistit, quod non pati debeat dominus, ut ex sua familia damnum alicui inferatur, & quod proinde, si datum fuerit, negligentia aliqua imputari debeat in eligendis ministeriis ei, quicquid etiam dicat Cæsar Ursill. *in addit. ad decis. Matthæi de Afflictis, decis.37. num.4.*

Eum ipsum delinquere) Pœna tamen num eadem & servo delinquenti & patienti domino infligi possit, aut debeat, disquiritur. Dominum, quo sciente servus, aliquem occiderit, ex L. Aquilia teneri, dicitur in *l.44. ff. ad L. Aquil.* Sed an idem dicen-

cendum de L. Cornelia, quod scilicet dominus sciens & non prohibens capitali supplicio affici debeat? Non videtur, eo quod in judiciis publicis, & inprimis in L. Cornelia dolus præsumtus non sufficiat. Tabor *de abusu armor. cap.4. n.3.*

In solidum dominum obligat) scilicet ex L. Aquilia, non vero ita ex L. Cornelia. Franzk. *tit. de noxal. act. n.3.*

Facultas prohibendi) Culpa igitur caret, qui scit, sed justo impedimento intercedente, vel potestatis vel virium defectu non prohibet. Jacob. Gothofred. *ad l.50. ff. de R. J.* exempli gratia, si servus proclamet ad libertatem, vel domino trans flumen existente, servus cis flumen existens delictum committat. Cujac. *ad d. l.50.*

Quos habent in potestate) Atqui ex jure naturæ, quod hic ubique sibi propositum habet Grotius, omnes filii sunt in potestate, quæ nec solvitur aliter, quam morte intercedente.

§. 3. *Ut ante diximus)* Diximus & nos ad §.1.2.3. *l.2. cap. anteced.* frustra id dici ab Grotio.

Quæ persequi ita civitatibus aliis) Negavimus & hoc *cap. anteced.* §.40.

Pœnæ exigendæ) Diximus supra, non tam pœnam exigi ab alia civitate, in quam peccatum est, quam vindictam.

§. 4. *Aut ut eum permittat)* Id non aliter justum est, quam in casu, de quo loquitur autor, sicubi scil. culpæ compertus est, qui dedi debet. Ut maxime enim inter concives de mutua tuitione aut defensione initio tacite convenerit, extendendum tamen id non est ad cives facinorosos, & qui reliquis civibus exitio sunt. Quod si hostis civem innocentem sibi petierit, tantum abest, ut dedi ille debeat, ut nec deseri quidem possit eum in finem, ut ab hostibus capiatur. Vid. Fernand. Vasq. *l.* 1. *controv. c.*13.

Quæ & verior est) Si vera sunt, quæ refert Pomponius *l.ult.ff. de legat.* verior erit sententia Publii Mutii contraria. Quid enim alias opus fuisset lege hac, ut Hostilius Mancinus esset civis Romanus? Utique ergo ab Romanis perinde habebatur, ac si aqua & igni interdictum illi fuisset, quia suffragio populi quasi per rogationem ex civitate expulsus erat. Ideoque civitatem sine nova rogatione novoque suffragio populi recipere non poterat. Joh. Gœdd. *ad l.*102. *n.*1. *ff. de V. S.*

Sed decreto aliquo aut judicio) Judicium & hic semper præcessit

apud

apud Romanos, & hinc non decere ait Plutarchus in Romulo, homines dedere causa non cognita. Nec vero omitti id potuit, cum per leges XII. Tab. non licuerit de capite civis Romani, nisi per maximum Comitiatum, aliquid decernere. Cæterum cum civis Romanus esse desinat, qui in hostium potestatem venit, utique per deditionem jus civitatis perdi dubium apud me nullum est, & cum ita plerumque dedatur, ut spes recipiendi prorsus intercidat, nulla quoque videtur spes manere postliminii, & propterea nova videtur opus fuisse rogatione populi in causa Hostilii Mancini, cum ad suos rediisset. Cumque nulla videatur esse differentia, quoad causam postliminii, utrum receptus fuerit ab hostibus, qui deditus est, an minus, fere est, ut probem in *l.4. pr. ff. de captiv.* lectionem Accursii: *Eos, qui ab hostibus capiuntur, vel ab hostibus deducuntur &c.*

Quod Modestinus de dedito respondit) Imo vero Modestinus hoc plane non dicit, quod hic vult Grotius, sed cum Pomponio in *l.ult. ff. de legat.* eundem examinat casum, & proinde in responso Modestini cum Ludovico Russardo legendum est: *nec ab iis receptus*, pro verbis: *nec a nobis receptus.*

§. 5. *Non qui commiserunt)*

Etiam Christianorum templis datum est hoc jus asylias ab Imperatoribus, *tit. Cod. de his, qui ad eccles. confug.* sed & illi levioris tantum delicti suspectos recipi voluerunt, non sicarios, adulteros, raptores, aut similium criminum reos. Nimium igitur est jus Canonicum, quod remotis solis nocturnis populatoribus agrorum, & publicis latronibus, aliisque paucis, quos refert Andr. Vallensis *tit. de immun. eccles. n.5.* cæteris cujuscunque facinoris reis immunitatem tribuit. Et fatetur Petrus de Ferrariis *in pract. tit.52. n.47.* jura ista facta esse sine ratione & ad beneplacitum, imo contra jus divinum.

Aut certe amovendi) Ubi supplicum aliqua habebatur ratio, benigne eos ab aris abducebant; sin minus, deripiebant eos de ara & abducebant, quandoque etiam igni atque incendio circumseptos inde abscedere eos cogebant. Vid. Desider. Herald. *ad Tertull. apologet. l.1. digress.26.*

§. 7. *Etiam inter universos & singulos*) Disputant Doctores, quando universitas dicatur delinquere. Communis sententia est, non sufficere, quod totus populus vel omnes ex universitate delictum committant, ne quidem si levato vexillo, aut pulsata campana omnes de universitate iverint ad delinquendum; sed necessaria m

ſariam eſſe prævia̧m totius populi delibera-tionem, & in hanc rem conſilii publici con-vocationem, alias delinquere tantum & pu-niri debere ſingulos de univerſitate, non in-tegram univerſitatem ut corpus. Jul. Clar. *in pract. crim. q.16. n.8.* Celſ. Bargal. *de dol. l.3. c.1. n.57.* Nic. Loſæus *de jur. univerſit. part.4. n.14. ſeq.* Andr. Gail. *de pac. publ. lib.2. c. 9. n.4.* Joh. Althuſ. *dicaol. l.1. c.190. n.19.*

Diſtinctæ enim ſunt pœnæ) Non ita plectitur univerſitas, unde ſingulis ordine pœna repetatur; ſed tum demum pœna de univerſitate ſumi dicitur, cum ipſa univerſitas punitur: quare cum univerſitas jure conſtet, quatenus ſc. uni imperio uniſque legibus paret, adhiberi debet ea pœna, quæ jus illud adimat: veluti ſi ſuis legibus, ſi magiſtratibus, ſi publico conſilio, ſi im-munitatibus & privilegiis privetur, ſi mœ-nibus oppidum nudetur, ſolum aratro in-ducatur &c. Franciſc. Hottomann. *quæſt. illuſtr. 42.*

Ea amittant, quæ ipſorum ſunt propria) Contingere poteſt, ut everſa & deleta urbe prædia ſua amittant innocentes. Et his quidem, ſi de ipſorum fide conſtet, aliunde ſatisfieri debet, ne præ-ter meritum ſuum plane innocentes puni-antur. Diſſentiunt Moraliſtæ, qui propter grave delictum univerſitatis etiam innocen-

tes non injuste puniri contendunt. Vid. Paulus Laymann. *Theol. moral. lib.* 2. *tract.* 3. *c.*12. *n.*12.

§. 10. *in fin.* *Nisi per universitatem)* Sed hæc non sunt extendenda ad ista bona, quæ non habent per universitatem, sed in proprio patrimonio. Ut enim in istis damnum sentiat præter meritum, nulla ratio jubet.

§. 11. *Occidi nemo possit ex fidejussione)* Vulgatum id est juris civilis ex jure naturali depromptum axioma, quod nemo dominus sit membrorum suorum. *L.*13. *ff. ad L. Aquil.* & quod justitiæ ratio non patiatur, eum, qui non deliquit, pœnam corporalem subire, *l.*22. *C. de pœn.* Deficiunt enim fines pœnarum, cum ita nec emendetur delinquens, nec a simili delicti genere, sed tantum ab istiusmodi tali fidejussione deterreantur alii, nec etiam satisfiat læso aut damnum passo. Vid. Hering. *de fidejuss. c.*20. §. 9. *n.*36. Anton. Matthæus *de criminib. tit. de custod. reor. num.*14.

Quod si exilium) Exilium ad fortunas potius & domicilii mutationem pertinet, quam ut corporis aliquem cruciatum inferre possit. Et cum itaque de fortunis suis & rebus unusquisque statuere possit pro lubitu, non erit frustranea fidejussio,

qua quis exilii pœnam ſubire promittit. Ant. Matth. *d.l. num.26.*

Quod erat penes auferentem) Præſupponit hæc Grotii ſententia liberum auferentis arbitrium, quod uti in precario negari nequit per *l.1. l.2. l.12. l.15. ff. de precar.* ita principi in rebus privatorum concedi plane non debet, quemadmodum nec ipſum dominium eminens.

Sed uſus dominij humani) Imo vero non tantum uſus dominii humani hic attendi debet, ſed etiam, & principaliter quidem, ratio inductiva, quam ſuggerit jus Canonicum *c. mulier. 15. quæſt. 1. Pecora inde credendum eſt juſſa interfici, quia tali flagitio contaminata indigna refricant facti memoriam.*

§. 12. *Cujus rei ratio*) Paulus Juriſconſultus *in l. 20. ff. de pœn.* intelligit emendationem non aliorum hominum, ſed ipſorum delinquentium. Nec ergo non veram dicere poterit hanc rationem Grotius, quam ipſe probavit ſupra *cap. anteced. num.6. & 7.* Exempla vero, quæ extra perſonam delinquentis ſtatuuntur, ſæpe in diverſa abeunt. Ut ſi fidejuſſor morte puniendus eſſet, non delicti id eſſet exemplum, ſed fidejuſſionis, præſertim cum nec pœna quidem

tali casu dici posset, uti ipse modo confirmavit Grotius.

§. 13. *Nescio quis Christiano)* De justitia supplicii ex crimine læsæ majestatis in liberos propagati in utramque partem multum disceptatur. Vid. Albericus Gentilis *ad Leg. Jul. Majest. disput.*7. Anton. Perez. *Cod. ibid. num.*17.18. Bachov. *in Treutl. vol.*2. *disp.*32. *thes.*1. *lit.* K. Sentio tamen hic cum Grotio, non esse probandam hanc Imperatorum sententiam, nec ulla ratione purgari satis posse ab iniquitate, quam continet. Id tamen non diffiteor, prudenter coerceri perduellium liberos, ne noceant, & parentum supplicia vindicent.

§. 14. *Deus quidem)* Male philosophatur Grotius, Deum ideo punire posse liberos innocentes, quia dominium habeat in vitam eorum. Primum enim non absolute accipiendum est, quod minatur Deus paternam se impietatem in posteris vindicaturum, sed sub hac qualitate, si & posteri impii fuerint, & vel delictis parentum communicaverint, vel ipsi similia aut etiam alia prava facinora commiserint. Tum enim aggravare solet Deus pœnas, & atrocius punire filios, quam si soli deliquissent. Deinde falsum est,& pugnat cum justitia divina,Deum jure dominii,quod habet in hominem

minem & bona ejus, posse pœnas ei plane innocenti infligere, & ex hoc miserum reddere. Vid. *notat. ad* §.4. *cap. antecedent.*

Jure dominij, non pœnæ) imo pœnæ, quia vindictam minatur Deus in posteris, quæ verba non parentum tantum respectu dicuntur, sed ipsorum etiam liberorum respectu, quos propter delicta & sua & parentum suorum gravius dicit a se puniendos esse. Nec proinde nego, etiam parentum delicta puniri in posteris, & hoc grave esse parentibus, si ipsi superstites posteros suos in calamitatibus pene submersos videant. Quod exempla ex scripturis adducta attinet de Achane, cum Grotio facere videntur Junius & Tremellius ad *Jos. cap. VII.* Sed dubium non est, totam ejus familiam furto isto contaminatam & sic participem fuisse. Familiam autem Saulis participem fuisse criminis, patet ex eo, quod Deus eam dicat sanguinariam, 2.*Sam.XXI.v.1.* Sic etiam de posteris Jeroboami constat, eos peccatis valde fuisse contaminatos, 1.*Reg.XIV.v.*13. Achabi vero exemplum clare ostendit, & quod in posteris non aliter vindicare velit delicta parentum, quam si ipsi quoque peccata aut eadem aut similia commiserint, uti patet ex 2.*Reg.*1. *in princip. & cap.III.v.*2.

Nisi adversus scelera) Unde hoc

hoc habet Grotius? id enim docere nequit Plutarchus, Ælianus, Strabo &c.

Hinc factum ut prægnantem) Vid. Barn. Brisson. *select. antiquit. l.2. c.20.* Claud. Tutius *ad l. prægnantis. 3. ff. de pœn.*

§. 16. *Id auferri ipsis posse*) Hoc est, quod supra dixi, coërceri posse liberos enormiter delinquentium, ne noceant. Statuitur igitur istiusmodi tale non tam in pœnam, quam in securitatem Reip.

§. 17. *Id est ex negligentia*) quomodo vero ex negligentia? an quod non prohibuerit rectorem alterius populi, ne delinqueret? Sed quia nec ipse ille, qui pœnas jam poscit, tale quid prohibuit, quid est, quod eum liberet a culpa, & jus det alienum populum propter negligentiam puniendi. Utique obscurior hic est Grotius, quam ut intelligi queat.

Sed agimus de eo contractu) Obscurior hæc est explicatio, quam ipsa quæstio. Quis est enim iste contractus, qui ex natura oritur ejus corporis, cujus caput est rex, membra cæteri? Propositum est agere de delicto principis, num propter id puniri possint subditi. Tale utique delictum non potest dici contractus, qui ex natura oritur ejus corporis, cujus caput est rex, mem-

membra cæteri. Sed de hoc tamen forte quærit Grotius, utrum propter delicta principis teneatur populus, ideo, quod ab initio sive tacite sive expresse convenerit inter principem & subditos, ut unum esset inter se corpus civile. Sed enim unusquisque tum facile intelligit, conventionem istam ad delicta non esse extendendam, neque eum fuisse animum contrahentium.

Interim hæc pœna erat non populi) Imo & populi. Dicitur enim in initio capitis, iratum fuisse furorem Domini contra Israël.

Caput XXII.

§. 1.

Causas alias esse justificas) Causa prima & præcipua plerorumque bellorum est cupiditas & habendi aut fines dilatandi libido. Nec tamen ea unquam publice profertur, sed prætextus aliunde sumitur, isque tanto cum elogio, ut justitiam strenue mentiatur. Quod si nulla alia suppetat causa, ad religionem confugiunt militantes, & omnium suarum actionum autorem faciunt Deum, religionis & justitiæ titulo ambitionem suam velantes. Suum quisque bellum sacrum prædicat, hostes quisque suos impios dictitat, suam quisque causam san-

ſanctam nominat. In ore omnium ſanctum piumque verſatur: conſilio, conatu, animo ſecus agitur.

§. 5. Ut enim juſta ſit defenſio) Multo latiorem habet ambitum defenſio, quæ fit bello publico, quam quæ privatis permittitur in aggreſſione privata. Vid. Grot. *ſupr. hoc libr. cap.1. num. 16.* Ut maxime vero in bello defenſivo prævenire liceat vim non præſentem, non ſufficit tamen ad talem præventionem qualiſcunque metus, quanquam ſufficiat ad apparatum defenſionis & conſcribendum militem. Vid. Dn. Strauch. *exerc. exoter.9. n.15.*

In ſuo arcem faciat) Id licitum eſt vicino, & propterea facere nequeo cum quibuſdam Juriſconſultis, qui fortalitia ejuſmodi ad æmulationem alterius ædificari, & novi operis nunciationis remedio impediri poſſe contendunt. Andr. Gail. 2. *Obſerv.69. num.*18. Nicol. Boër. *deciſ.*320. *num.*8. Petr. Ant. de Petra *de poteſt. princ. cap.*8. *n.*11. niſi ſententia eorum accipiatur de eo caſu, quando quæſtio eſt de principibus uni ſuperiori ſubjectis, & iiſdem juris publici legibus utentibus. Add. Limn. *l. 4. jur. publ. cap.*8. *num.*213. *ſeqq.*

§. 9. Æque eſt improbum) Plerique iſti tituli, qui hoc capite exponuntur,

tur, conquisiti fuerunt superiore seculo ab Hispanis in causa Americanorum, ut scil. eo magis de justitia belli adversus eos gesti constare posset. Sed eos plerosque eleganti discursu refutant Franciscus a Victoria *in relectionib.* & Joseph. a Costa *in libr. de procuranda Indor. salute.*

§. 10. *Nisi quod hoc videtur posse defendi)* Cum enim ordinarie duo requirantur ad acquirendum dominium: Titulus & traditio seu apprehensio rei, non videtur dominium per apprehensionem transire posse, nisi animus intervenerit apprehendendi, & posthac tenendi rem pro sua. At talem animum vix habent, si qui sunt, toti amentes.

§. 12. *Occupanti & idoneo)* Non occupanti principaliter hoc concedit natura, sed jubet potius, ut qui sanguine proximus fuerit, infantis curam habeat. Deficientibus consanguineis, unumquemque hominem ad officium vocat. Nec tam occupatione, quam miseratione regimen tale constituitur.

§. 13. *Mundi dominum)* Jam inde a Lotharii Cæsaris temporibus titulum hunc Imperatoribus tribuerunt Romani juris Doctores, eumque magnifice illustrat Petrus de Andlo *lib. 2. de Imper. Rom. cap. 8.*

*cap.*8. Nec defuerunt, qui hoc argumento Carolo V. Imperatori jus occupandi Americam vindicarunt, refutati Francisco a Victoria *relect.* 5. Fern. Vasquio *l.* 1. *quæst.* 20. Joseph. a Costa *de procur. Indor. salute l.*3. *c.*3.

Per complexionem) Vid. Marquard. Freher. *ad Petr. de Andlo d.l. pag.* 186. Terrarum enim orbis nullo unquam tempore totus & integer Romanis fuit subjectus, & ne Europa quidem tota, multo minus Africa & Asia. Germani autem, qui trans Rhenum & Danubium Romanis erant, perpetua cum illis bella gesserunt, nec unquam provinciæ jura acceperunt.

Et locorum distantia) Adde & ingeniorum diversitatem. Non enim eadem Reipublicæ forma cuicunque societati civili commoda est, nec illis etiam, quæ aut monarchicæ sunt aut oligarchicæ, omnia vel monarchica vel oligarchica applicare licet, uti jam diu observarunt Rerumpublicarum formatores. Vid. Virgil. Malvezzi *in Tarquin. Superb. pag.* 138.

Ita bello amissa sunt) Sine dubio tamen multa evenerunt, quæ propter vitiosum initium probari haudquaquam potuissent, nisi accessissent alia, quæ causam in meliorem statum posuissent. Nec enim in arbitrio populorum est, cui parere velint, de-

sul-

sultoria quadam levitate seligere, & sceptra, quibus paruerunt hactenus, proterve contemnere. Quin si hoc fecerint, dubium non est, rebellionis crimen contrahi, nec absolvi eos prius, quam consensu suo tacito aut expresso separationem hanc firmaverit Princeps pristinus.

§. 14. *Judicandi sibi jus non esse*) Sed judicandi vocabulum ibi non significat jurisdictionem aut judicium, sed facultatem discernendi, quis sceleratus aut commercio inidoneus fuerit. Selden. *de synedr. l.2. cap.7.*

Erat tamen cœlestis) Potestas ecclesiæ mere est spiritualis, nullam habens facultatem coercendi externe & violenter. Quæ vero instituta sunt judicia ecclesiastica, externa omnia sunt, nec proveniunt ex potestate ecclesiastica aut ecclesiæ propria, sed ex potestate politica, quæ tamen non simpliciter ecclesiæ sunt necessaria, sed faciunt tamen ad bonum ordinem conservandum, & ut puniantur refractarii. Marc. Anton. de Dominis *de Rep. Eccles. lib.5. c.2. & 3.* Ita excommunicatio privativam tantum infert pœnam; nec habebit tamen ea effectum, nisi sua sponte pareat excommunicatus. Si hoc non fecerit, nulla competit ecclesiæ potestas eum per vim repellendi, sed tum recurrendum erit ad potestatem politicam, & magistratus ope excludendus erit contumax.

Sed divina virtute) Negari autem non debet, propter arctissimam naturarum unionem actiones naturarum non esse divisas aut separatas, sed communicari propter communicationem proprietatum. Est enim inter alia divinitatis idiomata etiam potestas faciendi miracula carni Christi communicata.

Signum medendi, non remedium) quidni etiam remedium. In Christo enim quia nihil non est vivificum, etiam sputo & luto *Joh. IX. v. 6.* virtutem supernaturalem tribuere potest, ut efficiant id, quod alias ex se præstare non possent.

Regnum esse non Episcoporum) Jam diu est, cum episcopi supra conditionem & sortem ecclesiasticorum evecti sunt, & secularem potestatem cum integris territoriis acceperunt. Et exhinc factum, ut licet titulum episcoporum retinerent, munere tamen episcopi, ut olim, nequaquam fungerentur, sed ad instar aliorum principum secularium episcopatibus & territoriis præessent. Vid. Struv. *diss. Feud. num.* 4.

§. 16. *Nam qui beneficium dedit*) Gratitudinem & remunerationem non civile tantum, sed etiam gentium jus

pudori

pudori cujusque reliquit. Nec enim convenit, beneficia fœnerari, aut in Calendario scribere. Cumq; res honesta sit, referre gratiam, desinit honesta esse, si necessaria est, neque gloriosa res est, gratum esse, nisi tutum est, ingratum fuisse. Senec. *l. 3. de benef.*

§. 17. *Ipsum tamen bellum proprie injustum non faciunt*) Utique faciunt, quia tum justa belligerandi causa evertitur, & contaminatur injusto fine & intentione. Actiones enim morales ex fine judicantur. Dum itaque qui bellum indixit, contentus non est vindicta, neq; id tantum quærit, ut pacem hosti extorqueat, justa exinde fit defensio eorum, qui bellum promeriti fuerant, & injusta ejus arma, qui bellum inferre optimo jure poterat. Axioma juridicum est, ordinata ad finem boni non debere malum operari. Cardin. Tuschus *pract. conclus. tom. 5. conclus.* 181. Et scholastici dicunt, intentionem bonam ita dici non tantum ratione substracti, sed etiam ratione connati, hoc est, non tantum ratione ejus, quod quis vult propter se, sed etiam ratione mediorum, quæ ordinantur in sic volitum, ut intentio aliter bona dici non possit, nisi utrumque concurrat, & bonitas finis, & recta ordinatio mediorum ad finem. Joh. Altenstaig. *Lexic. Theolog. vocab. intentio.* Iidem scholastici non aliud bellum justum faciunt,

ciunt, nisi justitia in his quatuor sese exserat, nempe in legitima autoritate, causa justa, intentione recta, & debito moderamine. Adde Gratian. *caus.23. quæst.* 1. & 2.

CAPUT XXIII.

§. 1.

IN moralibus non æque) Etsi enim præcepta communiora Ethicæ, e. g. virtutem esse summum hominis bonum, vitia summum malum & similia, æque evidentia sint, atque scientiarum proprie dictarum propositiones; conclusiones tamen particulariores certitudinem longe minorem & contra multum sæpe obscuritatis conjunctum habent, quod res ipsæ, de quibus loquuntur, multis modis mutabiles & contingentes sint. E. g. Moralis certitudo & evidentia est, verum esse, quod vir bonus & gravis jurejurando solenniter confirmat. Sed hæc evidentia non absolute talis est, sed secundum quid: nam quod simpliciter evidens est, id ita intellectum convincit, ut non possit dissentire, quod hic non fit, quia simpliciter impossibile non est, hominem justum & gravem pejerare, cum possit virtute sua deficere.

§. 2. *Actum esse vitiosum)* Effectus hic est conscientiæ, uti vocant, erroneæ

roneæ, quæ id faciendum aut omittendum dictitat, quod faciendum aut omittendum non erat. Actus autem ideo fit vitiosus, quia Deus & recta ratio requirit, non tantum ut faciamus bonum & abstineamus a malo, sed etiam, ut animo bono & recto, non malo, præstemus utrumque. Sæpe autem conscientia ista erronea ita stringit, ut non possit non quis, manente ea, peccare. Si enim actio suo genere bona vel mala sit, & necessario ex præcepto vel facienda vel omittenda, qui bonam & præceptam per errorem credit esse malam & prohibitam, & proinde omittit, peccat, quia videlicet non facit, quod ex rei natura & præscripto legis erat faciendum. Si facit, itidem peccat, quia contra suam conscientiam agit, & quam certo persuasus erat legem esse divinam vel naturalem, adspernatur. Vid. Thom. *l. 2. quæst.* 19. *art.* 5. Durand. 2. *sentent.* 39. *quæst.* Occam 3. *sent. quæst.* 13.

Quo in loco fides) Optime se res habebit, si ut Christianus intelligas animi judicium ex fide Christiana, nempe ut mens Apostoli sit: quicquid non provenit ex fide Christiana, per conscientiam ad opus applicata, illud peccatum censetur. Vid. Gerh. Joh. Voss. *in histor. Pelag. lib.* 3. *part.* 3. *thes.* 12. *in fin.*

Sed hæsitet) Dicitur hæc conſcientia dubia, quæ neutri parti aſſentitur, ſed plane hæret inter adſenſum & diſſenſum. Et ad hanc magis, non ad erroneam trahunt Caſuiſtæ dictum Pauli, quod jam vidimus. Peccat autem ex hac conſcientia, qui agit, quia non abhorret a peccato. Nam bene, an male operetur, legem obſervet, an violet, Deum offendat, an non, perinde æſtimat, atque ſic ſciens & volens ſeſe periculo peccandi exponit. Quod ſi faciendum omnino fuerit, debet is, qui ita dubitat, eligere, quod ipſe tutiſſimum eſſe judicaverit, & dare operam (1) ne quid ad ſummam diligentiam, etiam alios conſulendo, reliqui feciſſe videatur, (2) ne ullam peccandi voluntatem habuiſſe arguatur. Vid. Franciſcus a Victoria *relect. 5. fol. 167.* Et poteſt fieri, ut quis judicio intellectus ſpeculativo dubitet, & tamen judicio practico magis feratur ad alterutrum, quemadmodum miles, qui ſpeculative dubitat, an bellum ſit juſtum, poteſt ſine peccato militare ſub principe ſuo, quem credit non eſſe tam imprudentem, ut bellum injuſtum ſuſcipiat.

§. 3. *Plerumque vero*) Pertinent hæc ad conſcientiam probabilem, uti vocant, quando ſcilicet talis adeſt aſſenſus, quo intellectus fertur in alteram contradictionis partem, cum formidine oppoſiti, propter

ratio-

rationem non penitus certam. In tali conſcientia qui operatur ſecundum opinionem, quæ ſibi videtur improbabilis, ille peccandi ſe periculo exponit. Semper autem ille promptus eſſe debet ad audiendas rationes aliorum, & deponendam ſuam ſententiam, ſi melior aliqua occurrerit. Eſt enim obſtinati hominis, neminem ſe prudentiorem agnoſcere. Et hinc patet, quid ſentiendum ſit de doctrina Jeſuitarum, qui ſtatuunt, licere cuique eam opinionem tuta conſcientia ſequi, quam quatuor, vel tres, vel duo, vel unus etiam gravis Doctor tradiderit, itemque conſultum de aliqua re Doctorem poſſe reſpondere juxta probabilem aliorum ſententiam, quamvis ipſe Doctor ejuſmodi ſententiam ſpeculative falſam eſſe certo ſibi perſuadeat: adeoque cum ex utraque ſententia conſilium dare poſſit, prudenter facturum, ſi eam in conſilio dando eligat, quæ conſulenti favorabilior ſeu exoptatior ſit. Vid. Ludovicus Montaltius *in epiſt. provincialib. paſſim.*

§. 5. *Sive ab aliorum auctoritate*) In aliorum ſententiis ſequendis contingit, ut illæ ſint vel magis probabiles, minus autem tutæ, vel magis tutæ & minus probabiles. Probabilior eſt, quæ firmioribus & melioribus rationibus nititur: tutior, in qua non ita facile peccatur.

§. 8. *Et tum ob hanc*) Mediatores, qui hodie inter principes intercedunt, non tam arbitrorum, quam arbitratorum vices gerunt, & ægre plerumque recipiuntur. Tanta scilicet est odii inter Christianos vehementia. Et quanquam inter Principes Germaniæ sua non careant utilitate judicia Austregarum, plurimum tamen & ipsa habent incommodi, de quo videri potest Conring. *disput. de judic. Reip. Germ. num.* 61. 62.

§. 10. *Si non ab ipsis recte fieri*) Dubitari potest, an recte fiat, posito scilicet non haberi modum componendi alium. Etsi enim satius esset, quovis modo rem transigere, quam desperatum ejusmodi & sanguinolentum remedium eligere; Si tamen pax impetrari aliter nequeat, & commodior atque benignior modus definiendi rem se non offerat, confugiendum erit ad id, quod haberi potest, quodque inter duo mala censebitur minus perniciosum. Conf. Paul. Laymann. *Theol. moral. lib.* 3. *tr.* 3. *part.* 3. *cap.* 3. *num.* 3.

§. 11. *Quam qui possidet*) Petitorem probare debere, unde res ad ipsum pertineat, non possessorem, unde possideat, vulgatum est apud juris Doctores.

§. 13. *Distinguendæ enim sunt*) Res

Res huc redit, in controversiis tum privatis, tum publicis justitiam causæ penes unam tantum partem consistere. Uti autem in privatis litibus utraque pars juste causam tueri potest, non obstante, quod una tantum ex parte causa justa existat; ita & in bellis publicis inconveniens non esse, ut cum ex una parte sit jus, ex altera ignorantia invincibilis, ex utraque parte bellum juste geratur. Franciscus a Victoria *relect. 5. sect. 3. num. 6. & relect. 6. num. 32. 33.* Ita ergo si quis teneat provinciam cum probabili ignorantia, credens eam suam esse, & alter, qui verus dominus est, eam repetat, non minus ille bello eam juste defendere, quam hic vindicare poterit.

Nam ipse operans juste agere interdum) Ut quis juste agere dicatur, necesse est, non tantum ut justum sit id, quod agit, sed etiam ut agat sponte, sciens, & volens. Unde si quis agit, quod justum non est, sed imprudens & ex errore aut ignorantia, ille quidem non injuste agit, nec tamen juste agit.

Cujus rei exemplum) Hoc non videtur esse exemplum ignorantiæ inevitabilis. Qui enim leges ignorat, in lata versatur culpa, nec ideo excusari debet, *l. 9. C. de legib. l. 12. C. de jur. & fact. ignor.*

Sic enim & sententia non ex jure lata) Verum hoc est de sententia, quæ in hypothesi injusta est, quando scilicet de jure litigatoris judex injuste pronunciavit. Secus est, si contra jus ipsum constitutum pronunciat in thesi, tunc enim sententia, quia non tantum ἄδικ☉ est, sed etiam παρἀνομ☉, de lege scilicet ipsa & contra eam directo lata, ipso jure nulla est, nec ullum habere potest effectum.

Caput XXIV.

§. 2.

Ad pœnas vero omittendas) Repetendum hic, quod sæpe dixi, bella, non tam in pœnam, quam in vindictam geri. Et de pœnis notavi supra *ad cap.* 20. §.34. *&* 36. remissionem earum tam facilem non esse, uti eam facit Grotius, neque judicem a superiore constitutum lege debere esse clementiorem.

§. 4. In fabella quadam Christi) Supra notavi ad §.48. *c.*20. minus pie dici a Grotio fabulas, quas parabolas dicere debuisset. Locus autem, quem innuit, extat *Luc.XIV.*

§. 5.

§. 5. *Quæ comparatio tres habet normas*) Ita quidem in thesi & generaliter præcepta formari possunt; sed in hypothesi & præsente materia tantis subtilitatibus forte opus non est. In bello enim sive inferendo sive excipiendo id maxime considerandum est, numquid valeant vires, ut vel recuperari possit, quod petimus, vel retineri, quod possidemus. Et hæc quidem principalis atque primordialis est deliberatio. Flagrante jam bello, ubi res non succedit ex voto, concedo, flectendas nonnunquam esse cogitationes in alia omnia, & tum maxime difficiles esse deliberationes, ut pax bello commutetur.

§. 6. *Libertatem intellige civilem*) Libertatis nomen statui monarchico plerumque solet opponi, uti id ostendit Autor *l.* 1. *c.* 13. *n.* 12. & multi juxta Philosophum *VI. Polit. c.* 2. in sola hac Reip. forma libertatem haberi arbitrantur. Libertas autem ista in eo consistit, non ut ex nudo tuo arbitrio vivas, nulliusque potestatem agnoscas, sed ut legibus Reip. & Magistratui tuo te subjicias, atque ea quidem conditione, ut tu quoque sis magistratus particeps.

§. 7. *Cui pares sunt vires*) Non arbitror, ex eo solo omittendum esse bel-

bellum, quod pares non superiores nostræ sint vires, quanquam major in his sit securitas. Nec profecto quisquam tam accurate suas & alterius vires adinvicem librare potest, ut certus esse de eventu queat. Et quid vero, si alter ille, qui inferior censetur, aliorum mox auxiliis formidabilem se exhibeat, & bello jam cœpto viribus nos longe superet?

Caput XXV.

§. 1.

Qui aliis opem ferunt) Nego hoc esse universale. Possunt enim pacta intervenisse inter auxiliatores & hostes tertii, quæ auxilium interdicunt.

§. 2. *Si id sine omnium*) Ecquando vero sine omnium aut plurium subditorum incommodo bellum geri poterit? Et quamvis id fieri posset, quis inter Rectores tam providus fuerit, qui id certo sibi polliceri queat.

§. 3. *Dubium non est*) Imo vero dubium maximum est. Pugnat enim hoc cum tacita conventione civium inter se & cum capite, qua scil. placuit ab initio, dum coiret societas civilis, ut una esset salus

omnium,

omnium, unum & commune periculum. Atque id eleganter illuſtrat Vaſquius per ſimilitudinem eorum, qui ut tutius iter haberent ſimul coacti, unum & commune periculum ſubire tacite inter ſe fidem obſtrinxerunt.

Hoc videtur agere) Imo vero ſimpliciter & indefinite loquitur Vaſquius, nec patiuntur limitationem iſtam rationes, quas adducit, generales. Exemplum enim adductum illuſtrat, non determinat.

Ut maximæ multitudinis) Debet enimvero unuſquiſque bonum publicum ſuo privato anteferre, non tamen cum certa & inevitabili morte. Ideo enim principaliter bonum publicum promovemus, ut & nobis bene ſit in eo. Atque ideo diſcrimen quidem & periculum pro patria ſimul cum reliquis civibus, idque etiam certatim, imo etiam ſoli quandoque appetere tenemur, non autem ſoli certam mortem oppetere, uti recte ait Vaſquius. Et videtur hoc pugnare tum cum ordine dilectionis, tum cum natura ſui conſervationem quærente, ut vitæ ſuæ prodigus certam quis ſubeat mortem, in eum ſcilicet finem, ut alius conſervetur. Fatetur etiam ipſe Grotius §. 7. ſi manifeſtum ſit peri-

periculum, non teneri quenquam in gratiam alterius id subire, sed posse suam vitam præferre.

Quare & in nostra) Non sequitur. Et ratio diversitatis est, quia Princeps aut superior imperium habet in subditorum bona, & hinc cogere potest subditum, ut bona sua ad conservationem universi applicet. Franzk. *lib.2. resol.7. num.28.29.* sed tale imperium non habet in vitam subditi innocentis, ut eum perdat.

§. 4. *Nunc illud addamus)* Additamentum hoc omne fœdus facile deserere docet. Poterit enim socius in auxilium vocatus omni tempore dicere, sibi nullam esse spem boni exitus. Nec vero boni tantum, sed etiam mali avertendi causa, & ob hanc principaliter societates bellicæ contrahuntur.

§. 8. *At non etiam)* Debemus hoc Grotio; verendum tamen est, ne parum feliciter res cedat. Non cessabit enim Busiris talis, aut Phalaris, sed subditos suos & ipsos illos, quos defensum venit alius, contra defensorem hunc suum in aciem educet. Illi vero ne hiscere quidem, sed parere vocanti tenentur. Atque sic fiet, ut inter

inter defensorem & defendendos acerrimum prælium committatur, maximo eorum, quibus prodesse debuit, incommodo.

Quoties enim actioni) Necesse est, ut ponantur termini habiles, hoc est, ut non physicum tantum ponatur impedimentum, quale hic in exemplis ponit Grotius, sed etiam morale, & quidem sub notione justi & injusti, honesti & turpis, utrum scilicet quod uni non licet, alteri pro eodem licere possit.

§. 10. *Imo & propter stipendium*) Hoc fere unice in hodierna quæritur militia, præsertim cum plerique, unde vivant, non habeant, ut jam nihil dicam, venalia quandoque prostitui officia militaria. Alia insuper est fraus præfectorum, furto haud procul, qui dicta in stipendium aut lustrationem die, conducta mancipia exhibent, numerantque pro milite familiam suam. Gramond. *histor. Gall. lib.3.* imo & defunctos quandoque, in suum commodum interpretantes illud Imperatoris, quod illi, si Diis placet, pro Rep. ceciderint, & in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur, *pr. Instit. de excusat. tut. vel curat.*

CAP.

Caput XXVI.

§. 3.

Abstinere omnino debent) Male ergo Feudista 2.F.28. in bello injusto defensivo obligatum esse vasallum domino opem ferre, in offensivo vero injusto bello liberum ei esse, utrum assistere velit, an minus. Id capitulum non convenire juri divino, agnoscit Jacobinus de S. Georgio *de feud.* §. *& promiserunt. num.*8. Conf. Andr. Gail. *lib.*1. *de pac. publ. cap.*4. *num.*10.11.12. Petr. Binsfeld. *de injur. & damn. dat. cap.*8. *conclus.*14.

In Christianos manum commodarent) Ubi tamen causa justa belli fuerit, confidenter assero, teneri subditum sub magistratu heterodoxo militare adversus orthodoxum, quia etiam in orthodoxis puniri debet, si quid peccatum fuerit in rebus publicis, & communem hominum societatem concernentibus. Hulsemann. *in breviar. cap.*20. *num.*19.


§. 4. *Eligere partem tutiorem*) Ego hac ratione non moveor, cum fieri possit, ut aliunde petendum sit fundamentum, propter quod judicio activo discedendum sit ab judicio contemplativo. Utique enim

enim hic obſervanda eſt regula vulgata: Tene certum, relinque incertum. Jam vero certum eſt, inquit Gerhard. *loc. de Magiſtr. num.* 399. quod ſubditi obedientiam debeant magiſtratui non præcipienti manifeſte impia & injuſta. Conf. Hülſemann. *d. l. num.* 14. Recte Bonacina *Theol. moral. tom.* 2. *diſp.* 2. *ſect.* 1. *punct. ult.* §. 2. *num.* 10. Militibus, inquit, qui ſunt ſubditi, Principe indicente bellum, ſatis eſſe, ſi ſciant, cauſam belli non injuſtam; in dubio enim obediendum eſſe ſuperiori præcipienti, & in ejus favorem præſumendum eſſe.

Nã cum utrumq; incertũ ſit) Non tam incertum eſt, ſed imo certum eſt, parendum eſſe principi non manifeſte injuſta præcipienti, quam incertum eſt dubitanti, bellum eſſe juſtum.

Ut ſatis ei conſtet) Non peccat carnifex, qui ignorat injuſtitiam ſententiæ, & morti adjudicatum occidit. Obſequitur enim ſuperiori, & ejus ſententiam in dubio diſcutere non tenetur. Gerhard. *d. l.*





In

HUGONIS GROTII
LIBRUM TERTIUM.
DE
JURE BELLI & PACIS.
CAPUT I.
§. 2.

AB ipso fine) Medium enim ut medium in se, per se & propter se, non expetitur agenti, sed quod ab ipso ita eligitur & æstimatur, id inde est, quod res, ad quam acquirendam utile est, tanquam finis appetatur.

Eripere ei naturaliter mihi jus est) Sed hoc jus forte nullibi poterit exerceri. Quia enim nemo non hominum in societate vivit, societas autem sine imperio aliquo consistere nequit, non ferendum est, ut violenta ereptione sibi ipsi quis jus dicat, quando potestas est adeundi judicem. Et hoc non civili tantum, sed naturali etiam jure obtinet.

Quibus ex causis dominium quoque sequitur) Vix est, ut hoc obtineat Grotius, nisi ei, cui ita res ablata est, bis terve antea denunciatum

tum fuerit, ut aut restituat rem, quam penes se habet, aut dominio rei suæ renunciet, tantumque temporis abhinc elapsum fuerit, quo neglexisse illum rem suam, & dominio se abdicasse probabiliter colligi potest. Nuda enim ablatio rei alienæ, ut maxime jure fiat, non transfert dominium, sed facit tantum, ut alter ille aut desiderio rei suæ rem, quam penes se habet, restituat, aut dominio rei suæ tandem tacite vel expresse renunciet.

§. 3. *Jus sæpe parti novum paritur*) De effectibus litis contestationis videri possunt Doctores passim, & quasi in compendio Andr. Vallens. *in paratitl. jur. Canon. tit. de lit. contest.* §. 2.

§. 4. *Ut alibi notavimus*) Notavimus & nos, Deum nunquam abuti dominio illo suo plenissimo, nec immerentem punire aut perdere hominem, sed hunc sibi omnis calamitatis causam esse.

§. 5. *Sed & quæstio incidere solet*) In genere de hac quæstione notetur, belli legibus nobis licere non solum munitiones hostium, portus, urbes, viros, naves, sed & fructus & hoc genus alia aut præripere, aut perdere, ut res opesq; eorum, quantum possunt, atterantur. Eodem modo & iisdem legibus nobis licebit præcavere, ne rebus necessariis aliunde illatis vires eorum adaugeantur. Intercipere igitur licebit, non arma tantum, sed annonam etiam, & quicquid demum advehitur, quod ad

hostium vires confirmandas facere possit. Vid. Anton. Matthæ. *de criminib. tit. de læs. majest. cap. 5. n.* 13. Sed num ita retinere liceat merces istas, ut nulla hinc vectoribus debeatur restitutio, difficilioris est inquisitionis, præsertim si vectores ex amicis nostris esse ponas. Caute hic & timide agit Grotius, nec nimius erit, qui cum eo faciet.

In tertio illo genere) Hic generaliter obstat illud, quod de ipsa hostili actione participet, qui subministrat ea, sine quibus bellum trahi non possit, & per quæ audacior fiat hostis. Utique hosti obsidione presso & ad extrema redacto, si quis res necessarias advehere conatus fuerit, non minus hostium numero habendus is erit, quam qui arma advexerit, saltem quod actum istum concernit. Et hinc puto vim isti inferri debere, si intercipi aliter non possit. Nec movet, quod neutri is parti addictus sit. Is enim neuter est, qui neutrum juvat. Et Ambrosio judice, si non potest alteri subveniri, nisi alter lædatur, commodius est, neutrum juvari, quam gravari alterum. Atque hinc prudenter Elisabetha Angliæ Regina Hanseaticis civitatibus conquerentibus naves suas a classe Anglica spoliatas, quibus tamen per pacta liceret amicis esse hostibus Angliæ, respondit, non hoc esse cum utrisque colere amicitiam, si alteros lædas, juves alteros, imo hoc esse auxiliari hostibus, & cum his adversum alios facere. Alber. Gen-

til

til. *de jur. bell. l. 2. c. 22.* Puto tamen adhuc distinguendum esse, num subministratio ista privato nomine ab negociatoribus mercaturam exercentibus fiat, an vero nomine publico & a principe utrisque amico. Illo casu excusatius delinquitur, nec tam hostilis animus, quam lucri cupiditas præsumitur, atque hinc etiam mitius cum eis agendum erit. Hoc vero non sine aliqua hostilitate geri res poterit.

§. 6. Jurisconsulti Romani bonum dolum) Boni doli exempla plurima collegit Oswald. Hillig. *in Donell. enucleat. l. 15. c.40. lit.* C. sed quæ omnia probari nequeunt. Add. Forster. *in tract. Justinian. l. 4. disp. 7. th. 2.* Nec alius fere dolus etiam adversus hostem probari potest, nisi qui fit per stratagemata.

Et alibi nihil interesse) Hoc non ita crude & generaliter accipiendum est, sed hoc vult JCtus *in l. 26. ff. de captiv. & postl.* nihil interesse scil. quod jus postliminii concernit, quomodo captivus reversus est, utrum dimissus, an vi vel fallacia potestatem hostium evaserit, dummodo illis non dederit fidem, nec singulariter cum eis convenerit. Multum enim hoc casu interesse ostendit exemplum Atilii Reguli *in l. 5. §. 3. ff. eod.*

An dolus in genere sit semper malorum) Dolus & fraus plerumque coincidunt, & ut plurimum in malam partem sumuntur. Late tamen acceptum vocabulum quamcunque

notat occultationem veri. Et hic Grotii labor est, ut latam hanc acceptionem tueatur.

§. 7. *Et occultare fas sit)* Non omnis veritatis dissimulatio dolum continet, & pro mendacio est habenda. Aliud enim est, non dicere veritatem, aliud mentiri, cum in mendacio dolus sit, qui non semper adest, ubi quis veritatem non dicit. Et huc facit, quod ait Cicero *l.* 1. *Offic. Quæ pertinent ad veritatem, negare interdum, justum. Referri enim debet ad justitiæ fundamenta: primum, ne cui noceatur, deinde, ut communi utilitati serviatur.* Simulatio igitur præcise sumpta indifferens est, & modo illicite, modo licite fit. Licita simulatio est solers consilium, quod salva Dei gloria & illæsa justitia adversus aliquem suscipitur & exercetur. Quo pertinet factum Davidis furorem simulantis, quandoquidem ille sic stultitiam forinsecus simulavit, ut intus cœlesti sapientia arderet, & Deum firma fiducia in angustiis suis invocaret. Höpffner. *comment in Psal.* 34. *porism.* 1.

Exemplum ad hanc rem insigne) Nec Jeremias nec Abrahamus falsum dixit, sed veri tantum aliquid tacuit. Erat enim Sara revera Abrahami soror ex patre, non ex matre. Vid. Sixt. Senens. *biblioth. sanct. l.* 5. *annotat.* 89. Selden. *de jur. nat. & gent. lib.* 5. *cap.* 2. Jeremias etiam revera id petierat a Rege, quod petiisse se proceribus respondit.

§. 8. *Citra hominum voluntatem nihil signi-*

gnificare) Faciunt huc verba Augustini *ex l. 2. de doctr. Christ. c. 24. Una figura literæ, inquit, quæ decussatim notatur, aliud apud Græcos, aliud apud Latinos valet, non natura, sed placito & consensione significandi: & ideo qui utramque linguam novit, si homini Græco velit aliquid significare scribendo, non in ea significatione ponit hanc literam, in qua eam ponit, cum homini scribit Latino. Et beta uno eodemque sono apud Græcos litera, apud Latinos oleris nomen est. Et cum dico, lege, in his duabus syllabis aliud Græcus, aliud Latinus intelligit.*

Speciem prætulit ituri longius) Neque in verbis, neque in facto Christi ullus est dolus aut falsitas. Non enim dicit absolute, se porro progressurum, sed præ se fert gestus, illi, pro quo habebatur, convenientes, quod scil. ire velit porro, nisi ab ipsis detineatur. Neutiquam id agebat, ut esse, qui erat, non agnosceretur, quod utique fuisset discipulos fallere, sed potius contrarium, nempe ut illi intelligerent, ipsissimum Christum esse, quicum loquerentur & agerent.

Quæ non fiunt) Ideo sc. quia vult conditionate; quæ enim Deus vult voluntate absoluta, ea semper fiunt, sed quæ conditionate vult, ubi deficit conditio, fieri ea nequeunt.

Quasique ita sentirent) Non ideo circumcidit Paulus Timotheum, ut se necessitatem circumcisionis statuere crederent Judæi (ubi enim Judæi conversi urgebant circumcisio-

nem, tanquam ad salutem necessariam, vehementer resistebat, & hinc neque Titum circumcidere voluit) sed partim, ut Judæi conversi, qui ritum circumcisionis difficulter omittebant, in fide continerentur, partim ut alios etiam Judæos Christo lucrifaceret, qui nondum conversi erant, & qui hominis incircumcisi conversationem aversabantur.

Neque malum quod inde sequebatur, erroris) Nullus inde sequebatur error, sed errori potius, quem de necessitate circumcisionis adhuc retinebant Judæi, remedium inde quærebatur. Potuit enim tunc temporis Paulus circumcisione libere uti, & mansit ea ad tempus ceremonia per se indifferens. Vid. Feuerborn. *fascicul. 5. disp. 5. num. 64.*

Ipsa autem fuga ex instituto nihil significat) Imo, quia ex finibus dignoscuntur actiones, hoc significat, ut ludificetur hostis, & pavoris aliquod signum arguat, quanquam non dissentiam a Grotio, talem simulationem fugæ licitam esse.

§. 9. Primum in sacris literis) Non arbitror exemplum mendacii in sacris literis probari. Sed Grotius vocabulum istud tam late sumit, ut etiam fabulas & fictos casus, qui tantum physice non veri sunt, liciti autem vel illiciti censentur ex occasione, fine & modo, quo proferuntur, comprehendat. Idem Grotius *in notis suis ad cap. 2. Joh. v. 4.* perperam asserit, ante Evangelium, menda-

cium

cium viris bonis salutare, culpæ non fuisse datum. Cum quo paria facit Paulus Laymannus *theol. moral. lib.* 4. *tr.* 3. *c.* 13. *n.* 9. ubi dicit, veritatem istam, quod mendacium nullo casu licitum sit, in Veteri Testamento nondum cognitam fuisse.

Veterum Christianorum pronunciata) Aliqua eorum refert Sixtus Senensis *biblioth. l.* 5. *annot.* 107.

§. 10. *Ex largiore aut strictiore mendacii acceptione*) Dubitare licet, num mendacii vocabulum tam late accipi possit. Est enim mendacium ex natura sua peccatum, & non potest esse nisi malum. Quod autem tale est, nullo casu bonum id aut licitum fieri potest. Neq; quod formaliter & intrinsece vitiosum est, ab externis, fine puta, temporis, loci aut personarum circumstantiis licitum evadere potest. Nam circumstantiæ extrinsecæ non possunt mutare intrinsecam rei naturam. Illicitus igitur actus est, cum aliquis utitur verbis ad significandum id, quod non habet in mente. Et per consequens non potest vocabulum, quod rem per se malam denotat, tam late capi, ut comprehendatur sub eo res licita. Conf. Paul. Laymann. *theol. moral. lib.* 4. *tr.* 3. *c.* 13. *n.* 8.

Non admitti Mendacium) Nec tamen licet æquivocatione eo fine uti, ut falsum & cuiquam noxium inde apprehendatur. Quanta vero absurda ex æquivocationibus,

 ut

ut & reservationibus mentalibus consequantur, docet Rivetus *in explicat. decalog.* nempe leges frustra ferri contra mendacium & perjurium; sic etiam diabolum patrem mendacii excusare se posse: Martyres omnes imprudenter egisse, qui his artibus, cum mortem evadere potuissent, non usi fuerint: Judices pro tribunalibus testimoniis fidere non posse: in contractibus sive publicis sive privatis nihil haberi certum,& quæ sunt alia. Exempla, quæ de Deo ipso in contrarium afferuntur, 1.non sunt de rebus fidei,2.non in statu confessionis, 3.solam suspensionem veritatis ad tempus probant, 4. verum sensum patefaciunt,antequam ulli mortalium ex suspensione damnum acciderit. Sanctorum exempla vel non quadrant,vel sunt humanæ infirmitates. Hülsemann. *in breviar. c. 12. n. 25.*

Lazarus amicus noster dormit) Non loquitur æquivoce, sed *κατ' ἐυφημισμὸν*. Hebræi enim mortem molliore somni vocabulo indicabant, hinc etiam est cœmiterium, id est dormitorium, ubi corpora resurrectionem expectantia quiescunt. Et quia discipuli istum sensum verborum illico non capiebant,a Christo mox clarius dicitur,Lazarum mortuum esse. Exemplum autem de templo restaurando, & de duodecim sedibus Apostolorum ea intentione a Christo prolatum est, ut desiderium discendi ac studium de non intellectis inquirendi & interrogandi accenderet.

deret. Unde plerumque vel ipse parabolas suas interpretatus est, vel talem initio aut fini addidit sententiam, quæ parabolæ sensum explicaret. Chemnit. *Harmon. Evang. lib. 3. cap. 61.*

Idem alibi per fabularum ambages) Uti ante ita etiam hic nimis abjecte loquitur de Salvatore Christo, & ei imputat quoddam mendacii veluti ἀποσκίασμα. Dicit enim in controversia de mendacio, num licitum aut illicitum sit, facere ad conciliationem sententiarum diffidentium, quod mendacium in largiori acceptione non sit semper in vitio positum, quia ipse Christus, inquit, per fabularum ambages populum alloquitur. Cæterum de parabolis Christi obiter hoc noto, usurpatas eas ex more Syrorum. Syris enim in usu fuit, ad omnem sermonem parabolas addere, ut per similitudinem teneretur a vulgo, quod simplici præcepto teneri non possit. Hieron. *in Matth. XVIII.* Clemens Alexand. *lib. 5. stromat.* hunc morem tribuit & Barbaris & Græcis. Et Seneca *epist. 59.* ait: *antiqui illi, qui simpliciter & rei demonstrandæ caussa eloquebantur, parabolis referti sunt.*

§. 11. Præter repugnantiam cum jure) Intricate hic docet Grotius & subtilitatibus multum involvit. Mendacii formale consistit in sermone dolose contexto & a mente proferentis discrepante. Jus si quod inter collo-

colloquentes eſt, videtur, conſiſtere in obligatione, qua colloquens ita verba ſua contexere debet, ut alter mentem & animi ſententiam inde percipere queat. Judicandi autem libertas quid denotet Grotio, non ſatis capio, & poteſt ille, quicum colloquium eſt, ex pravo affectu & diffidentia etiam perſpicua proferentis verba in contrarium plane ſenſum accipere, idque jure, ſi jus iſtud in judicandi libertate conſiſtit.

§. 12. *Ratio proxima eſt*) Imo hæc eſt, quia iſtiusmodi falſiloquium non provenit ex dolo.

§. 13. *Etiamſi tertius inde)* Si tamen negocium fuerit cum tertio, & ſermo habitus negocium iſtud concernat, non excuſandus erit, qui dolo quid fingit, ut tertius ille decipiatur.

Non id ſerio fieri) Ejus ſententiæ fuerunt poſt Origenem plures alii, quos refert Sixtus Senenſ. *biblioth. lib.* 6. *annot.* 274. Sed ab illis omnibus recte disſentit Auguſtinus *epiſt.* 8. *usque ad* 19. oſtendens, Petrum non ficte aut ſimulate, ſed vere ac juſte reprehenſum a Paulo. Nec aliud patiuntur verba Apoſtoli, quando dicit, Petrum claudicaſſe, ſimulaſſe ex metu aliorum, ſcandalum aliis præbuiſſe, damnabilem fuiſſe &c. quæ certe de eo dici non potuiſſent, ſi actio hæc colluſoria fuiſſet.

§. 14.

§. 14. *Tunc quoque mendacium stricte dictum*) Plane hoc non est mendacium, quia scilicet omni caret dolo. Nec mendacium illico est, quod admodum abusive ita dicitur a Poëtis, Oratoribus & Philosophis minus accuratis.

§. 15. *Quia infirmitatis nota est*) At si licitum quid est homini in relatione ad hominem, quidni id liceat Deo erga homines? Et si ea est natura mendacii, ut ex circumstantiis in genere licitorum poni possit, quid est, quod Deo id tribuere prohibeat? Vel hinc ergo apparet, eam esse mendacii naturam, ut ne quidem propter circumstantias laudari aut ab hominibus probari queat. *Nec ideo*, inquit Augustinus *in Enchirid. cap. 22. ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo. Possumus enim & furando alicui prodesse, si pauper cui palam datur, sentit commodum, & dives, cui clam tollitur, non sentit incommodum. Nec ideo tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum. Possumus & adulterando prodesse, si aliqua, nisi ad hoc ei consentiatur, appareat amando moritura, & si vixerit pœnitendo purganda, nec ideo peccatum negabitur tale adulterium. Sin autem merito nobis placet castitas, quid quæso offendit veritas, ut propter alienam utilitatem illa non violatur adulterando, & violatur ista mentiendo? Non ideo mendacium poterit aliquando lau-*

laudari, quia nonnunquam pro salute quorundam mentiamur.

§. 17. *Inter Christianos Chrysostomus*) At ille laudari tantum ait fraudes militares, non laudat mendacia. Non negaverim tamen, hostem Reip. tam gestu & signis, quam confictis sparsisq; literis aut vulgato falso rumore falli licite posse, quandoquidem ille commercium juris Gentium jam violavit, & per ordinariam juris viam in ordinem redigi non potest. Hülseman. *in breviar. c. 12. n. 24.*

Jabesitarum in obsidione mendacium) Non opus est, ut hic dolus aut mendacium fingatur, quia in legibus condictis se persistere indicabant Jabesitæ, adeoque se ad hostes egressuros promittunt, nisi postremo isto die suppetiæ advenerint, quam conditionem receperant. Interea autem suppetias promissas dissimularunt, ut hostes imparati reperirentur, quia scil. eas manifestare illis non tenebantur.

Propheta Elisæi) Non fuit id mendacium, sed prudens veritatis occultatio ad tempus sub aliqua dissimulatione; imo id dixit Propheta, quod res erat: non enim in ista via & civitate inveniri poterat Elisæus aut debebat; quia etsi in via ipsis & in civitate præsto erat, non tamen ita præsto erat, ut inveniri ab illis posset, cum eo tempore cæcitate percussi essent à Domino. Recte igitur dicit: *Non est hæc via, neque ista est civitas* (in qua eum inveni-

venietis, quem quæritis) *Sequimini me & ostendam* (illic, ubi Dominus eum inveniri & videri vult) *eum quem quæritis.* Neque iste sermo dolum continebat aut nocumentum, sed potius faciebat ad erudiendos eos de veri Dei virtute, & ut a malo erga Prophetam proposito desisterent.

Admittit interpretationes tacitas) Neque hoc quidem probandum, & dudum est, cum id genus apud Jesuitas invaluit, quorum propterea fides in universa Ecclesia merito periit. Vid. Ludov. Montalt. *epist. provinc.* 9. Paul. Layman. *Th. moral.* 4. *tr.* 3. *c.* 13. *n.* 6. *seq.*

§. 22. *Quod iniquum non esse)* Utique iniquum erit, si alias peccaturum incitem porro, ut regem suum occidat, cives spoliet, oppida dedat &c. Non enim oportet laudando augere malitiam. *l.* 1. §. 4. *ff. de serv. corrupt.* Et omnino dubitare licet, utrum satis conveniat juri naturali, quod transfuga recipiatur, quandoquidem id potius jubet lex divina moralis, quæ naturalem interpretatur, ut famulos, & ministros cujusque confirmemus, quo in fide & ministerio subsistant. Et huc scilicet non potest trahi exemplum Dei, hominum improborum opera utentis.

Caput II.

§. 1.

Simul cum dominiis rerũ introductum est) Alibi ostendi, dominium

nium cœpisse cum ipso genere humano, non tum demum, cum in gentes istud diffunderetur. Et hinc igitur, quod res cum onere transit, naturalem hanc habet rationem, quod res isto onere affecta atque ita qualificata sit.

Nec quod universitas debet) Nec igitur executio in bona singulorum civium, sed in bona tantum universitatis admittitur. Quod si talia bona non adsint, tum ab omnibus civibus per collectam indictam exigi potest, quod æri alieno solvendo sufficere queat. Carpzov. *p.* 2. *constit.* 6. *def.* 24. ubi *definit.* 26. ostendit, civibus etiam sigillatim obligatis, nisi obligatio expresse facta fuerit in solidum, unumquemque pro virili tantum teneri.

Pro alienis debitis etiam publicis) Ante Theodosii constitutionem propter debita publica conveniri poterat a fisco unus aliquis locupletior, & pro universis possessoribus vici aut pagi ille solvere tenebatur, favore sc. fisci, ut promptius publici vectigalis debitum consequeretur. *l.* 5. *ff. de censib.* Sed Honorius & Theodosius nullo modo voluerunt, ut pro publicis debitis alienis conveniretur alterius possessio, id est, prædium, *l.* 4. *C. de execut. & exact. lib.* 12.

§. 2. *Pro eo teneantur & obligata sint*) Inter prudentes ista sæpe agitatur quæstio, quatenus debita a principe contracta refundere & in

in se suscipere teneantur subditi. Videtur autem interesse, utrum voluptuarij fuerint sumptus & nimij (aliquos etenim tales ut Principi facere liceat, ipsa humana jubet conditio) an vero utiles & necessarij, propter quos debitum contractum fuit. Posteriore casu teneri subditos dubium non est. Petr. Heig. *part.* 1. *qu.* 19. *n.* 10. Priore casu ex rigore juris, & si Principis officium consideres, quod hactenus neglectum est, vix est ut adstringi queant subditi. Vid. prolixe Matth. Coler. *de process. execut. part.* 2. *cap.* 3. *n.* 326. *seq.* & eo casu odiosæ censentur collectæ. Regner. Sixtin. *de regal. lib.* 2. *c.* 14. *n.* 56. Quia tamen difficile est nonnunquam, utiles & voluptuarios sumptus discernere, cum tantas tutela provinciarum & regimen Politicum exigat impensas, ut privati vix capiant, & iniquum insuper est, Principem ad rationes rigide reddendas constringere, in dubio & ubi de Principis nimio luxu aperte non constat, laudabiliter facient subditi, si debita ejusmodi in se susceperint. Ubi vero manifeste is apparet, & Principis mores perspectos habuit creditor, sibi ille imputet, si nihil receperit.

§. 4. *Quod jus repressaliarum vocant*] Jus istud acerrime impugnat Ventura de Valentiis *in Parthen. litig. lib.* 2. *c.* 2. *n.* 30. *seq.* cujus tamen rationes tanti forte non sunt, ut discedere ab communi sententia cogant. Animadvertendum enim, non passim & promiscue

probari repressalias, sed sub certis conditionibus, nempe ut concedantur a principe, ut qui impetrat, civis noster sit, ut denegata ei sit justitia ab iis quibus adversarius subjectus est, nec reperiat aliquem superiorem, apud quem de injuria queri possit. Atque istæ conditiones si concurrant, non adversari repressalias naturali æquitati confidenter assero. Vid. Anton. Matthæus *de criminib. tit. de illicitis pign. num. 3.* Anton. Perez. *Cod. ut nullus ex vican. num. 6.* Petr. Binsfeld. *de injur. & damn. dat. cap. 8. qu. 4.* Luodv. a Pegvera *decis. 11.* Limnæ. *lib. 4. jur. publ. c. 8. n. 313. seq.* Didac. Covarruv. *in c. peccatum de R. J. in 6. p. 2. §. 9. n. 4.* Petr. Heig. *p. 1. q. 12.*

§. 5. *Plane contra jus judicatum sit*) Circa hanc partem nondum mihi omne sublatum est dubium, & arbitror ego, etiam inter exteros autoritatem rei judicatæ observari debere. Non enim propter autoritatem judicantis, effectus rei judicatæ nascitur; sed propter tacitam conventionem litigantium, qui in judicio quasi contraxerunt; & sibi igitur imputet extraneus, quod in judicium tale consenserit.

Quamdiu per judicium) Quærit Ludovicus a Pegvera *dict. decis. 11. in addit.* an quando justitia denegatur a judice inferiore, adeundus sit illius judicis superior, antequam procedi possit ad concessionem repressaliarum. Et respondet, id nullibi observari. Verum

rum quicquid ſit de obſervantia, rectius aſſeritur, omnino prius adiri debere ſuperiorem; jus enim repreſſaliarum vim quandam bellicam continet, quæ decerni non debet, niſi, qui ſummam tenet majeſtatem, emendare nolit, quod ab ſubditis ſuis in alios fuit perpetratum. Neque recurrendum eſt ad remedium extraordinarium aut ſubſidiarium, quale eſt jus repreſſaliarum, quamdiu haberi poteſt ordinarium judicium. Johan. Bapt. Coſta *de remed. ſubſid. c.* 17. *n.* 10.

Sed moribus paſſim receptum] Non ſine ratione naturali. Quia enim Reſpublica per damnum civis ſui affligitur, juſte illa efflagitat reſtitutionem, quam ſi impetrare nequit, & bellum decernet juſte & repreſſalias, potius tamen has, quam illud, in hunc ſcil. finem, ut excitetur & commoveatur altera Reſpubl. ex qua damnum datum eſt, ad illud reſarciendum.

§. 6. *Qui juris executionem per vim volunt impedire*] Obiter hic noto, eos qui judici vel apparitoribus ejus reſiſtunt, nec capi ſe patiuntur, ita demum occidi poſſe, ſi telo ſe defendant, aut eruptio eorum Reipubl. periculoſa futura ſit. Ant. Matth. *de crimin. tit. de ſicar. c.* 2. *n.* 10.

§. 7. *Jure gentium ſingulis pignorandi jus eſt*] Nego, hoc eſſe ex jure gentium. Cum n. imperium ipſa ſimul cœperit cum ſocietate, nemo privatus ſibi amplius jus dicere pote-

 rit,

rit, sine permissione ejus, qui imperium habet. Et imo, cum repressaliæ speciem belli gerant, atque ex iisdem fontibus oriantur, bellum autem ab iis tantum indici possit, qui summam tenent potestatem, neq; repressaliæ ab aliis decerni poterunt. Athenis quod licitum erat, non erat ex jure gentium, sed singulari lege Attica.

Dominium rerum captarum acquiritur] Hoc non videtur esse ex jure gentium, cum pignorationes ideo primum introductæ videantur, ut adigat pignoratus vel magistratum suum, vel illum, qui damnum alteri & hinc occasionem exercendi repressalias dedit, ut damnum istud resarciat, & res suas pignoratas & captas liberet. Quod si factum non fuerit, tum demum datur potestas damnum passo, ut res captas suas faciat.

Teneri ad resarcienda damna] Sed in foro civili maxime controversum est, qua actione tales conveniri queant. Nos, si nulla alia suppetit, implorationem officii judicis ipso naturali jure dari & institui posse putamus.

Caput III.

§. I.

E*Xhostium definitione*) Generali & usitata notione hostes dicuntur omnes illi, contra quos arma feruntur, cum tamen hostes vere proprieque sint illi, qui externi sunt, & pari atque nos jure & libertate utun-

utuntur. Ab his differunt defectores, qui cum imperio ac ditione nostra tenerentur, a nobis desciverunt; item prædones, h. e. piratæ & latrones; item adversarii, inter quos non bellum, sed civilis discordia exerceri dicitur. Vid Hottomann. *quæst. illustr.* 7.

§. 2. *Etiamsi forte æqualitatem quandam*] Nec latronum quidem societas sine justitia aliqua subsistere potest. Nam si in dividendis rebus præscripta justitiæ non servent, neque partitionem ex æquo faciant, videbis & ipsos inter se bellis ac prælis implicari, ait Chrysostomus *in cap. 4. ad Ephes.*

Idem captos a Germanis] Vid. quæ dixi *ad lib. 2. cap. 15. §. 5.*

§. 6. *Aut ab eo, qui deliquit, pœna deposcitur*] Sæpius dixi, non tam in pœnam suscipi hoc bellum, quam in vindictam. Neque facio hic cum Grotio, nullam hoc casu requiri naturali jure denunciationem, sed honeste tantum & laudabiliter interponi. Enimvero jubet natura, ut omnia prius tententur, quam sanguinolentus & dubius belli eventus subeatur; at denunciationis bellicæ finis hic est, ut secum deliberare queat hostis, num satisfacere pro injuria aut damno dato velit, an vero bellum expectare. Quandoquidem igitur fieri potest, ut facta denunciatione satisfacere malit hostis, non erit utique in bello vindicativo ea omittenda.

Neq; magis per natura jus] Neq; hoc concesserim Grotio, si aliqua metuenda fuerit a possessore oppositio. Jubet enim etiam hic natura ante omnia urgere ab adversario restitutionem, facta denunciatione, ni fecerit, quod tum armata manu res auferri debeat.

Et praceptum quod Deus Hebrais dedit] Præceptum id quomodo explicent Rabbini, legi potest apud Selden. *de jur. nat. & gent. lib.6. c.*13. Specialiter autem id Hebræis datum, neque ex Jure Gentium esse, frustra contendit Grotius, cum, uti dixi, naturalis ratio dictitet, hostem prius monere de satisfactione, quam bellum adversus eum instruatur.

§.7. *Aut conditionata est aut pura*] Etiam pura semper continet repetitionem rerum & satisfactionem. Hæc enim si præstita fuerit, ut maxime præcesserit pura belli denunciatio, frustra deinceps suscipietur bellum, & cum extrema injustitia. Distinguunt alias repetitionem ab ipsa belli indictione, quod illa præcedat, hæc sequatur. Vid. Marcell. Donat. *in Liv. lib.* 8. *p.* 18. Sed enim, perpetuo id ita observatum fuisse, dicere non licet, & in contrarium facit conditionata, quam hic ponit Grotius, denunciatio, quæ utrumque uno actu complectitur. Quod si omnino apud Romanos distincte semper isti actus expediti fuerint, id tamen jure gentium introductum fuisse inde non sequetur.

Quod

Quod ad proximum præsidium rite fieret] Consentimus quidem Grotio, non esse necessariam hoc casu denunciationem ulteriorem, sed negamus id sequi ex hoc argumento, quod uni militum facta indictio sufficiat, quandoquidem & hinc aliqua adhuc potest colligi necessitas. Ita omnino necessaria est nunciatio novi operis, necesse tamen non est, ut præcise fiat domino ædificanti, sed sufficit, si fiat in re præsenti cuicunque, qui præsens est, sive dominus is fuerit, sive mulier, puer, puella, operarius, faber, &c. *l.* 10. *&* 11. *ff. de op. nov. nunc.*

§. 8. *A more autem & institutis*] Vid. Brisson. *lib.*4. *de formul. p.*341. *seq.* Hodie vel per literas, quas manifesta dicere solent, id fieri consuevit, vel per Fecialem, de quo vid. Besold. *Thesaur. pract. voc. Herold.*

§. 11. *Ne quid clam aut dolo agerent*] Ambigo, an non potius faciendum sit cum Alberico Gentili. Utique enim denunciatio ad ipsum jus & opinionem justi pertinet. Atqui etiam hoc justum visum fuit, ne quid clam aut dolo agatur in hostem, eadem pene ratione, qua in jus vocaturus alterum ad album Prætoris ducebat, & ei actionem edebat. Et poterat aliunde constare, non privato ausu, sed voluntate utriusque populi aut populi capitum geri bellum. Quid enim, si in acie utrinque jam facta conspiciantur capita populi, numquid denunciatione opus erit ad id,

ut conftet, non privato aufu geri bellum? Imo vero neque Gentilis neque Grotii fententia fatis placet, fed arbitror ego, factam denunciationem ideo, ut ultimum de fatisfactione monerentur hoftes, quam fi non præftarent, bellum certiffime expectarent. Id enim femper egerunt tum Romani, tum gentes aliæ moratiores, ut bellandi caufas habere fe juftiffimas non modo crederent ipfi, fed exteris quoque omnibus, adeoq; ipfis etiam, fi fieri poffet, hoftibus perfuaderent.

Nam inde nati funt effectus peculiares] Non credam ego Grotio, effectus iftos haberi non potuiffe, nifi per & propter denunciationem. Denunciatio enim, uti fæpe dixi, alium refpicit finem, & ex alia inftituitur intentione.

§. 12. *Nam eget omnino*] Non eget, uti jam dixi, & alias fequeretur, quod fi populus aliquis ab alio populo repente obrueretur antequam indictio fieri poffet, quod tum, nullus horum effectuum locum haberet, quod falfum eft.

§. 13. *Commode fieri poffit*] Imo vero, quantum fufficit ad deliberationem & inde concipiendam refponfionem, cum vel fola hoftis promiffio bello abftinere jubeat. Et tantum temporis fpacium non de jure naturali tantum, fed gentium etiam requiritur.

CAP.

Caput IV.

§. I.

Qui bellum ex sua natura non sequuntur) Ego tales ex Servii verbis capere non possum, qui indicto tantum bello, non alii transcribi debeant. Quidni enim liceat in alio etiam bello res hostiles rapere, hostes occidere? &c.

§. 4. *Quis justus sit se tuendi*] In modo belli gerendi difficile est servare proportionem exactam. Cum enim ideo fere instituatur bellum offensivum, aut ut persequamur id, quod nobis abest: aut ut vindictam sumamus ab eo, qui injuriis nos affecit, consequens est & justitiæ naturali conveniens, ut finiamus bellum, & ab armis desistam⁹, quando vel id nobis acquisitum est, quod par fuerit illi quod nobis debetur, vel quando tantum damni datum fuit, quantum vindictæ modum non excedit. Quare, *si Galli*, inquit Franciscus a Victoria *de jur. bell. n. 56. irruentes in terram Hispanorum, jussu Regis sui pagum incendissent, non ideo fas erit Hispanis integrum regnum Galliæ occupare, sed solum quatenus justitia & æquitas permittit Gallorum illam injuriam vindicare, adductis etiam belli expensis*, &c. Sed periculosum tamen est hic subsistere, & nihil ultra moliri. Siquidem

ille, adversus quem bellum motum fuit, brevi post tempore insurget, bellumque sibi nulla justa causa illatum causabitur, maximisque copiis injurias vindicaturus præsto erit. Fiet hac ratione, ut bellum ex bello trahatur, & nunquam ad finem perducantur controversiæ publicæ. Magis igitur erit, ut continuetur bellum etiam post acceptam satisfactionem, donec hostis pacis expetat conditiones. Succedit enim in locum pristinarum causarum alia nova, quæ est causa periculi vitandi. Hostis namque nunquam præsumitur animum hostilem deponere, nisi id expresse declaraverit, & poterit is quandocunque vires recipere, easque denuo experiri.

§. 8. *Nam civiles societates*] Arbitratur Grotius, imperium, quod est in societate, non naturale ei esse, sed ex instituto & voluntate hominum. At sæpe ostendimus, non potuisse ullam conservari civitatem sine tali imperio. Quocirca etiam natura jubet, ut reverenter habeatur imperium in alieno territorio, neque adversus istud vi aliquid committatur.

Ubi autem judicia vigent] Hæc non videtur vera causa, quandoquidem fieri potest, ut vel ipsa Respublica media in territorio suo cognitionem renuat, vel etiam partes belligerantes ejus cognitioni se submittere nolint. Potior igitur causa est jus imperii, quod habet dominus pacati portus, & quod reverenter habere debent partes controvertentes.

§. 9.

§. 9. *Ad testandum morem communem gentium*] Istum morem satis inclementem dicit ipse Grotius *in not. ad hunc Psalmi locum*, & non nisi odio impiarum gentium excusandum. Sed hoc suo judicio impie sugillat justum Dei judicium, ac ipsius Spiritus S. sententiam, qua beati prædicantur, qui justum supplicium de impia Babylone sumpturi fuerant. Alias certum est, non excusari truculentam mulierum & infantum cædem posse, & pessime semper audivisse eos, qui talia commiserint, ut maxime impunitos eos relinquat exorbitans belli licentia.

§. 12. *Sed & acceptos in deditionem*] Semper id repetendum est, Grotio hic non propositum esse de justitia horum actuum pronunciare, sed tantum de permissione sive licentia & ejus impunitate. Alias enim rectius disputat Alciatus *in l. 239. ff. de V. S.* non licere hostem, postquam captus est, seque dedidit, occidere, sed tantum arma adhuc tenentem, neque se volentem dedere: in dedititium autem sævire nefas esse, neque id bonos Imperatores unquam permisisse.

§. 13. *Quorum in eo, quod accusatur, nulla est culpa*] Durum est, alienæ culpæ reos alios agi, sed num revera culpa talis in bello aliena sit, dubitare merito licet. Hostium corpus unum est, nec tam a Petro & Paulo aliquid

quid commissum esse dicimus, quam a parte universa. In bello igitur si miles unus peccet, nisi puniatur, si puniri possit, Dux & consequenter universus exercitus pro reo haberi potest ab hoste. Vid. Zevecot. *in Flor. lib. 3. cap. 4.*

Si quis præsidio decesserit] Ita apud Romanos etiam illi, qui stationis munus relinquebant, aut castigabantur, aut gradu dejiciebantur, *l. 3. §. 5. ff. de re milit.* Similiter, qui pugnare olim destiterat, ignominiæ causa vena illi secabatur, ut sanguinem, quem cum gloria fundere pro patria noluerat, cum ignominia amitteret. Muret. *lib. 3. var. cap. ult.*

§. 16. *Nam & fontes veneno inficere*] Sed est tamen insidiosa istiusmodi & infamata vincendi ratio sæpe adhuc usitata. Vid. Zevecot. *ad Flor. lib. 2. in fin.* Autor conclusionum *de jur. principat. n. 76.*

§. 18. *Nam hic, qui aliena utitur perfidia*] Non satis cohærent ista cum illis, quæ dixit Autor *in fin. c. 1. hujus libri.* Proposuit enim ibi, licere quidem hostem interficere, sed non eo modo, ut impellatur aut permoveatur subditus illius hostis ad eum interimendum, aliud autem esse, si opera sponte peccantis utatur. Licebit ergo opera proditoris interficere hostem. At hic negat, licitum esse aliena uti perfidia.

§. 19.

§. 19. *Ut intelligi potest ex ea parte*] Sunt tamen Hebræi, qui statuunt, cum captiva gentili concubitum unicum fuisse permissum, non tamen iterari eum potuisse sine nuptiis. Selden. *de jur. nat. lib.* 5. *cap.* 13. de quo tamen nullum omnino vestigium habetur in Scripturis.

Caput V.

§. 2.

O*Mnia desinunt esse sacra*) Res enim huic genti sacra, non est sacra etiam aliis. Quælibet gens Deos patrios non communes cum aliis habebat. Unde & dedicatio & consecratio loci sacri ad ejus tantummodo pupuli usum facta erat. Sicubi igitur populus eo amplius loco uti non poterat, ex tacita voluntate & voto dedicantis ille sacer esse desinebat. Harpr. *ad* §. 8. *Inst. de R.D.* Quo facit, quod cedere Deos urbe occupata crederent Gentiles, & sic igitur delubra sine numinibus, & nulla amplius veneratione digna manebant. Nostris moribus non minus in sacra, quam in profana victori cedit potestas, quod utraque in Christiana Republ. hodie maxime necessaria sit, & altera sine altera explicari vix queat.

Cum

Cum revera honoris causa] Nuda appellatio nominum propriorum non est illicita, cum in ipsa Scriptura habeantur nomina Astaroth, Baal, Teraphim, Molech, Dianæ, Miplezeth, &c. Sed honorifica nominatio est prohibita, ideoque volunt nonnulli inter Judæos, ut talis nominatio semper fiat cum contumelia seu probro. Vid. Dannhauer *disp. decalog*. 2. §. 10. Selden. *de jur. nat. l.* 2. *c.* 13.

Etsi multum id ad invidiam exaggerent Græci scriptores] Abstinuerunt tamen sæpe etiam ab alienis sacris victores, non religione quidem, sed intentione, sibi magis devinciendi subjectos. Et in hoc quidem Græci singulares affectabant laudes. Servire quidem, dicunt illi, & hostium castella, portus, urbes, villas, naves, fruges devastare, aliaque his similia, quibus illorum vires atterantur, nostræ confirmentur, leges ac jura belli permittunt; ea vero destruere, quæ nec propriis rebus emolumenti quicquam afferunt, nec hostibus detrimenti, ut sunt templa, porticus, statuæ, aliaque hujusmodi, rabiosi hominis est ac plane furentis. Polyb. *lib*. 5.

§. 3. *Lapides inde sublatos*] Fecisse id Christianos in lucis & sepulchris gentilium, testatur Aggenus Urbicus *de limit. agror.*

Quia id contra jus est] Etiam jure belli sepulchra diruere semper fuit propudiosum. Omnia sepulchra, monumentaque diruta esse in finibus suis, omnium nudatos manes,

nul-

nullius ossa terra tegi, conqueruntur Athenienses apud Livium *lib.* 31. *c.* 30.

CAPUT VI.

§. I.

Q*Uo more Græci quoque*) Armis, signis, vestibus etiam insignioribus ac pretiosioribus, queis hostes exuerant, ornabant tum domos privatas, tum loca publica inque his templa præcipue. Et quia spolia hoc modo Diis consecrabantur, etiam titulos adjiciebant, dedicantis nomen & quandoque victoriæ narrationem continentes. Vid. Desid. Gerald. *ad Tertull. apol. l.* 1. *digress.* 13.

Quo in loco illud cepi] Expositionem hanc rejicit Gerhardus *ad Genes. c.* 48. & alteram illam, quam Grotius hic reprehendit, sequitur. Utique enim eventus docuit, regionem Sichemiticam posteris Josephi in distributione terræ Canaan cessisse. Et improbavit quidem Jacobus Simeonis & Levi crudelitatem, sed agnovit tamen simul Dei benignitatem, quod vicinos Sichemitarum coërcuerit, ne in Jacobum insurgerent, & quod hoc ipso Simeoni & Levi pepercerit. Vindicavit igitur sibi istam terram, suis scil. armis, injuste licet, occupatam & nunc habitatoribus vacuam.

Quia arma illa non ex speciali mandato] Bellum apud Hebræos duplicis erat generis. Alte-

Alterum, quod ex mandato divino, & maxime adversus septem populos, terræ Sanctæ pristinos dominos, gerebatur; alterum dicebatur bellum ultroneum, quod scil. adversus finitimos ex decreto synedrii magni, interdum nulla alia ex causa, quam ut dilataretur imperium Israëliticum, suscipiebatur. Selden. *de jur. nat. & gent. l. 6. c.* 12.

§. 2. *Qui primi possessionem apprehenderunt*] Quanquam enim possessio non sit vacua, tamen quia hostes jure gentium, eo quod cum illis nulla sit juris communio, pro nullis habentur, etiam illorum res non alio numero habebuntur, quam illæ, quæ nullius in bonis sunt, & proinde occupanti cedunt.

§. 3. *Id est, præsidia hostium perducta fuerint*] Difficilis est hæc disputatio, & superioribus annis valde agitata. Nec enim ex jure Romanorum, ut gentium jus inde explicetur, peti debet decisio. Et imo diserte jus Romanorum gentium jus ita proponit, ut statim capientium facta censeantur, quæ ab hostibus capta sunt, mobilia. Quod autem statim fit, id omnem excludit temporis tractum, aut alium actum novum, sive ut Grotius loquitur, continuationem possessionis, usque dum in præsidia perducta res fuerit.

Eo-

Eodem enim modo] Argumentum hoc ideo non procedit, quia si quid bello captum est, in præda est, non postliminio redit, *l. 28. ff. de captiv.* Vid. Grot. *infr. cap. 9. n.* 14. Et quod de reditu intra fines imperii dicitur *in l. ult. ff. eod.* non de quavis re intelligendum id est, sed de illa, quæ ire redireque potest, ut est servus, equus aut equa freni patiens, quibus postliminium est, *l. 2. ff. eod.* Nec verum est, eandem esse rationem hominis & rei in hoc gentium jure, quia in homine animus consideratur, animus scil. revertendi & ab hostibus se subducendi, quem non deposuisse creditur, antequam intra præsidia hostium fuerit. Tum enim incipit desperari reditus. Nec tum tamen animus prorsus abjicitur. At talis animus se subducendi in rebus aliis non invenitur.

Ubi per horas viginti quatuor] Ita quidem apud Batavos obtinuit, cum Grotius hos tractatus scriberet. Sed postea Ordines Confœderatarum Provinciarum anno 1632. publico edicto ei, qui navem ab hostibus occupatam recuperat, ejusdem navis & bonorum, quæ in ea sunt, bessem indistincte addixerunt, nullo habito respectu temporis, quo navis in hostium potestate fuerit, dum tamen intra præsidia hostium perducta non fuit. Sim. a Grœnevvegen *de leg. abrog. ad l. 2. ff. de captiv.* Id obiter noto, abusive ab Grotio dici jus gentium, quod inter

populos duos, tres, quatuorve mutuis conventionibus receptum est.

§. 4. *Ab eo interim possideri*] Ita ut prior possessor dejectus inde censeatur. Quod quidem ita obtinet de jure civili. Verum si naturalis ratio attendatur, non videtur dejectus possessionem suam prorsus amisisse, nisi tota & integra provincia ita occupata sit ab hostibus, ut nulla ejus recuperandæ spes supersit. Tum enim fundi privati sequuntur territorium. Alias autem quod inter privatos de acquirenda vel amittenda possessione jus obtinet, non licet æque de bellicis integrorum exercituum insessionibus interpretari. Nec enim propterea, quod propter adventantem exercitum cesserim fundo meo, & in illum militibus jam refertum reverti nolim, possessionem me amisisse dici potest. Quid enim si exercitus ipsius Reipubl. fuerit, cujus ego sum civis, & ego tantum metu petulantiæ militaris inde decesserim? Quid si exercitus etiam hostilis animo non perpetuo subsistendi, nec possessionem occupandi, sed transeundi tantum, aut ad tempus commorandi, aut nocendi Reip. fundum meum ingressus fuerit? Utique non illico possessione mea me privatum existimo, quandoquidem nec fundi quidem mei causa exercitus advenit, sed Reipubl. ut bellum inferat, & territorium occupet. Quo occupato non nego, fundi mei

mei eandem esse conditionem & fortunam. Sed quia nec tum quidem, cum integra jam occupata est provincia, possessionem Princeps illico amisit, quamdiu scil. ille animum revertendi & hostes expellendi gerit, nec suspicatur, repelli se posse ab hostibus illic commorantibus, utique tum nec ego quidem me fundi mei possessionem amisisse dici possum, ut maxime ego intrare eundem verear. Et si expulsi deinceps atque ejecti fuerint hostes, quia possessio territorii ex parte Reipubl. nunquam interversa fuit, nec mihi quidem nova opus erit possessionis apprehensione. Et ut maxime longum temporis spacium intercessit, quo ego exclusus fui, erit tamen negocium istud ex actibus Reipubl. qui longiora tempora requirunt, æstimandum.

§. 5. *Nam quæ res apud hostes quidem sunt*] Sed quæ est ratio diversitatis, quod personas, quæ intra fines sunt hostiles, jure belli non aliter atque hostes habere liceat, bona aliorum in finibus hostilibus reperta pro talibus habere non liceat? Prius enim asseruit Grotius *supra cap. 4. num. 6.* nisi dixeris, a personis damnum metui, non a rebus. Sed hic regeri posset, etiam per bona animum addi hostibus, certe confirmari eorum instituta, & solum metum non sufficere, ut quis hostium in modum trucidetur.

§. 7. *Ea non posse vindicari ab his*] Illud tamen quæsitum est, num qui bello capta emit ab hostibus, condemnari queat, ut recepto precio res emptas restituat pristino domino? Affirmat Gothofredus *in l. 12. §. 7. ff. de captiv. & postlim.* Sed male, ni fallor, quod de hominibus constitutum est, ad res cæteras applicatur. Illis enim postliminium est, quo statum pristinum recuperant; at hæ in præda sunt, *l. 28. ff. eod.* quæ dominium pristinum extinguit, & ita fit capientis, aut ejus, qui causam a capiente habet, ut invitus eam distrahere non compellatur. Non igitur facere possum cum Sigismundo Finckelthaus, quando *observat. 56.* defendit, verum dominum res a militibus hostilibus per excursus ablatas, & tertio alicui venditas, absque precii refusione reposcere posse.

§. 8. *Valde enim hic variant*] Aliqui enim capientibus eas acquiri simpliciter & indistincte asserunt, ut Cujacius *l. 19. Obs. 17.* alii capientium quidem eas effici contendunt, debere tamen tradi Duci exercitus, ut is dividat inter milites juxta cujuslibet dignitatem & merita, ut Didacus Covarruv. *ad c. peccatum. de R. J. in 6. part. 2. §. 11, n. 6.* Franc. Duaren. *tit. de A. R. D. c. 3.* alii vero eas illius faciunt, cujus auspiciis bellum geritur, quod prolixe defendit Antonius Merenda *l. 2. controv. c. 22.* Alii, quos sequitur Dominicus

nicus Arumæus *Exercitat. Justin. n.* 14. distinguunt inter vulgaria, quæ fieri volunt militis occupantis, & preciosiora, quæ Principi populove, cujus auspiciis belligeratur, attribuunt. Hugo Donellus *l.* 4. *comm. c.* 21. non distinguit, ut cæteri, inter hostium res mobiles & immobiles, sed in genere de omnibus intelligit regulam *in* §. 17. *Inst. de R. D.* nempe capientium fieri omnia ea, quæ capiuntur ex hostibus. Discrimen tamen facit ex persona capientium, ita ut quæ privati capiunt ex hostibus, privata sint, & singulis acquirantur, quæ Imperator vero & Dux belli capit, publica fiant. Esse autem, ait, quædam, quæ nemo ex hostibus capere possit, nisi Princeps aut Resp. Talia esse duo: agrum hostilem & prædam; postquam scil. prædæ nomine id proprie venit, quod devictis hostibus desinit esse hostium. Sed hæc Donelli sententia ideo probari nequit, quod Ducis conditionem deteriorem facit, quam cujusque militis gregarii, & quod ita militibus privatis cederent omnia hostium impedimenta in medio conflictu a manipulo quodam occupata, quippe, quæ eo tempore, quo nondum fusi fugatiq; sunt hostes, præda dici nequeunt.

§. 12. *Aut in ministerio publico capiuntur*] Dubia redditur ista distinctio ex eo, quod nec bellum geri possit, nisi autoritate publica, nec privato ut hosti bona sua auferre

liceat, nisi ut liceret, effecerit autoritas publica. Quia igitur non tantum publica auctoritas actum talem in genere licitorum ponit, sed etiam hostis ipse publicus est, & quodcunq; nocumentum publico Reip. nomine ei infertur, non haberi potest actus talis pro mere privato & extra ministerium publicum. Nec est, quod regeras, non esse in ministerio publico, qui procul ab exercitu in liberis & injussis excursibus bona & res hostium capiunt. Non possunt enim isti excursus esse prorsus extra ministerium publicum. Licitum quippe est civi, hostem publicum ubique locorum persequi, occidere, bonis exuere, & modis omnibus divexare, vi consensus & mandati generalis ab Republ. dum hostem decernit, dati. Utrum autem id faciat per excursus injussos, dum tamen ne prohibiti sint, an vero justa acie & conflictu solenni, nihil interest. Utrobique Reip. inservit; utrobiq; ergo versatur in ministerio publico. Nec enim occideret, aut bona ejus diriperet juste, nisi id voluisset, & hostem illum pronunciasset Respubl. Singulis igitur adversus singulos non minus pugnare licet, bello semel indicto, quam integro exercitui acie instructa. Quandoquidem igitur nemo sibi primario militat, sed Reip. facile hinc patet, nullas res capi extra ministerium publicum. Tantum abest, ut hic facienda sit aliqua distinctio.

§. 14.

§. 14. *Quod quia directe pugnat*] Solenne est Grotio, ut probationes accersat ex moribus & consuetudinibus gentium. Sed fatetur ipse non unis vicibus, probe discernenda esse ea, quæ juris gentium sunt ante omnem ea de re legem civilem, ab illis, quæ lege civili constituta sunt. Nec vero si quid a pluribus gentibus eodem modo observatum fuit, continuo id juris gentium esse dicetur, cum etiam in legibus civilibus plures inter se convenire queant gentes. Et quæ in fine hujus paragraphi allegantur verba Dionysii Halicarnassensis, diserte ostendunt, ab lege publica esse morem ibi descriptum. Et quid vero si exempla allata intelligamus non de eo, quod quisque militum etiam in conflictu manu capit, sed de propriis Ducis propria manu aut per familiam suam acquisitis spoliis, aut de pecunia ex agrorum publicatione confecta, aut de ea spolii parte, quæ specialiter erat excepta, cum talis exceptio fieri potuerit per legem aliquam civilem. Nec enim sequitur: Duces prædam & spolia hostium inter milites dividebant: Ergo milites ea, quæ ab hostibus capiunt, non acquirunt, cum non ea donare intelligatur, quæ miles, cui donat, manu sua acquisivit & cepit, sed quæ ipse tanquam dux & magister belli habet. Vid. Gœdd. *ad l.* 3. §. 1. *num.* 12. 13. *ff. de V. S.*

§. 21. *Ex his, quæ diximus, apparet*] Pleraque eorum, quæ dicta sunt, id fere ostendunt, prædam, quæ fuso fugatoque exercitu hostili occupatur, ad populum victorem pertinuisse. Et recte, cum occupata ea sit non a singulis, sed ab integro exercitu, qui de summa rei decertavit. Nec proinde decet, ut sine permissione Ducis aut Imperatoris, ea promiscue ab quibusvis invadentibus diripiatur. Non tamen exinde inferri potest, etiam ea acquiri Reip. aut populo, non vero capientibus, quæ a singulis in ipso conflictu capiuntur. Nec enim populus in uno aliquo milite ita repræsentatur, uti repræsentatur per integrum exercitum. Utique semper quidem acquiruntur capientibus ab hoste capta, sed singulis, quæ auferuntur singulis, integro autem populo, quæ ab exercitu occupantur. Add. Gerhard. *dec.* 4. *qu.* 5. Non tamen diffiteor, aliquando id aliter observatum fuisse, per legem scil. civilem, quæ a populo eam in rem lata fuit.

Quo forte referri potest] Non potest huc referri. Agit enim id jusjurandum de furtis militaribus non faciendis. De præda mentio ibi omnino nulla.

Quod vel unum satis esse debuit] Non est satis, si, ut dixi, distinguas inter prædam, quæ a singulis durante certamine eripitur hosti, & quæ post certamen, victo jam & peni-

nitus fugato hoste, cum Græcis inter σκῦλα & λάφυρα, de quibus Grotius *inf.* §. 24.

§. 26. *Potest lege sua prohibere ne id fiat*] h. e. ne capiantur. Si tamen nihilominus contra prohibitionem capta fuerint, adhuc capientium fiunt, non obstante prohibitione, quæ hoc tantum operatur, ut a contumace satisfactio peti queat.

§. 27. *Ut in aliis bellis locum non habeat*] Quidni? dum tamen illa fuerint inter populos utrinque majestate pollentes. Nec enim compensatio obstat, quo minus vi belli res occupata acquiratur. Et ipsum illud, quod vi belli acquiritur, in compensationem computari debet, si ratio naturalis attendatur.

Caput VII.

§. 1.

Contra naturam esse hanc servitutem) quia scil. repugnat conditioni, quam homo a natura habet, quatenus omnes æquales producuntur. Deinde si attendatur humanæ naturæ corruptio, secundum naturam magis, quam contra eam servitus esse dicetur. Vid. Leonh. Less. *de just. & jur. l.* 2. *c.* 4. *n.* 56.

Justitiæ naturali non repugnat] quia scil. jus naturale nihil decernit, nec jubet. Quod

si omnino inter monita naturæ recensere velis, ut persistant homines in æqualitate, in qua primitus sunt creati, cogites velim, naturæ sive præcepta sive monita ad tres ordines redigi posse, quorum inferior semper cedere debet superiori. Primus ordo ea complectitur, quæ Deum respiciunt; Secundus quæ generis humani conservationē tangunt; Tertius quæ ad singulorum hominum utilitatem pertinent. Anton. Merend. *controv. jur, lib. 2. c. 2. n.* 14. Jam certum est, sub tertio demum ordine esse monitum naturæ, si quod est, de libertate primæva conservanda. In secundo autem ordine est monitum naturæ de imperio & obedientia, quandoquidem impossibile est, ut sine imperante & parente humanum genus subsistere queat. Aristot. *l. 1. pol. c. 2. seqq.* Ista autem paritio num spontanea sit, an coacta, hactenus, nihil interest. Et ergo magis erit, ut ex tertio genere libertas hominis infringatur, quam ut *ἀταξία* contra secundum genus introducatur.

Sed par omnium sors est] Quia scil. membra sunt suæ Reip. Quod ergo de toto decernitur, id in qualibet ejus parte exequi licet.

§. 3. *Nisi quat. lex civilis*] Lex civilis nihil novi constituit, sed ad naturalem rationem impunitatem consuetudine introductam temperat. Nec enim quod apud plerasque gentes usurpatum est, id illico juris gentium

esse

esse dicendum erit, nisi juris vocabulo id intelligas, quod impune est; Sed probe tamen discernendum est id, quod impune in servum fit ex tali gentium jure, ab eo, quod naturalis ratio fieri sinit. Ultimum hoc verum est fundamentum juris gentium; atque id, si lex civilis explicat, & morem errore quodam receptum abrogat, rem ad pristinum juris gentium statum reducit, nec novi quid constituit. *In mancipio*, ait Seneca 1. *de Clem.* 18. *cogitandum, non quantum illud impune pati possit, sed quantum tibi permittat æqui boniq; natura, quæ parcere etiam captivis & precio paratis jubet.* Non igitur satis circumspecte & pie loquuntur Pontificij apud Azorium & Filliuccium, quando contendunt, non teneri cuiquam dominum propter servum occisum, nisi forte ad preces fundendas pro anima ejus, si servus fuerit Christianus; multo minus teneri propter membrum ruptum aut mutilatum, quia sc. ipse sibi hoc damnum infert, quod ex mutilatione & hinc orto defectu operarum sequitur. Rectius asseritur, priori casu teneri dominum Reip. & Ecclesiæ, quarum utraque vindicare istud delictum potest & debet; altero vero propter factam mutilationem juste privari dominum servo isto suo, vid. *Exod. XXI*, 26. 27.

§. 4. *Sed media persona*] Actio enim semel alicui quæsita ei inseparabiliter cohæret, & est affixa ossibus ejus, sicut character bapti-

baptiſmatis & aliorum Sacramentorum, uti ex pontificiis erroribus arctiſſimam iſtam adhæſionem explanat poſt gloſſam Jaſon *in* §. 1. *n*. 2. *Inſt. de act.*

§. 5. *Si jus hoc gentium ſpectes*] Niſi hic iterum tale jus intelligas, quod impunitatem tantum concedit, quale propoſuit autor ſupra *cap*. 4. confidenter aſſero, naturalem rationem jubere, ut captis poſt moram parcatur, & ab eorum cæde abſtineatur.

Ita ut nulla ſufficiens præſumptio] Non ſatis ſtringit hæc ratio, quia non eſt perpetuum, quod in contuberniis ſervorum non poſſit eſſe certa demonſtratio patris. Potior ratio quærenda eſt in vulgato axiomate, quod ex re mea naſcitur, id meum eſt.

Quia in ſervitutem redigi non poterant] Poterant quidem, ſed & incivile fuit eos in ſervitutem redigere, qui ejusdem gentis atq; inter ſe quaſi conſanguinei eſſent, & difficile erat retinere tales in ſervitute, qui eodem limine continerentur, quibusque adeo nullum poſtliminium eſſe poſſet, & periculoſum porro ſervire nobis eos, quibus quotidie præſto eſſe poſſent parentes, fratres, familiares & amici, & tutiſſimum denique protinus occidi, qui tranquillitatis publicæ everſores crederentur.

§. 6. *Quod ſi ad ſuos fugiant bello manente*] intereſt, utrum duret adhuc bellum eo tempore, quo captus aufugit, an vero per-

com-

compositionem pacis desierit. Priore enim casu excusatius peccat fugiens, quam posteriore, quod per tractum & continuationem belli fieri possit, ut armis recuperetur captus, & toto isto tempore penes captivum præsumatur animus revertendi ad suos; atque hinc dominium victoris hactenus revocabile videatur.

Sed non ideo sequitur] Hoc sequitur, vinculum aliquod intercedere inter dominum & servum, civile id quidem, tale tamen quod extra leges positivas domino jus daret vindicandi servum etiam ad suos reversum. Sed est tamen nihilominus etiam in servo vinculum aliquod religionis, istam habens originem, quod servitutem debeamus illi, cui vitam debemus, si, qui vitam nobis donavit, servitutem exigat. Atque hoc locum invenire puto etiam eo casu, quando injusto bello quis captus fuerit. Etsi enim injuste talis occidatur, & hinc etiam injuste servus fiat; quia tamen de facto occidi potuit, sequitur, in compensationem vitæ sibi donatæ non injuste servire servitutem, quam victor maluit. Potest enim juste quis dare, quod alter injuste accipit, nec poterit tamen ille ob hujus injustitiam juste denegare, quod debet. Frustra autem comparationem instituit Ferdinandus Vasquius *lib. 1. controv. c. 9. n. 21.* inter servos, & feras captas, quod bello capti, quamprimum ex manibus capientis

entis evaserint, sui juris fiant, nec mortaliter aut venialiter peccent, non magis quam fera, quæ capta cum esset, aufugit, evasit, evolavit. Multa enim & magna hic est differentia inter hominem ratione & potestate deliberandi pollentem, & feram tali potestate destitutam. Nec confundendæ sunt quæstiones, utrum captus aufugiens sui juris fiat? quæ in foro externo per leges affirmative deciditur, & utrum salva conscientia aufugere possit? quæ ad forum internum spectat, neque exemplo ferarum decidi potest.

Quæ non ex æquitate naturali] Subest nihilominus naturalis æquitas hæc, quod in comparatione melius sit servum facere, quam occidere, si quidem alterutrum eligendum fuerit.

Plerumq; & injuria sit] Si ex parte capientis injustum est, bello captum in servitutem redigere, non propterea in capto & serviente deficit vinculum religionis, quo capienti obligatur.

Si res suas subducat, aut laboris sui mercedem] Utroque casu furtum committi arbitror. Priori ideo, quia captus rerum suarum bello simul captarum dominium amisit. Posteriori autem quia talis contrectatio fit invito domino, & compensatio, quæ ei excusandæ prætenditur, male ipsorum servientium judicio relinquitur.

Quod vero prohibent Canones] Videmus ergo

ergo & Canones & Apostolorum monita vinculum aliquod religionis in servis agnovisse. Nec necesse est, Grotio talem limitationem concedere, quæ ejus opinioni utcunque inserviat, quandoquidem, quæ indistincte proferuntur, cur limitatum habere debeant sensum, causa nulla subest. Quod autem profitetur Grotius, se in hoc paragrapho de iis, qui bello injusto capti sunt, agere, nihil facit pro ejus sententia, quandoquidem ita nemo captorum bello juste se captum profitebitur. Unusquisque enim penes suam partem justitiam causæ consistere causabitur, unusquisque hostem injuste bellum gerere pronunciabit.

§. 7. *Jus illud externum exequenti*] Si jus istud intra terminos æquitatis naturalis exerceatur, imo si etiam eos excesserit, non dissentio ab Grotio. At si vitam servi impetat Dominus, nihil est, quod prohibere queat servo defensionem naturalem.

§. 8. *Proclamandi in libertatem*] Ita etiam servi, qui in Hispania empti cum dominis suis in terras Batavicas veniunt, possunt illic in libertatem proclamare, & liberi fieri. Arnold. Vinn. *ad* §. 2. *Inst. de jur. person.*

CAPUT VIII.

§. 1.

Vel etiam ut in populo) Videtur hic Grotius innuere majestatẽ realem

lem, quam populo tribuunt nonnulli in omnibus Rerumpublicarum formis, etiam in ſtatu monarchico. Sed enim diſtinctio iſta inter majeſtatem realem & perſonalẽ ſemper viſa fuit ſuſpecta; præſertim poſtquam ejus propugnatores majeſtatem perſonalem reali ita ſubjicere non dubitarunt, ut ab ea tota dependeat, ei obnoxia ſit, & veluti Luna a Sole ſplendorem omnem mutuetur. Id vero ſi conceſſum fuerit, cuivis populo integrum erit, Regem ſuum condemnare, & ſupplicio capitis afficere, nec dum reprehendi poterit Regicidium a Britannis commiſſum. Cæterum faciamus captum fuiſſe Regem, qui regnum habet in patrimonio, num propterea ipſum quoque regnum occupatum credamus? Ita quidem videri poſſet, quod, ut antecedente capite dictum eſt, res captorum, etiam incorporales dominium ſequantur. Sed alia tamen hic videtur eſſe ratio. Subditi enim non perinde habentur, atque aliæ res, quæ in dominio noſtro ſunt. Deinde non in eum tantum finem educuntur milites, ut Regem ſuum defendant, ſed etiam ut totam & integram provinciam, ſacra & profana, & quilibet proprium ſuum patrimonium pro virili tueatur. Et ſequeretur alias, Rege in ipſo conflictu capto, deſiſtendum eſſe a pugna, & omittendam victoriam jam pene partam.

§. 2. *Civitas eſſe deſinat*] Civitatis vocabulum

bulum hic ſumit Autor pro tali ſocietate hominum, quæ ipſa per ſe ſummo gaudet imperio, & rectam Reipublicæ formam conſtituit.

§. 4. *Nam qui dominus eſt perſonarum*] Dicam infr. *ad cap. ſeq.* §. 6.

Caput IX.

§. 2.

Sed non earundem partium) Ratio enim naturalis jubet, ut tales amici neutri parti magis faveant, quam alteri. Quemadmodum igitur, qui ab alterutra parte in eorum terras veniunt, non fiunt alterius partis ſervi, ita nec qui ſervi jam facti ſunt, liberi iterum fieri debent in præjudicium capientium.

§. 4. *Sed hæc ratio Romanorum propria*] Neque ſatis adæquata iſta eſt ratio. Sequeretur enim, nec illis quidem, qui non virtute bellica ſuperati, ſed fato ſuo apud hoſtes deprehenſi fuerunt, in pace poſtliminium eſſe concedendum.

§. 6. *Ergo dominium quod habuerat*] Putat Grotius, captivi etiam eas res, quæ apud populum neutri parti addictum inveniuntur, capienti jure belli acquiri; quod non videtur. Quia enim acquiſitio hæc in capione & facto acquirentis conſiſtit, ſequitur, ea non acquiri, quæ per capionem non adpre-

henduntur. Et hinc tantum dici poterit acquisitum, quantum fuerit captum. Neque admitto, quod dixit Grotius *in fin. cap. anteced.* dominum personarum etiam dominum esse rerum & juris omnis, quod personis competit. Id enim verum existit tantum in iis, quæ personæ inseparabiliter cohærent, quales non sunt res alibi existentes, & non una captæ. Nec magis verum est, si rationem naturalem extra jus civile attendas, possidere non posse, qui ab alio possidetur, nec in potestate habere posse, qui non est suæ potestatis. Quoad prius enim, ipsum jus civile admittit, captivum per servum suum possidere & usucapere posse, *l.12.§.2.l.29. ff. de captiv. l. 15. ff. de usucap. l. 54. in f. ff. de A.R.D.* Quidni ergo etiam per alios possidere liceat captivo, quod ipse non potest. Quoad posterius, itidem ipsum jus civile filiofamilias & dominium & possessionem peculii castrensis & quasi castrensis largitur. Non igitur absurdum est, captivum res suas nondum captas adhuc salvas retinere, aut si principiis Grotij insistendum est, dicendum erit, postliminio reverso recuperari omnia, etiam ea, quæ apud hostem adhuc extant, cum tamen & res separatim, & personæ separatim capi possint. Non tamen diffiteor, captæ personæ imperari posse a capiente, ut res suas alibi existentes adferri procuret; & sic demum suas faciet victor.

An

An & hac recuperabuntur] Ex dictis facile responderi potest, non recuperari, si capiens per capionem factus fuerit dominus. Recte tamen excipit Grotius res, quæ postliminio redire possunt. Istæ enim si redeunt, utique recuperantur, quandoquidem tertius possessor non aliter rem possidere aut habere potest, quam ejus autor. Sed autor aut capiens ita eam tenuit, ut si postliminio ad pristinum dominum redierit, eam amitteret.

§. 7. *Jura redeunt*] Obiter noto, ea quæ facti causam continent, non recipi, inter quæ referunt JCti possessionem. Rationem reddunt, quia in postliminio est quædam fictio, quæ tantum locum habet in iis, quæ sunt juris, non vero in iis, quæ sunt facti, *l.* 19. *ff. ex quibus causf. maj. l.* 23. §. 1. *ff. de acq. vel amitt. poss.* Ant. Perez. *C. de postlim. n.* 6. Sed attentius rem consideranti videri poterit, possessionem rerum suarum captivo non omnino interverti. Id quidem verum est, possessione, ut facti est, h. e. quoad exercitium & usum, quatenus quis incubare potest rei suæ, captivum esse exclusum, & hoc est, quod ait JCtus, captivos possessionem corporaliter amittere, *d. l.* 23. Quia tamen non meri facti est possessio, sed plurimum ex jure mutuatur, & inprimis animo retineri potest, animo autem tali captivus non destituitur, non video, quid impedire possit

captivum, quo minus animo possessionem retineat.

§. 8. *Ad hos, qui hostibus deduntur*] Videtur hoc esse ex jure civili. Quod enim hosti dedimus sive cum sive sine pactione, id secundum naturalem rationem plane abdicamus, & in hostium potestatem transferimus. At qui voluntate nostra a nobis abit, per reversionem suam non magis fieri noster poterit, quam servus a nobis alienatus, si se domino subduxerit.

§. 9. *Non esse Thebanis postliminio restitutum*] Dissentit Hottomannus *quæst. illustr. 5.* Sed verior est sententia Grotii, cum in victoris manu & voluntate tum fuerint omnia.

Quo dissolubilia erant conjugia] Dirimebatur jure civili matrimonium inter alia etiam captivitate, *l.* 1. *ff. de divort.* ita ut post reditum captivi novo consensu opus esset ad redintegrandum matrimonium, *l.* 14. *in f. ff. de capt.* nec tamen mulier interim temere nubere poterat, *l. 6. ff. de divort.* Sed rectius statuitur, captivitatem non esse modum solvendi matrimonii, nisi præcesserit eam malitiosa desertio. Gerhard. *Loc. de matrimon. num.* 629.

§. 10. *Bona ejus futura fuissent occupantium*] Dubito, num id justum sit, seposita licet lege civili; nec minus dubito de ratione, num qui apud hostes sunt, inter cives su-

os recte pro nullis habeantur. Id ſane promeriti non ſunt, qui pro patria hoſti ſe opponunt. Et profecto iniquum erit, bonis ſuis carere reverſos, eaque ab aliis ſine culpa ſua occupata videre. Quibus hoc caſu ſatius eſſet apud hoſtes permanere, & adverſus concives ſuos arma vertere, quam de reditu in talem miſeriam cogitare.

§. 11. *Etiam ſæpe alienati*] Quærenda hic eſſet ratio differentiæ, quare res mobiles captæ & ab hoſtibus alienatæ, etiamſi in præſidia noſtra reductæ fuerint, vindicari a veteri domino nequeant, ſervi autem & ancillæ poſſint. Utique enim ſi ſervi eodem modo ſunt in commercio, uti res aliæ, ut ſcil. alienari, vendi, pignori dari, commutari &c. queant, quid obſtat, quo minus & illi per capientis alienationem eodem modo ex dominio noſtro exeant. Ego ſane id totum puto eſſe ex jure Romanorum, quod ut maxime ab aliis etiam gentibus receptum fuit, non deſinit tamen propterea juris eſſe poſitivi. Et ratio dari poteſt ea, quod reliquæ res mobiles, non ita ſe, uti ſervi, dominio noſtro ſubducere queant. Ut igitur difficilior horum eſſet amiſſio, jus poſtliminii locum habere voluerunt Romani, & poſt eos etiam aliæ gentes, etiam eo caſu, quo vere capti fuerunt, cum alias difficilis eſſet probationis ſubductio, & nunquam non captos ſe prætendere poſſint ſervi.

Quod ad res omnes male a nonnullis trahitur] Scil. etiam reliquas res virtute militum nostrorum recuperatas a nobis recipi, neque dominium nostrum in iis extinctum esse, quod refutavimus supra *cap. 6. §. 7.*

§. 13. *Non admissis adversus dominos præscriptionibus*] Judicent hic juris Interpretes, num juri postliminii præscribi queat, quæ quidem quæstio tum inprimis suum habebit usum, quando ager ab hostibus occupatus Titio fuit venditus, & toto eo tempore, quo hostes rerum potiti sunt, possessus. Difficilem reddit hanc quæstionem ex una parte, quod tempore belli non currat præscriptio; ex altera, quod ager ab hostibus legitimo titulo, h. e. belli jure fuerit acquisitus, & hinc jure dominij alienatus. Æquior tamen mihi videtur sententia eorum, qui nullam præscriptionem admittunt, cum non aliud jus habere possit Titius, quam quod habuerunt ejus autores. At isti habuerunt dominium tale, quod recidere potuit in pristinam causam.

§. 16. *Quæ intra præsidia perducta nondum sunt*] Dixi hac de re supra *cap. 6. §. 3.*

Impensurus fuerit] Istud vero ad forum internum & conscientiæ dictamen spectat. In foro externo enim etiam bonæ fidei possessor rem a latronibus ablatam domino vin-

vindicanti, non recuperato pretio restituere tenetur. Franzk. *lib.* 2. *resolut.* 9.

§. 18. *Quæ a latronibus & piratis contemni solet*] Imo vero latronibus denegantur magis ejusmodi pactiones, quam illi denegant. Plerumque enim indigni judicantur, quibus bonæ conditiones conferantur.

Caput X.

§. 1.

Q*Vod in judiciis externis viget*) Debuisset quidem in judiciis corrigi omne id, quod naturali æquitati & pudori est adversum. At sæpe istud non licet. Debere enim interdum principem connivere & permittere ea, quæ sine magno malo emendari nequeunt, ipsa quodammodo dictitat ratio naturalis. Quæ enim puniri nequeunt ab hominibus sine periculo majoris mali, illa, ut puniantur, natura non tantum non exigit, sed & suadet, ut durante isto periculo maneant impunita. Vid. Lud. Molina *tom.* 3. *tr.* 5. *disp.* 46. *num.* 26. Tabor *de alt. tant. part.* 3. *art.* 4. *num.* 11. Sed hinc tamen, quod permittitur, non ponitur in genere licitorum, sed naturali honestati & pudori dijudicandum relinquitur.

§. 2. *Alibi injuriam appellant*] ratione scil. juris naturalis, quo liberi omnes sunt.

Franc. Zoannettus *in interpret. trium verb. num.* 30.

§. 3. *Sive interficiendo*] Hoc casu damnum resarciri potest, si homicida solvat impensas factas in Medicos, & alimenta det iis, quos alere ex officio occisus solebat, uti explicat Grotius supra *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 13.

Idipsum resarciat] Faciunt huc verba Augustini, quæ habentur in jure Canonico *c. si res aliena.* 14. *q.* 6.

Natura ductu] Posset negari, Ninivitarum Regem solo naturæ ductu tale quid imperasse, quippe qui tum fuit in statu conversionis. Sed negandum tamen non est, etiam a Natura imperari restitutionem ejus, quod alteri cum injuria ablatum est.

§. 4. *Si quid tale jusserunt*] imo etiam eo casu, quando insolitum istud in specie non jusserunt, sed ansam tantum dederunt, injustum bellum decernendo, aut justum injuste gerendo. Qui enim rei illicitæ operam dat, causa est eorum omnium, quæ vel directe vel indirecte exinde sequuntur.

§. 5. *Quam nonnulli afferunt de his*] freti scil. assertis juris civilis, quæ habentur in *l.* 167. §. 1. *& l.* 169. *ff. de R. J.* Sed excipiuntur

tamen

tamen eodem jure ea, quæ habent atrocitatem criminis, *l.* 157. *ff. de R. J.* Et videri potest in hanc rem elegans textus in *l.* 20. *ff. de O. & A.*

Sed nemo suum jactare] Inter bellantes etiam neutra pars intendit ab initio perditionem rerum suarum, sed potius acquisitionem aliorum, ut hinc de donatione præsumptiva facile elidatur argumentum.

§. *6. Sed & qui damnum ipse non dedit*] Optime in hanc rem Chrysostomus: *Si alio rapiente, rapta acciperes, deinde qui sua amisit, & vim passus est, ea a te reposceret: num satis tibi esset, ad excusationem, te ab eo nihil rapuisse? Minime. Quidnam diceres in judicium vocatus? dic, quæso. Num? quod alius diripuerit. Verum tu possides: ille rapuit, tu frueris. homil. 16. in 1. ad Corinth.*

Consumserit aut alienaverit] scil. bona fide, nesciens rem raptam esse, aut bello injusto captam.

Caput XI.

§. 2.

E*Tiamsi a justitia stricte dicta non abeat*) Imo abit hoc etiam a justitia. Rerum enim nostrarum defendendarum causa, earum furem, raptorem vel invasorem non aliter occidere licet, quam si ob eas res defendendas in discrimen vi-

tæ vel periculum corporis nostri incidimus. Valent. Volz. *comm. ad L. Cornel. de sicar. c. 7. num.* 100. add. quæ diximus ad *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 11. *seq.*

§. 3. *Infortunium & injuriam*] Sub nomine infortunii videtur Autor comprehendere non tantum ea, quæ casu contingunt, sed etiam omnes actiones violentas, a principio aliquo externo causatas.

§. 4. *Quod ex utroque quasi conflatum sit*] Mixtæ ejusmodi actiones vel sunt ex spontanea & violenta, vel ex spontanea & imprudente. Illæ ratione objecti & in se sunt invitæ, ratione autem finis sunt spontaneæ; hæ vero ratione causæ impulsivæ spontaneæ sunt, ratione vero effectus sunt invitæ, & dicuntur non spontaneæ. Cæterum inter utrasq; aliæ propius ad voluntarias accedunt, aliæ involuntariis annumerantur. Ad voluntarias propius accedunt eæ, in quibus & vis & voluntas conspicitur, ita tamen, ut hæc præponderet, ut cum quis ad aliquid faciendum impellitur spe majoris boni, aut timore majoris mali. Huc quoque referuntur ea, quæ ignorantes quidem admittimus, non tamen per ignorantiam, veluti, quæ ebrietatis, iræ, amoris, voluptatis causa facimus. Anton. Matthæ. *de criminib. in prolegom. c.* 1. *n.* 3. ubi impetum hunc ebrietatis, iræ &c. dolo subjicit.

Delinquitur aut proposito, aut impetu, aut ca-

casu] Inde & homicidium aliud eſt doloſum, aliud culpoſum, aliud caſuale. Carpz. *in criminalib. part.* 1. *q.* 27.

Ita pœnam ſæpe non meretur] Imo ſemper meretur, quamvis non ordinariam ſemper. Poſita enim culpa ponitur pœna, major aut minor, pro ratione culpæ.

§. 9. *Non erat hominum, ſed DEI*] Quæ bella DEI apud Iſraëlitas dicta fuerint, diximus ad *lib.* 1. *c.* 2. §. 2. Fuerunt autem in iſtis quædam ſingularia ex voluntate DEI præſcripta, quæ non ſemper licet trahere in exemplum. Sed & inter Rabbinos obtinuit opinio, poteſtatem de ſeptem populis univerſos necandi a Numine potius indultam eſſe, quam ex præcepti vi & ſententia ipſos neceſſario fuiſſe necandos. Selden. *de jur. nat. & gent. lib.* 6. *c.* 16.

Non injuſte poteſt occidere] Poſita intentione divina, quod hominem creare voluerit ad finem non mere naturalem, ſed ſupernaturalem & ſpiritualem, merito dubitatur, num DEUS juſte occidere potuerit hominem immerentem. Vid. quæ diximus ad *lib.* 2. *c.* 20. §. 4.

§. 10. *Mos ab antiquo fuit gentium omnium*] Exorbitat hic conſuetudo Tigurinorum, apud quos, cum in hoſtem exitur, invaluit, ut miniſter Eccleſiæ primarius una prodeat. Vid. Sleidan. *comment. lib.* 8. Inter Pontificios etiam ſæpe audire licet, plu-

plurimos, tam Episcopos, quam Abbates armatos ad bella procedere, in hostes irruere, cædere ipsos, & cædi ab ipsis, quod monstrosum dicit Baronius *ad ann.* 888. *n.* 2. Conf. Claud. Espencæus *lib.* 2. *digress. c.* 6.

Et conversi, i. e. pœnitentes] Conversi quando a Canonistis conjunguntur monachis, non sunt pœnitentes, sed ipsi quoque revera monachi. In hoc autem discernuntur, quod monachi in choro per Ecclesiasticos ordines divinis officiis inserviant, conversi vero ecclesiasticis ordinibus non insigniantur, nec in choro deserviant; & idcirco hi ad differentiam monachorum sive religiosorum laici & fratres laici dicuntur. Aug. Barbosa *de jur. Eccles. l.* 1. *c.* 43. *n.* 3.

§. 12. *Quorum quæstus pacem amat, non bellum*] Dubitare ergo licet de iis sive mercatoribus, sive opificibus & artificibus, qui negociantur in rebus ad militiam pertinentibus, qui arma fabricant, pulverem pyrium faciunt &c. quorum opera cum hostis vires capiat, quamvis ipsi damnum revera non dederint, excusatius tamen occiduntur, quam alii istiusmodi operam non præstantes.

§. 13. *Ut ad eos veniamus*] Tota res isto nititur juris naturalis principio, quod cavendum sit in bello, ut vel nullo plane, vel admodum exiguo sanguine res transigatur.

§. 14. *Notant Hebræi*] Videri hic potest Seldenus *de jur. nat. lib.* 6. *c.* 15. *circa fin.*

§. 16.

§. 16. *At talionem natura non admittit*] Forte tamen admittit tum, quando non aliter coërceri poteſt ſævitia hoſtis, in captivos exerceri ſolita, quam ſimili ſævitia.

Neque ſufficit] Multa tamen & magna videtur eſſe differentia inter univerſitatem eam, quæ quiete vivit, & tranquillitate fruitur, & eam, quæ in motu eſt, atque arma in hoſtem habet exſerta. Prior affligitur, ſi quis in ea tale quid agat, quod tranquillitatem ejus concutiat; at poſterior hoc ipſum intendit, ut arma parata habeat & in hoſtem deſtricta. In priore ergo qui delinquit, in Remp. ſuam delinquit, & a magiſtratu ſuo puniri debet ipſe, nec alius pro eo; in poſteriore qui armis ex præſcripto utitur, non in Remp. ſuam, ſed in hoſtem delinquit, & per conſequens, ubi in hoſtis poteſtatem venit, non videtur abſurdum, vindicari in eo poſſe non id tantum, quod ipſe commiſit, ſed etiam quod alius ejus commilito damnum dedit, quandoquidem, quod ab uno vel altero factum eſt, integro exercitui plerumq; adſcribitur, & unusquisque, dum animum hoſtilem gerit, probare cenſetur, & perpetrare voluiſſe ea omnia, quæ a ſuo exercitu perpetrata fuerunt, imo & ipſe, dum arma gerit, in infinitum cenſetur delinquere velle in hoſtem. Sentio tamen cum Grotio, parci debere ejus vitæ, a quo nullum amplius metuitur vitæ

vitæ periculum, & cujus ita coërcita est voluntas, ut damnum dare posthac nequeat.

§. 17. *Sortitio comparata est*] Sortitio ejusmodi non in militia tantum recepta est, sed & inter navigantes quandoque, ubi naufragii periculum imminet. Paul. Laymann. *theol. mor. l.* 4. *tr.*10. *c.*3. *n.*8. Ea vero in delictis plus gratiæ videtur habere, quam justitiæ, cum justitia neminem omnino eximat delinquentem. Atque hinc sortitio ejusmodi temere suscipienda non est; nec alias fere locum invenit, præterquam ubi integra aliqua universitas grave aliquod delictum commisit. Inter pauciores enim ut delectus talis habeatur, nulla ratio suadet. Gerhard. *Loc. de magistrat. n.* 311. Pertinet huc antiquus decimationis ritus, cujus varia exempla collegit Marcellus Donatus *in Livii lib.* 2. eumque non inter nocentes tantum, sed etiam innocentes, si ignorentur sceleris autores, probat Boxhornius *in institut. Polit. lib.*1. *c.*6. *n.*1. *in fin.* cui tamen ut calculum nostrum addamus, ipsum prohibet jus naturæ, quod innocentem absolvit, nec alium, nisi qui culpæ reus est, damnat.

§. 18. *Quod autem ex recentioribus JCtis*] Doctrinam hanc primum proposuit glossa canonica ad *can. cum homo.* 23. *qu.* 5. de qua multum solicitus est Didacus Covarruvias *l.* 2. *var. resolut. c.* 8. *n.* 8. Rectius tamen cum Grotio asseritur, non valere ejusmodi conven-

ventionem, quemadmodum nec valet obligatio ad torturam. Paris de Puteo *de syndicat. verb. tortura, vers. quaro, num.* 3. Matth. Coler. *decis.* 184. Et ex hoc conficio, nec lege quidem talem conventionem firmari posse.

§. 19. *Nullius sunt usus*] Quidni usum habeant ejusmodi commissiones, cum etiam privatis velitationibus vires hostis atterantur; & bello semel indicto privato cuivis liceat hostem, qua poterit vi, persequi.

Caput XII.

§. 1.

Nimirum ut res perdita imputetur) Quæstio non est, utrum res alterius perdita imputari possit in debitum; sed utrum rem alterius perdere liceat, ut imputetur. Sane nemo sibi ipsi jus dicere debet, & ut maxime mihi aliquis existat debitor, nullo modo mihi conceditur rem ejus, etiam mihi debitam, eripere, *l. 13. ff. quod met. caus. l. 7. ff. ad L. Jul. de vi privat.*

§. 2. *Frugiferas vero asservari*] Tradunt Judæorum Doctores, etiam eam arborem, quæ frugifera quidem cum esset, sed fructum tamen ferret plerumque nocivum aut inutilem, aut adeo intempestivum seu inopem, ut culturæ labores neutiquam compensaret, aut arboribus vicinis agrove esset detrimento, aut

aut precio eximio venundari posset ejus materies, in qualescunque usus bellicos excidere seu radicitus evellere licuisse. Selden. *de jur. nat. l. 6. c. 15.* Hodie ita obtinet inter præsidiorum præfectos, ut si arbor quantæcunque fertilitatis prospectum impediat urbi munitæ, funditus ea excidatur, ne hostis imminens receptaculum post eam habeat.

Esculenta & potulenta corrumpantur] Est tamen inter axiomata militaria, ut si metuas hostem a tergo insistentem, omnem agrum, vineam, fructus, & totam undiquaque terram igne perdas, ne inveniat hostis, unde se tueri aut sustentare queat.

Verum non factum id odio hostili] quidni? cum tali odio flagrare voluit Deus populum suum adversus Moabitas. Et imo quod Deus prohibuit frugiferas arbores exscindere, *Deut.* 20, 19. intelligendum id de terra Canaan, quam propediem occupaturi erant Israëlitæ, ne sibi ipsis damnum inferrent. Et hinc igitur prohibitio ista pertinet ad casum sequentem Grotio §. 3. relatum. Terra autem Moabitarum ab Israëlitis non erat ita occupanda; & hinc igitur hostili animo & odio eam devastare Deus juste permisit, imo voluit.

§. 4. *Vetant in pignus capi*] Damnantur apud Diodorum Sicul. *lib.* 2. nonnulli Græciæ

ciæ legumlatores, qui arma, aratrum, & quidvis rustico operi necessarium instrumentum prohibuerunt capi pignore, eorum autem corpora, qui his utuntur, permiserunt.

§. 6. *Conservari talia ædificia & quæ eis accedunt*] Patet hinc, quid sentiendum de consuetudine inter rei tormentariæ præfectos recepta, qua ab obsessa & occupata urbe postulare solent, ut campanæ rebus sacris destinatæ, quippe quod suæ jam factæ sint, certa pecuniæ summa redimantur.

§. 7. *Idem de religiosis intelligendum est*] Observatum tamen in bello hoc Germanico est quam sæpissime, & templa & cœmeteria eversa fuisse & diruta, quotquot munimento alicui nimis propinqua visa fuerunt, & in quibus hostis receptaculum aliquod habere potuisset. Et tale quid non ab hostibus tantum, sed ab ipsis illis, qui præsidio nobis esse debuerunt, commissum non unis vicibus. Idque inter axiomata habetur militaria, non impunitatem tantum concedentia, sed æquitatem etiam & justitiam naturalem præ se ferentia.

§. 8. *Desperationem*] Vulgatum est Politicorum axioma, desperatis virtutem redire, & hinc hostem non esse ad desperationem adigendum. Forstner. *in Tacit. pag.* 163.

Caput XIII.

§. 1.

A*Ut ex pœna*) Sæpe dixi, non tam in pœnam, quam in vindictam suscipi bellum ob injuriam illatam. Quæritur ergo, si injuria Reipublicæ illata fuerit ab alterius Reipublicæ principe aut subdito, nec aliter ea vindicari possit, nisi per bellum, an tum recte capiantur aliorum ejusdem Reipublicæ subditorum bona? Sane quia præsupponitur, bello vindicandam esse injuriam, bellum autem non intelligitur nisi Reipubl. adversus Rempublicam, aut Principis adversus Principem, subditorum vero semper eadem præsumitur causa, eademque mens & animi sententia, quæ est Principis, & sic omnes Principem suum bello lacessitum defendere velle creduntur, nulla fiet injuria ejusmodi subditis, si eorum bona bello capiantur, & in ipsos quoque vindicta exerceatur. Hactenus enim consensus, qui est inter caput & membra, inter Principem & subditos, & conformis totius corporis mystici compages sufficientem præbet causam, & sufficiens argumentum, ejusdem injuriæ reos haberi debere cives in universum omnes.

§. 2. *Posterius hoc non est*] Imo est eatenus, quatenus injuria accepta ex commensura-

furatione ad bona æstimatur, qua ratione etiam is creditor dicitur, cui ex delicto aliquid debetur, *l. 12. ff. de V. S.*

§. 3. *Sed & subnascentis*] Belli impensæ superant sæpe debitum principale,& vel hinc apparet, tutius abstineri bello ex parte debitoris, quam expectari.

§. 4. *Quod & alibi meminimus*] Meminimus vero & nos, latius non patere, si quidem jus hic consideres, non ut usurpatur in judiciis & foro externo, sed quale in foro conscientiæ interno locum habet, uti id se considerare profitetur Grotius.

Notandum & hoc] Proposuit sibi Grotius dicere,quid bello liceat circa res subditorum Reipublicæ adversæ. At bello semel exorto nulla amplius fieri potest distinctio inter subditos reos & innocentes, quippe qui, ut dixi, omnes & universi ejusdem causæ censentur esse defensores. Nisi forte manifeste constet, esse qui Principis sui aut concivium causam suam facere nolint.

i. e. victæ civitati cederent] Aliter ea verba in *l. 16. ff. de A.R.D.* explicat Bachovius in *Treutl. vol. 2. disp. 20. thes. 5. lit. E.* Et certe civitatis vocabulum plerumque denotat κατ' ἐξοχὴν civitatem Romanam. Quicquid sit, non videntur congrua hæc exempla thesi Grotianæ, qua probare intendit, ab originariis debitoribus prius exigi debere debitum, antequam ad alios deveniatur.

Caput XIV.

§. 1.

QUousq; *debiti aut primarii*) Quis vero æstimationem faciet hominum captorum, ut justa observetur proportio? Utique enim victor minus se accepisse, alter plus perdidisse facile causabitur.

§. 4. *Sed & circa minores pœnas*] vid. *l. 1. & 2. ff. qui sui vel al. jur.*

§. 6. *Pro opera alimenta servo debentur*] adeo, ut si dominus servum famelicum alere recusaverit, possit cogi illum alteri vendere, *l. 2. ff. qui sunt sui. l. 1. §. 3. C. de Latin. lib. toll.* Joh. Bapt. Pontan. *de alim. c. 11. n. 1.* Et quanquam de jure civili servus alias legitimam personam standi in judicio non habeat, circa alimenta tamen sibi debita recte officium judicis implorat, non obstante, quod per contradictionem actionis species referatur. Mart. Coler. *de alim. l. 3. c. 3. n. 3.*

Id aliquo modo sit ipsius] Si jus naturale spectes, puto id plene esse servi, quanquam jus civile id velit esset in peculio, *l. 39. ff. de pecul.* Dominium enim rerum non videtur ita cum statu servili pugnare, ut una consistere nequeant.

Quæ servum Hebræum] Circa alienigenas & ex perigrinis gentib⁹ acquisitos servos hoc

jus

jus non obtinebat, quod ex *Lev. XXV*, 46. recte asserit Andr. Rivetus *ad Exod. c. XXI.*

§. 7. *Quæstio hic incidit*] Vid. quæ diximus supra hoc libro *c.* 7. *n.* 6.

§. 8. *At in nondum natis*] Posito, juri naturali non repugnare servitutem, quæ personas rebus in dominio existentibus æquiparat, dubium redditur assertum Grotii per axioma vulgare: Quod ex re mea nascitur, id meum est. Vid. quæ diximus supr. *ad lib.* 2. *c.* 5. *n.* 29.

Caput XV.

§. 2.

A*Dde quod in ipsis Ammonitis*) Judæorum Doctores inter causas belli a populo Israëlitico gerendi & a Synedrio Magno decernendi, solam hanc sufficere putant, ut dilatarentur fines imperii Israëlitici, & ut ampliaretur majestas ejus. Selden. *de jur. nat. l.* 6. *cap.* 12. Sed modestius de suæ gentis bellis ita loquitur Josephus *l.* 2. *adv. Appion. Nec fortitudinem exercuimus, ut bella avaritiæ causa susciperemus, sed ut leges servaremus.* Et hinc optime Augustinus *lib.* 4. *de C.D. c.* 6. *Inferre*, inquit, *bella finitimis, & inde in cætera procedere, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere & subdere, quid aliud quam grande latrocinium nominan-*

nandum est? Add. Forstner. *in Tacit. p. m.* 254. *seq.*

§. 6. *Tributorum quoq; indictio*] Non puto, victori eam multum conferre ad securitatem apud victos. Aspera hæc semper in vulgi auribus vox, res in animis, nec alia crebrior odiorum seges. Lips. *libr.* 4. *civ. doctr. c.* 11.

§. 8. *Sed ejusmodi mutationes*] In mutanda Reip. forma id inprimis dispiciendum est, ne cum ingeniis hominum, neve cum consuetudinibus inveteratis pugnemus, cum non quævis forma cuivis populo adaptari possit. Piccart. *in lib.* 3. *polit. c.* 13.

§. 9. *Ut aliquid imperii relinquatur*] Fieri id inter alia potest, si totum imperium in feudum detur, & ex hoc dominium directum in id reservetur. Qua ratione etiam olim invalescentibus Ducibus & Comitibus sibi prospexerunt Imperatores Romani.

§. 11. *At si falsa apud victos religio*] Potest & tenetur Princeps subditis suis veræ religionis dogmata proponere, & ad fidem istam invitare, idque fieri potest tum sedula & diligenti, quam procurare debet, institutione & opinionis adversæ refutatione, tum vero omnis injuriæ & violentiæ ab Ecclesia, quam fovet, propulsatione & aversione, tum denique extraordinariorum quorundam præmiorum elargitione.

CAP.

CAPUT XVI.

§. I.

SUnt enim hæc pro non captis) Imo revera capta ſunt, & tamdiu pro captis habentur, quoad noſtram non evaſerint poteſtatem.

Ut ubiq; judiciaria auctoritate] non ubique. Leges enim Romanæ denegant actionem Publicianam illi poſſeſſori, qui titulum habet a fure, etiamſi, ut ampliat Jaſon *in* §. 3. *n.20. Inſt. de act.* furem eſſe ignoravit: quoniam vitium inhæret rei, cum furtivarum rerum nulla ſit uſucapio, eoque nec Publiciana actio, *l. 9.* §. *pen. ff. de Public. in rem act.*

§. 3. *Poſſe imputari*] Hactenus aſſentior Grotio, & adhuc plus largior, totum id, quod emptor bonæ fidei dedit, ei refundendum eſſe, quandoquidem deſperata fuit rei eius recuperatio, quo facit *l. 6. ff. de captiv.* Il tamen extendi non debet ad rem furtivam, quia in hoc genere cautius mercari debet emptor, *l. 2. C. de furt.* Carpz. *part.* 4. *conſtit.* 9. *def.* 5.

§. 5. *Inter ejusdem imperii cives*] De his nulla inſtitui debuiſſet quæſtio, cum nec propie dictum inter ejusdem imperii cives geraur bellum. Quin ſi bello inter ſe colliduntu cives, ipſum quoque imperium rumpi-

tur, ut ejusdem imperii cives dici amplius nequeant.

Si modo illa internum) Si cives inter se externo jure regi & gubernari possunt, si negocium hoc ex legibus definiri potest, quid est, quod ad internum jus hic recurrit Grotius? Ut maxime enim leges internum jus non concedant, sed in externo solo consistant, res tamen ex illis jam erit decisa.

CAPUT XVII.

§. 1.

V*T ipsi domino par necessitas non subsit*) Obiter noto, facere me non posse cum Boxhornio, qui in *insti. polit. l. 1. c. 12. in explanat.* §. 7. contendi, necessitate urgente posse me arces & muntiones in loco pacato & alieno extruere, ad avertendam hostium meorum impressionem. Hac enim ratione hostes in locum illum pacatum & alienum provoco, & sedem belli illic facio, quod pugnat cum vulgata juris naturalis regula: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

§. 2. *Stipendia militibus non solvit*] Recte. Sed plerumque stipendia deficiunt, non tam Regum & Principum culpa, quam dolo & scelere ministrorum. In quos propterea juste invehitur Forstnerus *in Tacit. annal. lib.* 2. *pag.*

2. *pag*. 180. Et ut maxime ſtipendia non ſolvantur, milites tamen ſubditis aut vicinis damna inferentes propterea non excuſantur a peccato aut reſtitutione damnorum. Petr. Binsfeld. *ad cap*. 8. *X. de injur. & damn. dat. concluſ*. 25.

§. 3. *Æquos ſe præbere utriſq;*] Bene res agitur, ſi id ſemper obſervari poteſt. Sed plerumque utrique inviſus eſt, qui neutri adhæret. Cumque eximiæ hoc prudentiæ opus ſit, inter partes belligerantes *ἀδιαφορίαν* conſervare, & utraque pars id ſemper operam det, ut ſocium habeat, & ſuis ſtudiis addictum, qui utrique hactenus æquum ſe præbuit, facile hinc colligitur, quam inclinata ſit via, neutralitatis, uti vocant, jus perdendi. Vid. Bœclerus *ad Vellej. lib*. 1. *c*. 9.

CAPUT XVIII.

§. 1.

Niſi forte pœnam juſtam exigat) At hoc privato, nulla imperii vi inſtructo, non convenire dixi ſupra ad *lib*. 2. *c*. 20. niſi privato victori proter victoriam imperium aliquod tribuatur in victum, quod fortaſſe juri naturæ non eſt adverſum. Quæ ſubjicit Grotius de lege evangelii, & repetit infra §. 4. ſæpe dixi, Photinianam olere lucernam, & doctrinam hæreticam.

§. 3. *Reddendum erit civitati, quod superit*] Non tamen invidendum erit hoc casu illi, qui suo sumptu militat, aliquod lucrum, præsertim, cum tam benignus fuerit in Rempubl. suam civis iste, dum facultatibus suis ei subvenire non dubitavit, ut merito ei propterea gratiæ debeantur.

§. 4. *Indignus censeri debet quæstus*] Eleganter hic conscientiam militis informat Grotius, sed omne tamen ejus officium ita describit, ut difficile sit militem agere. Et ausim ego confidenter asserere, ne millesimo quidem inter milites hodiernos, imo in copioso exercitu vix uni aut ne uni quidem persuaderi istas juris interni regulas posse. Interim probe suo defungitur officio Grotius, & vel in idea Christiani militis officium proponit.

§. 5. *Quæ de concesso tuendi se modo*] Nolim ego eum, qui in hostes incidit, intra defensionis terminos tantum subsistere, sed imo puto, juste eum in hostem irruere, & quovis modo lædere posse.

Caput XIX.

§. 1.

N*Imirum hostes qui sunt*) Franciscus Hottomanus *quæst. illustr. 7.* tale nectit argumentum: Inter quos juris alicujus communio est, inter eos contrahitur obli-

obligatio. Atqui inter hostes juris est communio, juris scilicet ejus, quod gentium dicitur & naturalis. Ergo inter eos contrahitur obligatio. Per consequens ex conventione hostium inter se, & ex data acceptaque fide, tale nascitur vinculum, quod rumpi sine perfidia nequit. Et ut maxime necessitas obligationis a priori ostendi non posset, communis tamen, quæ inde resultat, utilitas ei insistere juberet. Quod si enim fidem hostibus datam violare pro lubitu liceret, nihil aliud inde sperandum esset, quam perpetua diffidentia, cædes & bellum perenne.

§. 2. *Non habent quidem isti*] De prædonibus dixerat Franciscus Hottomannus *d. l.* etiam cum illis juris naturalis & gentium esse communionem. Id vero negavit de jure gentium, & Ciceronis sententiam acriter propugnavit Albericus Gentilis *de jur. bell. lib.* 1. *c.* 4. a quo non multum abit Bachovius *in Treutl. vol.* 1. *disput.* 6. *thes.* 7. *lit. A.* Conciliatorem hic agit Grotius, & solennia jure gentium introducta iis denegat, non denegat ea, quæ sunt juris naturalis. Et recte igitur contra Albericum Gentilem statuitur, fidem eis datam non esse violandam. Propositio enim, quod pacta sint servanda, est juris naturalis, & ex se vera, antequam gentes vel natæ fuerunt, vel in unam coiverunt societatem. Nec igitur, qui a communione & fœdere humani generis se subduxit, illico perdit

dit ea, quæ ex jure naturæ proveniunt.

§. 3. *Hi a quovis homine puniri possunt*] Sequitur & exscribit hæc Arnoldus Vinnius *de pact. cap. 3. num.* 4. Sed enim negavimus nos supra *ad lib. 2. cap.* 20. potestatem puniendi cuivis homini competere, cum nec imperium cuivis homini competat. Habet igitur hæc Grotii instantia & responsio tum demum locum, quando piratis & prædonibus cum republica sua, cujus membra fuerunt, aut cum ejus imperantibus negotium transactum est.

§. 4. *Si quis ergo*] Grotius invertit statum controversiæ. Non enim quæritur, utrum promissor teneatur, cum etiam priori casu teneatur, sed utrum liberandus sit vinculo obligationis? Quod quidem affirmari posset ex eo, quod ille, qui metum intulit, si non causam, saltem occasionem dedit huic promisso. Quia igitur ille per delictum a se commissum & actum illicitum lucrum percipit, aut percipere intendit, recta ratio jubet, ut lucrum istud non percipiat aut promissorem liberet.

§. 5. *Promittentis heredem non teneri*] Argumentum id est, conventionem ipsam per juramentum non confirmari, sed jurantem solius juramenti virtute constringi. Et hoc intelligendum est de casu, quando res adhuc integra & ad implementum nondum processum est. Quod si enim traditio ex parte

te promittentis accessit, quia tunc rem suam penitus abdicat, & in alium transfert, nec heres quidem, quippe qui pro una persona cum defuncto habetur, rem eam vindicare sub prætextu deficientis ex sua parte obligationis poterit. Vid. Franzk. *lib. 2. resolut. 6. num. 25.*

§. 6. *Si quasi cum desertoribus*] Par enim inter principem & subditos contrahentes nascitur obligatio, & utrique eodem obligationis nexu tenentur, non obstante, quod cogi alter queat, alter nequeat, cum ea diversitas non ex modo obligandi, sed ex imperio ortum habeat. Quod si ergo defectoribus princeps promiserit impunitatem, imo etsi diserte non promiserit, sed tantum cum iis ut defectoribus alias contraxerit, non poterit sine perfidiæ nota promisso pœnam opponere.

§. 7. *Et jus supereminens dominii*] Sæpe diximus, dominium hoc esse merum figmentum, & ad imperium referri debere effectus, qui huic dominio tribuuntur. Sic igitur, quia imperium ad salutem publicam exerceri debet, publica autem salus obtineri nequit, ubi res & jura subditorum ab imperantibus evertuntur, neque imperii quidem jure, id quod subditis promissum est, revocari poterit.

§. 9. *Sed & tertio*] Recte tamen faciet & hic, si reddiderit id, aut liberaverit eo promis-

missorem, quod hic occasione metus incussi dedit, aut promisit. Posito scil. quod metus ideo incussus fuerit, ut tertio aliquid daretur aut promitteretur, quo pertinet *l.* 14. §. 3. *ff. quod met. caus.*

§. 11. *In irritum deduci non possint*] Eadem est sententia Moralistarum, vid. Laymann. *theol. moral. lib.* 2. *tr.* 3. *c.* 12. *num.* 15. ubi asserit, nec per autoritatem Pontificis solvi posse fœdus aut pactum publicum, quod Catholici cum hæreticis inierunt. Quid est igitur, quod transactionem Passaviensem criminantur Jesuitæ, vi metuve eam obtentam, & sine Pontificis Romani consensu factam? Cæterum patet etiam hinc, captum in bello justo teneri ad conventum redemptionis precium, nec juste se excusare, quod coactus promiserit, alias non promissurus, si liber fuisset. Christinæ. *vol.* 5. *dec. Belg.* 124. *num.* 9. *seq.*

§. 12. *Quia jus gentium ad talem metum*] Agnoverunt enim gentes moratiores, non convenire militibus per stupra & adulteria partes suas tueri, neque ad bellum quicquam facere delicta istiusmodi in sexum sequiorem commissa. Vid. Autor supra *hoc libr. c.* 4. *num.* 19.

§. 14. *Nullam esse obligationem*] Optime hoc interpretantur JCti, quando dicunt, quod pendente conditione nihil quicquam debeatur, *l.* 13. §. *pen. ff. de pign. l.* 19. *ff. de const. pecun.*

pecun. l.16.§.pen.ff.de fidejuss. imo quod neq; inceperit deberi, & existente demum conditione deberi incipiat, *l.213.ff.de V.S.l.41.ff. de condit.& demonstr.* quod incertum sit,utrum debiturus sit, qui sub conditione promisit, pendente conditione, *l.116.ff. de V.O.* quod contractus nondum sit perfectus, *l.43.§.pen. ff.de ædil.ed.* quod emtio pendente conditione non sit perfecta, etiamsi res tradita & precium solutum sit, *l.8.ff. de peric. & comm.rei vend.* quod ex conditionali stipulatione tantum spes sit debitum iri, & quod differatur obligatio, §. 4. *Instit. de verb. oblig.* imo quod detur condictio indebiti, si ante conditionem impletam solutum quid fuerit, *l.16. l.18. ff. de cond. indeb.*

Si prior alter non implevit] si quidem ita conventum fuerit, ut alter ille impletionis faceret initium. Alias enim in contractibus ultro citroque obligatoriis uterque ex æquo tenetur,& utraque contractui implementum addere pro lubitu potest,imo tenetur,si alterum quoque ad implementum cogere velit. Qua ratione par causa utriusque est, & non ante competit actio alterutri cum effectu,nisi simul ex parte sua alteri offerat, quod debet. Qui enim differt facere, quod debet, frustra petit,quod ei debetur. Vid. Alemann. *de jur. simult. investitur. q.pr.* 8.

§. 15. *Ergo quod promisimus,poterit non præstari*] Ut scil. hac ratione cogamus alterum ad

ad præstandum id, quod nostrum est, aut nobis debetur. Nec enim propterea compensatio rerum inter se illico inducitur, uti quidē vult Grotius, posito quod compensatio sit debiti & crediti inter se contributio, & solutionis vim obtinet. Quid enim si utrinq; species fuerit debita? Utique non civili tantum, sed naturali etiam juri congruit, ut id, quod debetur, solvatur, neq; creditor invitus aliud pro alio accipere cogatur. At nostro hoc casu, si compensatio statuenda est rerum inter se, sine dubio alterutri iniqua inferetur conditio. Si qua igitur hic statuenda fuerit compensatio, non rerum ea erit, sed actuum, ut, quia ille non præstat, quod nostrū est, nec nos eidem præstare debeamus, quæ promisimus.

Caput XX.

§. 2.

Qui summi imperii exercendi jus habent) Duci exercitus ergo hæc facultas non competit, & quando hic forte pacem facere ausus fuerit, non tamen ea valebit prius, quam princeps ratam habuerit. Quamvis enim belli Duci semper sit potestas, consilium pro more & tempore capiendi, non tamen sibi hanc potestatem simul concessam arbitretur, quandoquidem neque administrator quidem Reip. quamvis libe-

liberam habeat potestatem, inconsulto principe, pacem facere potest. Ant. Perez. *ad tit. Cod. ut armor. usf. insc. princ. interd. sit. n. 23. 24. 25.* Franc. Duaren. *ad l. 5. ff. de pact.*

§. 3. *Si modo regnum ex consensu populi ortum habet*] Ergo si tale non est regnum, sed patrimoniale, aut bello occupatum, etiam captivo licebit pacem facere. Id unicum hic cavendum est, ne cum Grotio statuamus majestatem realem populo competentem. Siquidem non tam ex populi voluntate petenda est causa hujus defectus, quam ex modo habendi imperium. Quod si etiam voluisset populus, ut Rex regnum in patrimonio haberet, dubium non est, posse etiam captivum Regem pacem facere.

§. 4. *Penes majorem partem*] Quatenus sc. pars minor in latitudine opposita contrario robori cedere cogitur. Vid. Lampad. *de Rep. Rom. Germ. part. 2. c. 3. n. 17. 18.*

§. 5. *Ita ut nec ad id quod interest*] Difficile est hoc asserere, quandoquidem populus, ut irritum reddat contractum alterius principis, eique decepto omne remedium adversus decipientem præscindat, nullam omnino habet facultatem. Sic igitur statuo, nasci principi externo, cum quo actum est, obligationem ad id quod interest, sed propterea tamen verendum non esse, ne subditorum bona pro debito regis obligata sint, posito sc. quod subditi ita cum rege suo ab initio con-

traxerint. Etsi enim alias bona subditorum pro rege suo obligata censeantur, facilius tamen ea ab hac obligatione per pactum interveniens eximuntur, quam obligatio Regis sui alteri Regi parta irritatur. Obligatio enim bonorum tantum est ex præsumtione, quæ per conventionem contrarium elidi potest.

§. 7. *Alibi diximus*] Pro verbis, *sub eminenti dominio*, mallem reponi verba, *sub imperio*, & sic recte se habebit sententia Grotii.

§. 8. *Plane civili lege*] Durior videtur ejusmodi legis sententia, quandoquidem fieri potest, ut per ædes privatas alicujus civis mœnibus contiguas hostis irruptionem faciat, easque prorsus evertat & solo æquet, quas tamen impossibile est, ut solus defendat, & omnem hostium impetum sustineat. Fieri etiam potest, ut civis res suas defendendo occumbat, & eas moriendo perdat, quo casu iniquum videtur, heredibus, pupillis sæpe, sæpe adhuc infantibus talem actionem denegare.

§. 9. *Sunt qui latum discrimen*] Similia dixit autor supra *l.* 2. *c.* 14. §. 8.

§. 10. *Nam externis*] Ex hoc corruit id, quod supra dixit Grotius, a subditis irritos reddi posse futuros contractus regis, præsertim cum externis jure suo innitentibus haudquaquam præjudicare possint contrahentes.

§. 14. *Sponte se bellantium*] Sed etsi non sponte, verum vi metuve coactus populus se al-

alteri ſubjecerit, non tamen video, quomodo ad eum porrigi queat reſtitutio, quæ fieri debet per interpretationem, præſertim quando alterius, cum quo tranſactum eſt, nihil intereſt, populum iſtum ſui juris iterum fieri.

§. 15. *Quod de damnis etiam privatim acceptis*] Probe tamen diſcernenda ſunt damna, quæ a militibus amicis data ſunt, ab illis, quæ ab inimicis data ſunt. De his enim intelligendus eſt Grotius, non de illis, quippe ſi milites noſtri per latrocinia damnum mihi dederint, quin eorum nomine agere adverſus eos poſſim, etiam poſt pacem cum hoſte initam, nullus dubito, cum non jure belli id fecerint, ſed manifeſte crimen publicum commiſerint.

§. 16. *Condonata cenſeri debent*] Etſi enim bellum quam maxime juſtum ſit, non tamen liberatur debitor, quo minus teneatur creditori ſuo, nunc hoſti facto, debitum ſolvere. Nec obſtat: bello capta fiunt capientis, ergo multo magis retineri poterit debitum; cum favorabilior ſit retentio, quam vis bellica. Argumentum enim hoc ideo non procedit, quia in debito contracto ſubeſt fides, quæ etiam hoſtibus ſervanda eſt. Aymo Cravetta *conſil. 6. n.* 97. 98.

§. 22. *A tempore conceſſionis*] Si tamen belli tempore occupata & poſſeſſa res fuit, puto, etiam toto eo tempore, quo poſſeſſa fuit, jure belli fructus deberi, ut maxime in-

terveniente pace novus titulus conceſſionis acceſſerit.

§. 25. *Verum non eſt*] Dum omnia Grotius per totum hoc opus ad æquum & bonum reducit, & conſcientias ubiq; inſtruit, mirari licet, cur ita rigidus hic ſit, ut nec breve quidem tempus in re tanti momenti admittere velit, cum tamen & juris civilis interpretes, qui in foro externo ſatis rigoroſi ſunt, modicum & quidem ex arbitrio judicis determinandum tempus admittant. Vid. Ant. Theſſaur. *deciſ.* 77. Vincent. Carocc. *de locat. conduct. part.* 4. *q.* 31. Joh. Vaud. *lib.* 1. *quæſt.* 41. ſi non in omnibus, ſaltem in aliquibus caſibus. Hartm. Piſtor. *Obſerv.* 222.

§. 29. *Nec nego ita conveniri poſſe*] Male ſibi proſpicit, qui iſtiusmodi pacem init, quippe quod tota ea reſolvatur in fidem tertii. Poteſtativa enim, quam Grotius hic ſubſternit, conditio id tantum continet, velle contrahentem facere aut curare, ne ſocius arma capiat. Quod ſi hac in re omnem diligentiam adhibuerit, magis eſt ut liberetur promiſſor, quam ut bello redintegrato ad arma compellatur.

§. 32. *Rectoribus ſuis improbantibus*] Tenentur tamen illi animi ſui diſſenſum vel verbis vel factis, & inprimis literis avocatoriis, aut per publica proclamata conteſtari.

§. 36. *Non quod neſciam poſſe ita contrahi*] Si tamen ita expreſſe contractum non fuerit, arbi-

arbitror ego, æquitati naturali id consentaneum esse, ut per adjectam pœnam promissionem alternativam induci, & hinc promissori electionem liberam esse putemus, quicquid etiam circa privatas stipulationes de novatione ex jure civili inter se disputent Doctores. Gœddæus *de contr. stipul. c.* 5. *conclus.* 7. Arn. Vinnius *in* §. *fin. Institut. d. V. O.* Franzk. *exercitat.* 11. *q.* 9. Et hinc recte quæstionem hanc decidit Grotius, non rumpi pacem, sicubi articulis pœna adjecta fuerit, ut maxime id non fiat, quod promissum fuit.

§. 37. *Sed alter optabit*] An vero optabit etiam tum, quando res periit culpa promissoris? Ex principiis Grotii ad id non tenetur, dum scil. promissorem Grotius ad moræ purgationem admittere noluit *supra num.* 25. Contrarium tamen æquius videtur, quod etiam culpam suam deprecari possit reus.

§. 42. *Sed tum demum*] Sequitur ergo, quando de re agitur, in quam non habemus plenum dominium, sanguine potius decertandum esse, quod profecto durum erit asserere. Quin id potius arbitror, in dubia causa & dubio belli eventu præstare sorti rem exponere, ut maxime res, de qua agitur, non sit in dominio nostro, quam tot & tanta belli discrimina subire. Vid. Ventur. de Valent. *in Parthen. litigios. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 8. *seqq.* & sortis hoc remedium probat ipse Grotius *supra lib.* 2. *c.* 23. *n.* 9.

§. 45. *Sequitur valde agitata quæstio*] In hac controversia præsupponendum est, non aliter rem componi inter litigantes posse, quam aut certissima multorum hominum strage, aut per monomachiam bellicam sive singulare duorum pluriumve certamen. Quæro jam, utrum ex his duobus eligi debeat ab utraque parte? Sane qui ex unius hominis animo, robore, & fortuna integrum exercitum æstimari non debere, nec uni illi totum negotium prudenter committi contendunt, non satis considerant, idem illud in universum exercitum retorqueri posse. Quale etiam est illud, quod ajunt porro, sanguinem humanum temere jactari, & Deum ipsum tentari; cum id magis de integro exercitu excipi queat. Ut adeo ejus fere nunc sim sententiæ, non acceptari tantum, sed offerri etiam licite talem monomachiam posse, ut maxime nulla adsit præsumtio, alterum illum, cum quo nobis res est, prælio universali fore superiorem. Vid. tamen Tabor *de legit. armor. us. c. 2. n.* 4.

§. 46. *Alterum ejusmodi*] Dicuntur hi arbitratores, qui ut mediatores quidam partibus viam & modum, quomodo ipsæmet controversiam dirimere debeant, ostendunt, & allatis in medium honestis rationibus persuadendo interveniunt. Differunt ab arbitris, qui ad primum genus referuntur in eo, quod arbitri veri judices sint, nec aliter arbitria eorum

rum rata ſint, quam ſi ordine judiciario proceſſerint, & ſententiam dixerint; ſed arbitratores non ſunt judices, neque talem ordinem obſervant, neque etiam opinationes eorum effectum ſententiæ habent, adeo ut partes nec directe nec oblique cogi poſſint, ut eorum pronunciato pareant.

Ita verborum ſimplicitati] Non abhorret ſimplicitas verborum, ſi ponamus ex allegata *l.* 30. *ff. de op. libert.* immodicum fuiſſe, quod arbitratus erat patronus. Potuit enim operas ille tantas injungere, ut plane impoſſibile eſſet eas præſtare, aut ſaltem ultra hominis vires conſuetas.

Quanquam vero etiam de talibus arbitris] Rectius ſtatuitur, etiam de jure civili adverſus ſententiam arbitri compromiſſarii reductionem non habere locum, per *l.* 27. §. 2. *ff. de recept. arb.* H. Zoëſ. *ad eum tit. n.* 31.

§. 47. *Quaſi propriam vult Seneca*] Senecæ hæc verba de judice in bonæ fidei judiciis accipit Arnold. Vinnius *in* §. 2. *Inſtit. de Act. n.* 9. Sed rectius ea explicari de arbitratore, ipſe contextus oſtendit. Arbitrum autem & arbitratorem ſæpe hic confundit Grotius, cum arbiter compromiſſarius ipſe etiam ſecundum leges judicare debeat, uti jam ſupra dixi.

§. 48. *Nam poſſeſſoria judicia juris civilis ſunt*] Non arbitror; præſertim ſi de ſummariiſſimo quæſtio fuerit. Habet enim iſtud ratio-

tionem ex jure gentium derivatam, dum sc. in eum finem de possessione pronunciatur, ut interim quietæ sint partes, nec ad arma veniant. At hoc cavere præcipuum est negocium arbitrorum bello hinc inde flagrante, præsertim ubi causæ cognitio simul & semel non poterit expediri.

§. 50. *Nisi id suo facinore meritum*] At ille, dum hostem se præbuit, meritus jam fuit mortem, & jure tum occidi potuit. Postquam autem se arbitrio victoris submisit, non habebit hic, cur sæviat in eum, & occidat.

§. 52. *Et jus in actiones subditorum*] At hic non terminatur imperium in sola actione subditi, sed in ipsam ejus personam tendit, quam hostium custodiæ tradit. Et ex hoc maxime dubia redditur assertio Grotii, num tanta in personas subditorum principi potestas competat? Repetendum hic est, quod dixi *ad l. 2. c. 25. §. 3.* deseri non posse civem in eum finem, ut ab hostibus capiatur. Similiter ergo nec cogi poterit, ut obses eat, & hostium se arbitrio exponat.

§. 53. *Interfici obsidem posse*] Dubium non est, obsides primum in eam causam datos fuisse, ut veluti fidejussores essent illorum, pro quibus intercederent, cum obligatione ad quosvis cruciatus corporis & ad ipsum mortis supplicium, ni illi promissis stetetint. Sed displicuit tamen deinceps plerisque gentibus ista in obsides sæviendi libido, & sufficere

cere creditum fuit, per tales obsides pacis & conventionum capita hoc arctius firmari & muniri, quo chariores illi suis essent. Charitas ista ubi neglecta & pax rupta fuerit, nihil imputari posse obsidibus, qui a suis decepti in eā fortunam præter culpam suam inciderint. Vid. Hering. *de fidejuss. c.* 10. *n.* 281. *seq.* & *c.* 20. *n.* 61. *seq.* Alberic. Gent. *de jur. bell. l.* 2. *c.* 19.

Imo & jure Gentium] Et ita hodie etiam observatur. Hering. *de fidejuss. c.* 7. *n.* 538.

§. 54. *Qualis vellet custodia*] Licebit ergo illi, cui obses datus, laxiorem facere aut adstrictiorem ejus custodiam, & hinc præsumptio est, metu pejoris coërcitionis & custodiæ, strictius observari capitulationes & conditiones pacis.

§. 55. *Ne fiat caveri poterit*] Cautio iis verbis, quæ Grotius hic præscribit, facta non videtur esse sufficiens. Siquidem etiam ante pactum tale præsto est obligatio de reddendis obsidibus post impletionem ejus, quod promissum fuit. Arctius ergo obligare non poterit pactum expressum. Tum autem caveri sufficienter poterit, si adjiciatur pactum de non retinendis obsidibus in aliam causam.

§. 58. *Non accessionem esse obligationis*] Non capio, qui non sit accessio, si præsupponatur obligatio aliqua præcedens, in cujus fidem dentur obsides. Illius sane, qui alterum aliquem facturum promisit, obligatio est principalis, quæ per obsidum dationem

hactenus confirmatur. Plenius quidem Grotius mentem suam exponit infra *c. 23. §. fin.* sed tenendum, non illico fieri principale, quod principaliter potest convenire aut teneri. Ita fidejussoris accessio manet accessoria, non obstante quod jure antiquo liberum fuit creditori, omisso principali reo fidejussorem convenire, *leg. 3. l. 5. C. de fidejuss.* nec obstante etiam, quod fidejussor se ut principalem obligaverit. Retinet enim obligatio istiusmodi adhuc accessionis naturam in eo, quod non possit in plus fieri, quam debet is, pro quo obligatur, *§. 5. Instit. de fidejuss.* & quod semper respectus habeatur ad obligationem aliam, a qua veluti gubernatur.

Sine consensu suo] Id non dicit Albericus Gentilis in margine citatus, nec quisquam forte alius. Verba Gentilis ita habent: *Si item obsides sic obligantur, ut si vel unus eorum fugisset, soluta omnibus esset fides, atque unus fugerit: videri, reliquos morte affici posse. Sic Athenienses ex facto interfecerunt reliquos. Videntur enim nunc & invicem obsides, & quasi duo rei invicem fidejussores. Ait Baldus, quaestionem esse difficilem, si duo aeque principaliter obligati videantur invicem fidejubere, alibi sic probat tamen. Et hic ita expresse prospectum est, &c.* Praesupponit, expresse per consensum cujusque prospectum fuisse.

§. 60. *Nisi certa conjectura*] Non video, quae tam firmae possint esse in hoc negocio con-

conjecturæ, ut creditorem securum in conscientia reddere queant. Creditor enim pignus alieno nomine possidet non sibi, sed debitori, *l. 13. ff. de usucap.* eamque causam possessionis mutare sibi non potest, *l. 33. §. 1. ff. eod.* Potestas autem luendi ex parte debitoris est res meræ facultatis, cui itidem præscribi non potest. Diuturnum vero silentium debitoris, postquam illius intentio luendi impedita fuit, num sufficiens derelictionis argumentum præbeat, merito licet dubitare, præsertim cum præsumi possit, ideo eum per totum istud tempus siluisse, quod salvum sibi manere jus suũ non ignoraret, quæ fortior est præsumptio, quam Grotii de consensu tacito.

CAPUT XXI.

§. I.

INduciæ sunt conventio) Induciæ, ut Grotius hic considerat, quatenus scil. sunt bellorum feriæ, definiri debuissent, ut jam sunt per conventionem in esse productæ, non per ipsam conventionem. Omnino enim hæc tria inter se differunt: 1. conventio sive tractatus, 2. res, super qua conventio sive tractatus instituitur, & quæ per conventionem obtinetur, & 3. obligatio ex conventione perfecta resultans.

Pauli JCti definitionem] Pro Paulo, & Varrone dici potest, quod uterque de illis tantum in-

induciis cogitarit, quæ a ducibus in castris fiunt, & fere solam suspendunt pugnam, expedito interim milite nec dimisso.

§. 4. *Ubi temporis productio favorem in se habet*] Dum inter se disceptant juris privati Doctores, utrum dies termini computari debeat in termino, plurimi etiam ad favorem causæ respiciunt, & ex eo computationem instituunt. Vid. Camill. Bor. *consil.* 19. Steph. Gratian. *discept.* 161. Andr. Tiraquell. *de retract.* §. 1. *gl.* 11. *n.* 27.

§. 5. *Damnum resarcire debebunt*] At nulla hic contrahentium existit culpa, quibus impossibile fuit subditis longius dissitis inducias factas citius indicare.

§. 23. *Quod vasa Ecclesiæ*] Videri hac de re poterit elegantissima constitutio Justiniani in *l.* 21. *C. de SS. Eccles.* & ad eam Dionys. Gothofredus.

§. 27. *Quam quæ specialiter apprehenderit*] Ratio hæc mihi videtur nimis redolere jura Romanorum civilia. Ut maxime enim res singulas in cistula comprehensas specialiter non apprehendam, imo ut maxime ignorem, quid in ea contineatur, puto tamen apprehensa cistula eo animo, ut res in ea contentas meas faciam, simul omnes eas apprehendi. Et in præsenti casu, ut maxime captus capientis servus non fiat, est tamen hæc generalis capientium intentio, quod velint res captivorum suas facere; & ex hac generali in-

intentione tentari poteſt, annon fiant capientis, quæcunque penes ſe habuerit captivus, etſi ſpecialiter apprehenſa non fuerint, imo etſi a capiente ignorentur.

§. 30. *Quam quæ in actione de præſcriptis verbis*] Maximus eſt in toto jure Romano favor libertatis, & hinc dubito, an quiſquam ex eo ad præſentem ſtatum actiones iſtas applicare queat, præſertim per textus iſtos nodoſos, & multis difficultatibus refertos. De quibus videri poſſunt Vultejus *ad §. fin. n.* 17. *Inſt. de mandat.* Coraſ. *l.* 1. *miſc. c.* 9. Ant. Faber *l.* 6. *conject.* 10. Lyclama 6. *membran.* 1. Hillig. *in Donell. enucl. l.* 14. *c.* 21. *lit. D.* Franzk. *tit. de præſcript. verb. n.* 14.

Caput XXII.

§. 4.

Ut conceſſum intelligatur id) Rectius Duces nullis certis mandatis inſtruuntur, ſed ex re capere conſilium jubentur. Quemadmodum Romæ cum bellum decretum fuiſſet, Senatus ſibi pacis tantum firmandæ jus reſervavit, cætera in Imperatoris poteſtate erant, dimicare aut abſtinere pugna, obſidere urbes, cum obſeſſis de vitæ & libertatis incolumitate paciſci, ſolvere obſidia, & quæ his ſunt ſimilia. Vid. Forſtner. *ad Tacit. l.* 1. *annal.*

Non voluntario ſed naturali nexu] Eodem modo in iis, quæ juris civilis ſunt, diſtinguit JCtus Paulus inter ea, quæ ad voluntatem & quæ

quæ ad jus pertinent, *l.12.§.1.ff.de pact. dotal.* In genere a. non potest quis paciſci, dolũ non esse præſtandum. Nam hæc conventio contra bonã fidẽ, contraq; bonos mores, & ideo nec ſequenda eſt, *l.1.§.7.ff. depoſ. l.23.ff. de R. J.*

§. 8. *Inducias dare ducum eſt*] Si de induciis in viginti, quadraginta aut centum annos contrahendis negocium agitur, puto id ad eum pertinere, qui de belli cauſis tranſigere & pacem facere poteſt, h.e. ad eum, qui ſummum tenet in Rep. imperium. Et hinc malim ducum poteſtatem ad brevioris temporis inducias reſtringere, quæ hodie armiſtitia vocari ſolent, vocabulo forte non ſatis antiquo, rei tamen exprimendæ ſatis apto.

CAPUT XXIII.

§. I.

AT quæ a privatis fierent) Pacta a privatis inita circa ea, quæ publica ſunt, fidem non adſtringunt, quia privatis ut talibus & autoritate publica deſtitutis in negotiis publicis nulla omnino competit poteſtas. Et hoc forte volunt illi juris Magiſtri, quos hic perſtringit Grotius.

§. 2. *Sibi eam præſtare poteſt*] Quid opus eſt reſtitutione, ſi verum eſt, quod ſupra dixit Grotius *l.2.c.14.n.1.* reſtitutionem venire ex jure civili? Hic n. inprimis agit de eo, quod extra jus civile jus facit. Deinde nec reſtitutio quidem ſui ipſius locum habebit alias, niſi quan-

quando deficit superior. Vid. quæ diximus *d. l.*

§. 3. *Ex jure sunt civili*] Nego hoc. Et accuratius philosophatur Ulpianus *in l. 1. ff. de minor.* dum ait: *Hoc dictum prater naturalem aquitatem secutus proposuit: - - nam cum inter omnes constet, fragile esse & infirmum hujusmodi atatum consilium & multis captionibus suppositum, multorum insidiis expositum: auxilium eis prater hoc edicto pollicitus est &c.* Ergo ut minor restituatur, naturalis æquitas suadet, quanquam restitutio ista per jus civile aliter atque aliter informetur.

§. 5. *Neq; vero fides sola*] Tota res resolvenda est in casum extremæ necessitatis, propter quam satius erit quibuscunque pactis civem salvum esse, quam perire. Talis veró necessitas si nulla adsit, & fides & utilitas publica privatum cum hoste pacisci vetant, Leges etiam rebellionis crimine notant.

§. 8. *Nihilo enim deterior*] Imo fit melior, dum & consiliis & facultatibus suis patriam juvare potest, quibus careret ea, si captivus apud hostes persisteret.

§. 9. *Ita demum liber erit*] h. e. fugere poterit quavis data occasione.

§. 11. *In bello duntaxat solenni*] Dixit n. supra §. 2. dissimulari ab Magistratu, si, quod latronib. & piratis promissum est, non servetur.

§. 15. *Id conditionem non injicere*] Curiose distinguunt JCti inter conditionem & modum. Ista enim deficiente deficere ajunt in-

insimul dispositionem, non deficere deficiente modo, per *l.* 1. *Cod. de his, quæ sub mod.* Vid. Aug. Mattheac. *l.*3. *de legat. c.* 11.

CAPUT XXIV.

§. 3.

Collocutoribus id innoxium fore) Cautissimum tamen decet esse principem, aliosq; viros magnos, ne se imprudenter in hostium manus mittant, & nimium eorum fidei tribuant. Quem in finem sæpe in mediis pontibus, & insulis colloquia ejusmodi instituta fuerunt. Forstner. *in Tacit. p. m.* 157.

§. 4. *Dum collocutores nihil patiantur*] Hisce salvis puto ego, etiam durante colloquiò continuari posse actus bellicos, nisi simul de armistitio conventum fuerit; quanquam plerumque induciæ ejusmodi extemporaneæ colloquio comites sint. Vid. Gramond. *hist. Gall. lib.* 8. *p. m.* 403.

§. 7. *Pœnæ remissio*] Vindictæ potius. Agit enim de fide inter hostes, quibus vindicandi jus ad invicem competit, non puniendi. Significatio autem opinionis, quam rebus fieri posse dicit, nihil aliud est, quam dissimulatio. Sed non facile quisquam dissimulationi tali, si non diserta conventio intervenerit, confidet.

FINIS.



INDEX
RERUM ET VERBORUM MEMORABILIORUM.

A.

Ad-

an

 num

C.

Capta

Cœ-

D.

De-

in

Do-

Ebrie-

E.

F.

Fe-

de

G.

H, pro

H.

I.

Im-

Infan-

fine

Jura-

Ju-

Jus

Juris

Justi

L.

Li-

M.

Mi-

Mo-

Negli-

O.

P.

Pa-

Per-

in

Pre-

Recu-

Re-

Res-

Ro-

S.

Suf-

Theo-

V.

 Vita

Z.

